


FR. IVNII BITVRIGIS

Animaduersiones ad controuersiam primam Christianæ fidei,

DE

VERBO DEI SCRIPTO ET NON SCRIPTO,

QVAM

ROBERTVS BELLARMINVS

Politianus societatis Iesu (vt vocant) disputationum suarum libris exarauit aduersus huius temporis hæreticos:

Perscriptæ ad ordinem librorum, capitum, articulorum, & sententiarum seu comprehensionum eius, ita vt alterum scriptum cum altero facilè in singulis locis comparari poßit.

Psal. 119. 94.
Tuus sum, conserua me: quia mandata tua quæro.





Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Bat. Typographum.
cIɔ. Iɔ. c.

Nobilißimis & Amplißimis viris, Dominis prudentißimis,

D. PRÆTORI,

CONSVLI, ET SENATVI Dordracenæ Reipublicæ, Dominis obseruantia summa colendis,

FRANCISCVS IVNIVS *gratiam & pacem à Domino.*



NNVS iam ferme vigesimus quintus agitur, Nobilissimi & Amplissimi viri, Domini prudentissimi, quum Robertus Bellarminus Politianus, societatis (vt vocant) Iesu, de controuersiis Christianæ fidei aduersus huius temporis hæreticos in Gymnasio Romano disputare aggressus est, & palàm sermone (quod antè diu fecerat) ac scripto docens controuersa doctrinæ capita, prout ab Eccle-

ſia Romana illa ὁμωνύμως dicta & à capite ipſius Pontifice Rom. traduntur, propugnare. *Arduum ſanè opus*, ait ille, *atque eiuſmodi, vt ſi non leuiter & perfunctoriè, ſed accuratè, ac vt rei dignitas & difficultas exigit, tractandum ſit; ſcientiam propè infinitam non modò variarum diſciplinarum & linguarum, ſed etiam totius antiquitatis, omnium hiſtoriarum & temporum* videatur ipſi requirere. Et reuera ardua multa in iſto opere inſtituto, ac velut pilatas acies agmine facto oportet homini occurriſſe, quum in tantis rebus argumentiſque, accuratè & condignè ſcientiam adeò multiplicem deſiderari putauerit, vt hæreticos non vnius generis, ſed varia variorum examina ſtrenuè vna acie proſterneret.

Quapropter cùm gratias illi ago & habeo maximas, quòd tantum ſpatij tanto ſuo & collegarum ſuorum τὸ κατ' ἀυτὲς συνερανιζόντων labore in accumulando & coagmentando vaſto illo controuerſiarum & diſputationum corpore conſumſerit; tum ab omnibus bonis Chriſtianíſque deberi iudico. Nam ſiue ea quæ

rectè

rectè & ex veritate ab eo dicta ſunt re-ſpexeris aduerſus falſa errantium & hæreticorum dogmata, labor eſt ſua laude dignus; ſiue ea quæ præter veritatem conſtabiliendis Eccleſiæ Romanæ ψευδωνύμως dictæ & Pontificiæ dogmatis propugnandiſque attulit, ſaltem eo nomine videtur non malè de nobis meritus, quòd capita illa doctrinæ, in quibus à vero aberrant, diſſident, aut inſtabiles ſunt Pontificij, in vnum compegit atque concinnauit, multaſq. multorum ſententias ſumma Pontificum Academiarumque Pontificiarum approbatione munitas comportauit, & concluſit ſententia ſua.

Ac eorum quidem omnium quæ verè & ſanctè aduerſus hæreſes ab illo dicta ſunt laudem iuſtam vt præcerpamus aut deminuamus, neque eſt viri boni & Chriſtiani officium, neque eſt nobis animus, aut vnquam fuit. Etenim quicquid bonum, verum, ſanctum, & iuſtum eſt, cùm à Deo ſit, id tamquam à Deo oportet accipi atque aſſeruari; ac non ſuperciliosè attendi, per quos, aut etiam quo

modo nobis offeratur. Bonum, verum, sanctum, iustum homini semper thesaurus iustus est; quem ab instrumento quolibet, non dedignantur percipere boni & prudentes viri, sed vltro quasi rem à Deo per instrumenta, licet aliena, inepta, indignáque, oblatam accipiunt, qualicunque modo offeratur. Quæcunque περὶ πόδα sunt (vt vulgo dictum est) à quocunque homine sint, laudare iubemur natura duce; vt à sutore quamuis cætera ineptissimo nos patimur calceari, si pedem calcei non vrant, non sollicent, non sint incommodi. Hæc de iis quæ rectè Bellarminus scripsit, bona fide profiteor, æquo animo censeo, & bonos mecum sensuros confido, ne in bonum, verum, sanctum, iustum iniquo animo propter aliquam, si fortè, hominis cuiusquam iniquitatem dicamur ἐμπαθῶς inuehere, aut ob alienum vitium doctrinam Deo, bonisq́. ex natura & ratione & fide probatam respuere.

Sed & in altero illo argumentorum genere, quæ præter veritatem stabiliendis

Pontifi-

Pontificum suorum dogmatis ab eo perscripta fuisse arbitramur, suam quoque laureolam (vt loquuntur) ipsi ex animo vltrò concedimus, nec eum omnino abiici è manibus aut contemni putamus oportere. Cùm enim veri illius, quod inuestigare nos omnes profitemur, duplex sit modus, prout verum est in sese, & prout est in mente & intellectu nostro; omne quidem tulisse punctum videtur is qui verum priore illo modo assequitur, & perceptum potest exponere : veruntamen quia id per omnia facere diuinitatis potius quàm humanitatis est (vt Imp. loquitur) is etiam punctum aliquod tulisse putandus est, qui cùm veri aliquid attulit (vt à Bellarmino factum agnoscimus) tum, si quando per inscientiam infirmitatemque humanam ab eo abest, quod secundùm Deum & naturam verum est, tamen quod in animo & intellectu concepit, siue verum siue falsum, ex veritate sui conceptus enunciat.

Non enim diffiteor multa esse, adeoque plurima, in quibus Bellarminum iu-

dico à vero, quod propriè & per ſe verum eſt, aberrare; prout & nos quoque, dum hîc viuimus in iſta labe peccati & tenebris carnis noſtræ, ex parte ſolùm cognoſcimus, atque ex parte prophetamus, vt optimè docet Apoſtolus 1. Cor. 13. Ex eo enim id omnino ſequitur, nos ex parte quoque multa non cognoſcere, ſed tenebris erroris obductos falſum pro vero plurimùm amplexari.

Sed duo hîc nobis occurrant, & in animo inſideant omni tempore neceſſe eſt: vnum, errare, labi, decipi humanum eſſe, & neminem hominem eſſe (quod aiebat ille) ex omni parte beatum: alterum, infirmitatem atque inſcientiam humanã à bonis humaniter accipi oportere; idq́ue ea lege vt quod bonum verumq́ue eſt ac dicitur à quouis homine, teneas; quod malum aut falſum abiicias, & vtrumque certo iudicio probes ex regula veritatis. Sic quod verè Bellarminus adfert, probamus verè: quod falsò, tamen quia ex vero ſenſu mentis ſuæ eum dicere præſumimus, diſcernentes humanæ illius igno-

ignorantiæ & infirmitatis vitium æquo animo ferimus, donec meliùs ipſi reuelet Deus: & cùm ipſius, tum populi Chriſtiani cauſa (de cuius ſalute laboramus quotquot membra ſumus de corpore Chriſti) ſine iracundia aut perturbatione animi refellimus. Nam vt ſtatuamus eum præter veritatem ſenſus interni ſui dicere ea in quibus ipſum à vero abeſſe iudicamus, nec charitatis officium patitur, ad quod vocati ſumus & in quo alij debemus aliis prælucere, nec ſenſus conditionis noſtræ. Videt ipſe in corde ſuo quid ſentiat; videt ille, maior corde ipſius & noſtro, Deus: cuius ſolius videre eſt perfecto diuinóque viſu, & perfecta diuináque iuſtitia ab eis, qui contra conſcientiam veniunt, repoſcere. Stat aut cadit quiſque Domino ſuo; in cuius oculis omnia ſunt peruia, atque (vt Apoſtolus ait Hebr. 4.) ἐκτετραχηλισμένα.

Præſertim verò nos omneis ea mente animóque præditos inter nos eſſe conuenit, quum id reputamus, non hîc res in theatro naturæ aut in Auguſto illo τῶν κοι-

 νῶν

τῶν ἐννοιῶν recessu (quam quisque inditam à natura officinam intus circumferre solet) expositas vtrimq. à nobis agi; sed oraculis diuinis & reuelatione certissima effusas in gentem hominum: quorum oraculorum religio quanta auctoritate sit ac fide, ne ipsi quidem infideles & Dei veri expertes in mundo ignorauerunt, cùm testimoniorum diuinorum, id est, oraculorum fidem omni exceptione maiorem esse tradiderunt: quod Rhetorum omnium libri & Iurisconsultorũ leges contestantur. Cedit enim natura tota diuinis testimoniis: ideóque siquis homo non cedit & concedit eis, profectò non fœtus naturæ, sed virulentissimus Dei & naturæ totius hostis, & Briareus monstrosissimus censendus est.

Etsi hîc alterum quoque discrimen prudenter volumus adhiberi, quum de reuelatione diuina dicimus. Nam Deus ille opt. max. & Pater sapientissimus, vt bonitatem suam omnibus testatam faceret luculentiùs, salutarem illam voluntatem suam reuelauit communibus documentis

mentis & singularibus. Commune documentum appellamus diuinum illud instrumentum cœlestis salutarísque doctrinæ, quod in sacrario Ecclesiæ suæ impressit Deus, & Prophetarum Apostolorúmque seruorum suorum manibus exaratum, diuina sua auctoritate & virtute Spiritus obsignauit, vt constanter in ore Ecclesiæ & seminis ipsius resideat in secula. Singulare verò illud dicimus, quod in singulis Ecclesiæ suæ membris vniuersè ac singulariter Deus indit æterni Spiritus sui communicatione. Vt enim ad Solis aurei percipiendam lucem vtrumque opus est, Sol & oculus noster, quorum ille nobis fœneratur lucem, hic communicatam percipit (nam sine oculo frustra lux Solis futura esset, quemadmodum & frustra oculus sine Sole) ita ad salutaris lucis cōmunicationem præstari hæc duo nobis opus est à Domino; lucem gratiæ foris, cuius Scriptura sacra instrumentum; & lucem gratiæ intus oculúmve fidei, cuius auctor & effector est Spiritus ille Christi, qui omnia in omnibus operatur

tur sui communicatione. Hic Spiritus est anima Ecclesiæ Christi, totum corpus & singulas partes illius vel membra singula in toto corpore viuificans, omniáque ἐπιχορηγῶν ex demenso donationis Christi. Quam rem Bellarminus noster videtur esse non satis assequutus, quum ἐνθουσιαστῶν somnia adfingit hominibus nostris, & de Scriptura perinde disputat, ac si res inter se essent oppositæ atque disparatæ, nobis, communicatio Scripturæ & Spiritus, vt in controuersiæ 1. disputationem ostendimus.

Vtut sit, pergratum ille nobis officium fecit, quòd & veritatis quicquid habere potuit, cum fratribus suis operas in hac re cum ipso communicantibus expressit, vt apertè videremus quid conueniat inter nos, & in quod vtrique conuenimus disceremus eadem regula vtrisque incedendum esse, quod Paulus præcipit Philip. 3. & quicquid veritatis non habet, id obseruare possemus, & veritatis lumine palàm facere ad declarationem confirmationemque maiorem veritatis.

Quod

Quod officium Deo veritatis gratum, alumnis veritatis vtile fore confidimus, & solis veritatis hostibus onerosum: quorum alij, si prudentes veritati obstiterint, graue sibi iudicium à Domino accersituri sunt; alij si fecerint imprudentes (quod magis credimus) Deum veritatis dies & noctes orabimus, vt oculos ipsorum aperiat, ne porrò obsistant veritati; nostrásq. linguas, & calamos, & manus dirigat, vt eisdem informandis queamus esse commoda & apta diuinitus instrumēta, suam denique Ecclesiam ex numero illorum adunet ac nostro, vt vnum ouile sub vno pastore & Episcopo animarum nostrarum censeamur, in Spiritu sanctificationis æternæ.

Diximus, qua in re Bellarminus de nobis sit bene meritus manū porrigens veritati: qua in re nō adeò mereatur bene, si placet, videamus. Profectò plura sunt quæ in hoc argumento adferri possent, eaque non planè dissimulanda, si hîc de singulis esset minutatim dicendi locus. Sed quia suis locis in nostris Animaduer-

sionibus

ſionibus iſtis ſingula demonſtrabuntur volente Domino, rem in pauca ſumus contracturi, & ſine vlla in quemquam contumelia (quia cogit veritas) tria ſummatim allaturi, in quibus bona ipſius & omnium bonorum venia videtur impegiſſe. Nam vt naucleris tria hæc ſunt periculoſa, ſi in ſcopulum alliſerint, ſi in dorſum arenarium inciderint, ſi velificentur malè: ſic Bellarminus huic operi ſuo tria iſta apportauit incommoda.

Scopulus ſiue rupes & petra firmiſſima eſt verbum Dei & Scriptura ſacra, cui ſuperædificata Eccleſia à Chriſto dicitur, & in quam quicunque allidunt (vt cum poëta dicam) infringunt dentem ſolido. Vnus & idem ſcopulus nobis eſt veritatis pharus ad ſalutem; iis verò qui veritatem in mendacio detinent, certiſſimus ad mortem Caphareus: quemadmodum de ſuo piorumq́. Dei ſeruorum miniſterio Euangelico Apoſtolus affirmauit. Ad hunc ſcopulum vtinam, mi Bellarmine, vtinam ne tam ſæpe, tam grauiter, tam craſsè, oſcitantérque alliſiſ-

ſes;

ſes; qui Romanam illam (vt vos quidem appellare ſoliti) nauiculam iam tabulata diſiecta corruptáque, non ſcapham vlla ex parte integram eſſe oſtendiſti. Nam quæ nauis, per Deum immortalem! qui linter eſſe integer aut dici poteſt, qui in veritatis diuinæ ſcopulum tot exitialibus modis alliſerit? Non lubet (quod tu facis) in præfationibus accumulare iſtius rei quam dicimus exempla, aut teſtimonia: nulla fermè Animaduerſionum noſtrarum pagina futura eſt, quæ id non doceat, oculíſque legentium luce meridiana clariùs exhibeat. Non iuuat actum agere, non verbis inanibus aut repetitionibus laciniosis, vt facis, dimicare: ſatis eſt quod dicimus, & omnes viſuri ſunt qui ſedato animo & imperturbato ad noſtras Animaduerſiones oculos adiecturi ſunt, vix vllam eſſe paginã, in qua non oſtendatur præfidentem illam nauem tuam momentis ſingulis in hunc ſcopulum irruere.

Dorſum verò arenarium, quod ſecundo loco poſui, humani eſt teſtimonij: quod

quod ſi bona fide retegamus, equidem hoc auſim affirmare, innumera eſſe adducta à diſputatore iſto teſtimonia, quæ ſubruendæ nauiculæ ipſius magis quàm prouehendæ ſubſeruiunt. Patrum teſtimonia, falsò, mutilè, peruersè adducta verbis atque ſententiis: noſtrorum dicta & ſcripta longè iniquiore fide quàm vnquam ſcriptum, dictum, cogitatúmve fuerit ab hominibus noſtris, propoſita: hominum mente deſipientium, & animo infenſiſſimorum in nos & in cauſam noſtram, adeóque in ſacram illam & immotam veritatem Dei, prolata non ſecus teſtimonia, quàm ſi folia Sibyllæ eſſent, & diuina quadam vi ἀναντίῤῥητα. Res humanæ quidem omnes ſunt arenaceæ, infirma teſtimonia, ex quibus certam reſtim nequeas nectere: ſed quod infirmum eſt per ſe, id remigiis ſuis ita Bellarminus ſulcat, infelix κωπηλάτης, vt ſibi ipſe conficiat obicem, & molem accumulet in qua miſera illa nauis Rom. cum ſociis ſuis naualibus omnibus, niſi miſereatur Dominus (quod ſupplex oro) computreſcat.

trescat: Et huius mali indiciis (vt miseri caueant consulantq́. saluti suæ) abundant Animaduersiones nostræ. Etsi (vt fidem tandem aliquando Bellarmini liberem) equidem non puto horum testimoniorum pleraque à Bellarmino fuisse posita iudicio certo; sed aliena fide; quum de collegis & alumnis ipsius alij hoc testimoniū, alij illud ex varia lectione, quasi amentatas hastas commilitoni suo subministrandas comportarent. Sic Bellarmini scriptum est, sed aliena fide, opinor, in hoc genere concinnatum.

Ad hæc autem omnia vt velificatur, obsecro? Certè siquis Christianum hominem verè pium atque fidelem rogauerit, qui pes, quod velum, quod signum nauis Christianæ huius, qua vehimur, sit datum à Domino, qui vsus eorum legitimus; is sine cunctatione responsum daturus est, verbum Dei, scripturam sacram idcirco præstitutam ac circumscriptam esse à Domino, vt nauigio Christi pes, & velum, & signum sit indesinenter ad omnia. Quid autem hic noster? dicit

Atque hæc quidem de vniuerſo opere illius. Ad primam controuerſiam ipſius venio: quam de verbo Dei ſcripto & non ſcripto placuit inſcribere. Conſilium laudo, quòd de inſtrumento priùs conſtare voluit, quàm de rebus controuerſis, quæ diiudicandæ ſunt ex fide illius, diſceptetur. Quemadmodum enim ſi de capitibus contractus aut teſtamenti agitur, id ante omnia videri neceſſe eſt vt de inſtrumento conueniat illius, ex cuius fide ius dicatur altercantibus: ita etiam in hac cauſa & ſanctè à Deo ac Domino Ieſu Chriſto prouiſum eſt, vt inſtrumentum diuinum in Eccleſia publicè, priuatimq́ue in ſingulorum manibus haberetur; & religiosè ad illud prouocare nos iubet fides, quoties obuenit inter eos controuerſia qui Chriſtiani audiunt.

Id verò laudare nō poſſum, quòd diſputatori placuit quæſtionem hanc grauiſſimam ſummáq. religione pertractandam quatuor libris contrà definire quàm veritas Dei præſcribit, aduerſus quam nihil, ſed pro veritate poſſumus. Etenim

primo

primo huius controuersiæ libro Scripturæ authenticæ minus quàm par est tribuit, Apocrypham supra meritum euehit: secundo de translationibus ita iudicium facit ex ψευδωνύμου Ecclesiæ Rom. sensu, vt humana diuinis, terrena cælestibus, incerta certis anteponat, & falsa veris: tertio ius interpretationum ita cùm Ecclesiæ, tum illi φενάκῃ Rom. Pontificis arrogat, vt plurimum Christo & Spiritui eius, plurimum Prophetis & seruis Christi detrahat: quarto vetera illa traditionum suarum καττύματα sic assuit & adæquat auctoritati verbi, vt oscillantem quasi fidem piorum statuat in illa instabilitate diuini verbi. Cuius argumenti veritatem quanti intersit salutis publicæ teneri in Ecclesia, & à bonis religiosè obseruari, qui nescit, salutem nescit.

Scripserunt quidem viri nunquam satis laudati antehac de hoc argumento; quorum vestigia per verbi diuini tramites sequutus sum. Sed duo me ad scribendum insuper adduxerunt bonorum plurimorum postulatione: vnum, quòd

illi carptim hanc solùm illámve controuersiam aut partem sibi sumpserunt oppugnandam, non totum illud immane Bellarmini corpus, quod multi imperiti mole, specie, viribus admirabile prædicant, atque inexpugnabile, nec ab vllo adhuc tentatum vniuersè: alterum, quòd perpetuo scripto in disputationes Bellarmini inuexerunt; quo in genere fieri non potest quin multa intacta reliquantur, repetantur multa, plurima aut malè accepta, aut dissimulata dicantur ab iis qui contrà sentiunt. Victus itaque multorum sententiis, Deo duce, in arenam istam descendi, in ipsum Bellarmini scamma, & filum disputationũ ipsius in hoc congressu toto sequutus sum; in sequentibus porrò sequuturus, si Deus vitam & vires suppeditauerit.

Cùm autem in hac florentissima vestra Hollandiæ regione opus instituerim, & in eo pergam auctore Domino, cuius hospitio iam annos quasi octo sum vsus, & tantisper vsurus, dum illi summo auctori vocationum nostrarum videbitur, id

id mihi curandum esse duxi, vt hoc publico signo colonarium quoddam ciuitatibus Hollandiæ dependerem, & grati animi documentũ. In quibus cùm illa celebris respub. vestra iã olim primas consensu publico tenuerit, & adhuc teneat, à vestris Amplissimis nominibus & fausto nomine ciuitatis vestræ visum est incipere, qui me ex quo tẽpore huc appuli, & venientem blandè excepistis, & amicè fouistis incolam, & omne amicitiæ fideique officium præbuistis semper cognationi meæ.

Quod itaque faustum & felix à Domino, primum hunc mearum vigiliarum ad Bellarmini disputationes fœtum, Nobilissimi Amplissimíque viri, & Domini prudentissimi, vestris amplissimis nominibus & primariæ illius ciuitatis vestræ προσφωνῶ, obnixè petens vt meum hoc munus fauente & benigno ore animoque accipiatis, prout à me V^is. A. studiosissimo animo exhibetur ad Dei Opt. Max. gloriam, & Seruatoris nostri Iesu Christi, ad Ecclesiæ Christi ædificationem,

nem, cui vos religiosè ſtudetis, & ad celebrationem veſtri nominis ampliſſimi ac florentiſſimæ ciuitatis & Eccleſiæ veſtræ. Tu verò, ô Deus veritatis, nobis Da facilem curſum, atque audacibus annue cœptis.

Nobiliſſimi & ampliſſimi viri, Deum oro & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt V. A. magis ac magis proſequatur omni benedictionum genere, ciuitatem Eccleſiamque veſtram ab omni malo defendat, & bonis omnibus augeat quàm proliXiſſimè. Lugduno Bat. ipſis Kal. Martiis anno ſalutis CIↃ. IↃ C.

LECTO-

FRANCISCI IVNII ANIMADVERSIONES IN BELLARMINI CONTROV. I.

LIB. I.

In epiſtolam ad Pontificem, articulo 1.



NTICHRISTI *nomine eos appellandos eſſe cenſuerunt.*] Totum hoc exordium commune eſt: quod nos de iis qui verè ſunt hæretici, non concedimus ſolùm, ſed etiam religioſè prædicamus.

2 Ibid. *in ipſo mundi interitu excitabit.*] Hæc circumſtantia, *in ipſo mundi interitu*, eſt anguſtior quàm vt veritati reſpondeat. ſed quæſtio hæc controuerſiæ 3. libro 3. explicabitur.

3 Ibid. *tamquam ad commune reſtinguendum incendium accurrebant.*] Quæ de Pontifice Rom. deque Conciliis hoc loco prædicantur, de eis futurus eſt controuerſia 3. & 4. dicendi locus.

4 Art. 2. *Cum Eccleſiæ hoſtibus dimicamus.*] De ſingulis ſuo ordine & loco videbitur. Quæ ſequuntur, omnia ſunt perſonalia: quare nos certo conſilio hæc & conſimilia omittemus, vt rerum veritati, non perſonarum factis & narrationibus (quæ alienæ ſunt παρεκβάσεις ſeu digreſſiones) inſiſtamus.

5 Art. 5. *Et auctoritas asseritur atq. defenditur.*] Et his expendendis suus in 3. controuersia locus futurus est, si volet Deus.

In præfationem Ad Lectorem.

1. Art. 2. *sed totis aliquando prouinciis perniciem attulisse?*] Hæc communis accusatio, qua nos quoque optimo iure in omneis vti possumus. Sed iniusta est in nostros homines, quà nos Bellarminus spectat, hæc criminatio. Eiusdem generis sunt & sequentia. Nos ad rem præstat contendere, & causas ipsas religiosa fide ex verbo Dei excutere.

In præfationem habitam in gymnasio Rom. anno 1576.

1 Art. 4. *per sacramentum pœnitentiæ purgari sanarique animaduertunt?*] De hoc enunciato dicturi sumus tomi 2. controu. 6. De sequentibus nolumus contendere: sed quum ad assumptionem siue applicationem singularem venitur, errat toto (quod aiunt) cælo Bellarminus, quà hæc de nobis intelligit.

2 Art. 10. *Caluinus in libro Instit.* 1. c. 18. §. 4.] Negatur hæc fuisse verba, aut sententiam illorum. Sed de his agetur in tom. 3. controuersiæ 2. lib. 2. cap. 3. & sequentibus.

3 Art. 11. *Seruetus in epistola sexta ad Caluinum.*] Quid Seruetus ad nos? quem tulerunt Pontificij, Caluinus conuicit, Geneuensis Senatus sustulit, eius certè culpa Ecclesiis iure obtrudi non potest.

4 Ibid. *asininæ exspectare consilia.*] De hac criminatione

minatione agetur tom. 2. controuerſ. 2. lib. 1. cap. 10. & 11. vbi Lutheri purgatio demonſtrabitur.

5 Art. 12. *maximæ parti noſtri temporis hæreticorum.*] Hæc quàm iniquè & inuidiosè adferantur, ſi Deus volet, in controuerſia generali 3. tomi 3. libro 3. controuerſiæ principalis 3. per totum oſtendemus.

6 Art. 13. *Deus debet obedire diabolo?*] Nihil inuenitur eiuſmodi in Wiclefi ſcriptis quæ adhuc exſtant. Quàm verò iuri naturali & communi conueniat totus ille proceſſus citandi, cognoſcendi, contumacem pronunciandi, & hæreſeos damnandi Ioannem Wiclefum abſentem, inauditum, iamdiu mortuum, & cuius ſcripta planè contrà teſtantur quàm Henricus de Piro finxit, & Concilium Conſtantienſe quà ſimplice imprudentia, quà odio præiudicato ſtatuit, id omnes boni iudicare poſſunt. Iniuriam fecit homini promotor, Concilium approbauit: neutrum certè laudare poſſumus.

7 Ibid. *qui tantam impietatem cogitare potuit?*] De hac re purgabitur facilè Caluinus in hoc ipſo tomo, generalis controuerſiæ 2. lib 4. cap. 8.

8 Art. 14 *quòd diuinitas Chriſti nō poſſit pati?*] Hæc quidem Lutheri verba, ſed mala fide accepta contra mentem ipſius paulo antè ibidem expoſitam. Dixerat enim expreſſis verbis, rectè Dei paſſionem, martyrium, ſanguinem, mortem à nobis prædicari: neminem tamen eſſe qui neſciat diuinitatem in natura ſua non poſſe pati. Quo igitur in loco ponemus iſta Lutheri verba? rogat Bellarminus. Reſpondebit Lutherus, in ſermonum impropriè ſeu figuratè enunciatorum claſſe hæc verba ponenda ſunt, ſed quæ odiosè præter mentem meam à Bellarmino traducantur.

tur. Id enim mihi volui, diuinitatis aliam rationem esse in natura sua, aliam in persona Christi. Diuinitatem in natura sua nihil pati dixi: in persona figuratè & quodammodo passam dico, siue in humanitate assumpta à Filio Dei in vnitatem personæ. Cum Augustino dico in Psalm. 130. *Per id quod homo erat, mortuus est Deus: & per id quod Deus erat, excitatus est homo, & resurrexit, & ascendit in cœlum*, &c. Deum dicit, inquies, non deitatem: quod magis est proprium. Agnosco: sed ne propterea damnari putes figuratum loquendi modum, in Quæstiunculis de Trinitate eumdem dicentem audi, *Vtrùm diuinitas cum carne concepta, & nata, & passa est, & cætera quæ humanitatis propria esse noscuntur?* Re. *Vtique diuinitas suæ carnis conceptione concepta est, & natiuitate nata, sensitq́ participatione humani affectus mortem quam sponte susceperat, non naturæ suæ potentiam perdens per quam cuncta viuificat: Et ipse auctor, qui sponte natus est, sponte passus est: & idem opus, quia vtrumque vnus, licet non alio cogente, solus tamen ipse perpetitur salua diuinitatis impaßibilitate.* Hæc dura sunt, inquies. Nouimus molliùs & meliùs dici Deum, quàm deitatem, passum: sed vbi de mente pia & sensu Christiano ibidem ex verbis auctoris euidenter constat, quid tu duritiam (vt vocas) verborum meorum incessis duritia interpretationis tuæ, & odiosè dissimulata veritate mentis meæ, sermonem durum (si ita placet) duriore glossemate tuo præter veritatem exagitas? Hæc & alia ad causam suam Lutherus dixerit. Alioquin profectò aliter dici malim: sed ita loquentem, si bene senserit atque interpretetur, traduci nolim. Hoc enim est inimici illius hominis officium.

9 Art. 15. *qui semel circa fidem naufragium fecerunt.*] Nos, Dei beneficio, tenemus fidem in bona con-

na conſcientia, vt monet Apoſtolus 1. Tim. 1. de iis qui hæretici ſunt αὐτοκατάκειτοι, viderit Dominus: nos eorum cauſam non inſtituimus agere, nec debemus in hac ſcriptione noſtra. Sequentia igitur omnia, quà intelliguntur de nobis, negamus ad nos pertinere: de ſe alij reſpondeant.

9 Art. 16. *Et in Italiam vſque penetraſſe?*] Verba ſunt hæc: ad probationes feſtinemus. Alioquin & catharticum ægroto quum datur, id febri aut morbo peſtis eſt. Nobis catharticum ex verbo Dei placet, quia id ſolum eſt verbum vitæ in apotheca Scripturæ ſacræ diuinitus comprehenſum.

10 Art. 17. *Summa animi prouiſione cauendum.*] De hæreticis quibuſuis, falſum: de hæreſiarchis duntaxat verum, quoſcunque ſciuerunt pij euerſos eſſe, peccare, & ſuopte iudicio condemnatos eſſe, vt præcipit Apoſtolus Tit. 3. & 2. Ioan.

11 Art. 18. *Accenſo igne in eum pilā coniiciunt.*] Hæc duo poſtrema fugam quidem hominis hæretici, ſed & ſuperſtitionem coniunctam indicant.

12 Art. 19. *quæ de vtilitate noſtrarum diſputationum dicenda eſſe putauimus.*] De indiligentia rectè quidem hic queritur: cætera iuſtiùs ad nos pertinent, qui in veritate Dei & diligentia ſancta cupimus proficere, & Christianos animos religioſa charitate ad eam deducere.

13 Art. 24. *Non niſi leuiter tentaſſe videatur.*] Hæc ſanè Græci plerique leniùs: ſed quid non effecit contentionum æſtus, præſertim funeſta illa primatus Romani quæſtione excitatus?

14 Art. 25. *Euertere conatus eſt, & adhuc hodie conatur.*] Confusè hæc omnia: at nos quæ, quibus, quomo-

quomodo hic fiat iniuria, in ipſo diſputationis progreſſu oſtendemus.

15 Art. 26. *Anabaptiſtarum fides & doctrina.*] Hæc tomo 2. conuincentur falſi, volente Domino.

De verbo Dei, LIB. I.

IN CAP. I.

1 Art. 1. *quod Spiritus ſanctus priuatim vnicuique in corde loquitur.*] In ipſo limine inſtituti Bellarminus non rectè κεινόμενον ſiue quæſtionem ponit, ſed planè mutilat. Nam cùm omnem diſiunctiuam aut contrariorum, aut ἀντιδιῃρημένων, aut oppoſitorum, aut certè quocunque modo diſiunctorum eſſe oporteat, & ſufficiente enumeratione conſtare, hic ex coniunctis diſiuncta facit, & inſufficiente enumeratione vtitur. Atqui hæc vera quæſtio: Scripturáne ſola, an Spiritus ſancti teſtificatio ſola, an hoc vtrumque coniunctim ſolùm ſit habendum pro verbo Dei, id eſt, ſine alia adiectione vlla & humanis traditionibus. Nos copulatiuam ex veritate defendimus.

2 Ibid. *Improbitas & impudentia Lutheranorum.*] Negamus: atque hoc altera parte capitis confutabimus.

3 Ibid. *ſolóque ſpiritu contentos nos eſſe iubet.*] Inuidiosè: non enim omneis, ſed grandioreis Schwenkfeldius ſic eſſe contentos iubet, Scripturam verò concedit lac eſſe paruulis. Bona fide cum hoſte oportet agi, ne iniuriam ſibi fieri doceat; quod bonam cauſam agenti turpe. Etſi quid ad nos cauſa Schwenkfeldij?

4 Art. 2. *Impudentiſsimo mendacio adſcribere*

non

non verentur.] Falsum. Lutherus enim, Caluinus, alii quatuor maximè obiiciunt Pontificiis: 1. quòd non sola Scriptura sit ipsis verbum Dei, totam fidei bonorumque operum formam perfectè diuinitusque continens. 2. quòd pro verbo Dei non certam rem aliquam, sed humanas traditiones innumeras, incertas, instabiles adsuerint, adsuantque Scripturæ sacræ & interpretationi illius: qua de re libro 3. videbimus posteà. 3. quòd ex isto ipsorum facto Scriptura sacra obruta sepultaque iacet humanis traditionibus, & ex animis deletur. 4. quòd etiam res aduersantes Scripturæ statuunt, & multis in rebus simplicitatem veritatemque conuellunt illius. Hoc sibi Lutherus voluit sequente loco, & consimilibus. Probatio in progressu harum disputationum videbitur.

5 Ibid. *hoc enim effugium censemus blasphemiam execrabilem esse.*] Sophistica argutia est à dicto secundùm quid, vt loquuntur. Agit enim Caluinus in Anabaptistas, qui pædobaptismum & alia diuinæ esse institutionis negant: quod illis dant Pontificij studio contentionum in nostros abrepti, & ipse Bellarminus infrà li. 4. cap. 4. & tomo 2. passim; Caluinus dari negat oportere. Tum Anabaptistæ Scripturas obtendunt ad suorum dogmatum cõfirmationem; Pontificij ad auctoritatem Ecclesiæ suæ, id est, infirmorum hominum confugiũt, cùm in multis rebus extra Scripturam, tum in Scripturæ ipsius iusta interpretatione, vt Bellarminus toto lib. 3. & 4. asserit: Caluinus faciendum negat. Deinde Caluinus indefinitè loquitur, quod hic dissimulat: non enim id omnino fieri dicit, in omni causa & tempore. Hoccine igitur mendacium est?

6. Ibid. *verum esse verbum Dei, & certam ac*

ſtabilem regulam fidei.] Nos verò ita ſtatuimus: Propheticos & Apoſtolicos libros ſecundùm mentem Dei per Spiritum eius in Eccleſia teſtatam, & ex ipſis Scripturis (velut perfecto diuinitus inſtrumento) cognitam, hos ſolos verum eſſe verbum Dei reuelatum, & vnicam, certam, ac ſtabilem regulam fidei noſtræ αὐτόπιστον καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἀξίαν.

IN CAPVT II.

1 Art. 1. *Ad interni ſpiritus iudicium, ſcripturis neglectis, remiſerunt.*] Hæc confusè omnia, & partim falsò, partimque captiosè. Moſes, & Chriſtus ipſe cum aliis confunduntur malè: quorum ratio differens: Moſes non confirmauit ex Scripturis Iſraëlem; nam priùs non exſtiterant: canonem Legis primus ſcripſit, non à maioribus accepit; ad Dei verò ſpiritum reuocauit pios, & eis exoptauit illum, Num. 11. & alibi. Chriſtus & Scripturis confirmauit, & teſtificationem Spiritus excitauit, eódem pios aduocans, Ioan. 3. & 6. & 7. & paſſim. Omnium denique commune eſt, ſi à Moſe diſceſſeris, quòd modò Scripturã adhibuerũt teſtem, modò Spiritum, modò vtrumque ſimul: hæc enim coordinata ſunt, vt ipſe quoque Bellarminus agnoſcit lib. 3. cap. 10. in argumento 6. Captioſum verò & cauillatorium illud eſt, quòd dicitur, *Scripturis neglectis:* quam oppoſitionem ineptè fieri principio oſtendimus, quum de ſententia noſtra ageretur. Nam Libertini quid ad nos? Vno verbo, ſemper coniungimus Scripturæ facem foris, & illuſtrationem internam Spiritus; prout in tenebris lucerna foris opus eſt, intus oculorum luce: nam nec in tenebris ſine lucerna videmus, quamuis oculis valentiſſimi

tissimi, nec in media luce vident qui oculis capti sunt: vtrumque verò in omnibus operatur vnus & idem Spiritus, 1. Cor. 12. Sequentia itaque omnia feriunt nos minimè omnium. De ista verò disiunctione, quæ fit toto hoc cap. Libertini & Anabaptistæ viderint.

2 Art. 5. *Si certa non sit, ne regula quidem erit.*] Hæc quidem vera, sed ambigua sunt. Nam regula fidei nota & certa est per se natura sua; quia diuinæ reuelationis est ex superioris scientiæ lumine: nobis verò ita demum nota & certa est, si tenebras internas nostras Deus illustrauerit, & per eamdem reuelationem facultatem & modum cognoscendi nobis indiderit, id est, internam lucem spiritalem suam: quam propterea Paulus in omnibus suis epistolis optare piis non desinit.

3 Ibid. *Nisi fortè diuinis testimoniis, id est veris miraculis confirmetur.*] Hæc minimè sunt vsquequaque vera. Nam priuata spiritus reuelatio aliter iis in quibus inest, aliter verò aliis innotescit. Quibuscunque inest, eis certa & nota esse potest, si & diuinitus afficiat eos intus, & diuinis testimoniis externis, id est, scripturæ consentiat. Aliis verò de aliis nota certaque nō potest esse, nisi diuinis testimoniis apud alios confirmetur, intus quidem spiritus, foris verò scripturæ, operum siue fructuum, atque euentorum; ex quibus alij de aliis ex veritate & charitate iudicamus. Alioquin nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in ipso, 1. Cor. 2. Miracula verò, quæ hîc adferuntur solùm, cùm ipsa sunt extraordinaria (nos autem hîc de notis agimus ordinariis) tum extra veritatem verbi Dei, rerumque, & euentorum nihil sunt, Deuter. 13. & 17. & 2. Thessal. 2.

4 Ibid. *non mentiri Anabaptistam, cùm se à spiritu*

ritu afflatum dicit?] Ista spiritus reuelatio dicitur æquiuocè: itaque nihil ad rem.

5 Art. 6. *nihil est notius, nihil certius.*] Atqui idem in contrarium disputat infrà libro 3. aliquoties.

6 Art. 13. *Sæpe fallacis, & semper incerti iudicio se commiserit.* Rectè sanè, *ea neglecta.* Veruntamen spiritus internus hîc dicitur æquiuocè. Nam Spiritus Dei (qui & vniuersè Spiritus est Ecclesiæ catholicæ, & cuiusque membri singulariter, 1. Cor. 12. vt anima totum corpus nostrum animat vniuersè, & membra singula ipsius) hic capit de sermone Christi, & nobis annunciat, Ioan. 15. qui secus facit, hic æquiuocè eo nomine appellatur: Falsò itaque conclusio ex homonymia conficitur in hoc loco aduersus Spiritum veritatis.

7 Art. 14. *Quid de se credi, quídve à suis agi velit:*] Nempe non docet per internum afflatum solùm, sed coniunctim vtroque modo: nam alioquin hæc copulari oportere antè docuimus; & ipsa quoque hoc postulat analogia, quandoquidem ex animo & corpore constamus, vt agnoscit Bellarminus. Etenim vt nemo nouit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui est in ipso, & cuicunque significauerit; sic nemo nouit quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei, & quibuscunque Deus reuelauerit per Spiritum, Matth. 11. Ioan. 1. & 3. & 6. & 1. Cor. 2.

8 Art. 15. *neque diuinis literis, neq; vllis doctoribus opus habebunt.*] Ambiguè dictum, *per se sapientiam hauserunt*, etsi potest commodè accipi. Addo etiam, falsò dictum, si phrasin illam *per se*, ex Logicorum vsu intelligas. Sed nolumus λεπτολογεῖν in hac causa, nec in sequentibus allegoriis, qui veritatem rerum in simplicitate quærimus.

IN CAPVT III.

1 Art. 2. *internam Spiritus alloquutionem intelligi voluit.*] Videlicet opposite; id est, hāc & illam seorsim ac solam.

2 Art. 4. *Cordibus suorum afflauit.*] Inest igitur piis interna illa spiritus reuelatio, inspiratio, & illustratio, de qua antè.

3 Art. 5. *& lib.* 8. *Gen. cap.* 1.] Is liber est de Genesi ad literam.

4 Art. 7. *lex diuina sicut improbis pœnas, ita præmia bonis constituit:*] At non præstat tamen, vt responsione 6. mox demonstrabitur: itaque non valet consequentia. Verumtamen, ne multis morer, hæc interpretatio cum sequente omnino & reipsa est concursura, si hunc ordinem obseruemus, quòd Lex Dei 1. euincit. 2. irritat. 3. condemnat hominem qui euictus peccati sui ad peccatum ampliùs proritatur.

5 Art. 10. *qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, & quæ sequuntur.*] Hic locus nihil ad argumentum. Non enim de lege simpliciter, sed magis de Pharisaïca legis deprauatione illic agit Christus, vt illa verba ipsius commonstrant, *audistis dictum fuisse antiquis*, siue *ab antiquis*: ac propterea etiam à Christo adducuntur quæ in lege Mosis non compàrent vsquam: cuiusmodi est illud dictum, *odio habebis inimicū tuum.* vide lib. 1. sacrorum Parallelorum, Par. 15.

6 Art. 14. *quippe quæ humanæ infirmitati ad eas implendas vires præbet.*] Imperfecta est demonstratio, quam supplemus in hunc modum: quippe quæ tum Legis complementū in Christo exhibet, Matt. 3. & 5.

& 5. Rom. 8. mortificatione veteris hominis, & noui suscitatione in Christo vireis præbet non ad implendum per nos Legem, sed ad assequendum & prehendendum Christum, qui vnus Legis est πληρωτὴς, & noster τελειωτής. quemadmodum ait Paulus, *viuo iam non ego, sed viuit in me Christus*, Gal. 2.

7 Art. 15. *de sacramentis cæteris vel exhibendis, vel suscipiendis.*] De his deinceps suo ordine & loco dicturi sumus tomo 2. nam quædam hîc falsò dicta sunt, quædam verò ambiguè.

8 Ibid. *vt iacentes sub onere legis, auxilio gratiæ subleuaret.*] imò verò beneficio gratiæ suæ instauraret nos, atque perficeret.

9 Art. 16. *cum Lutheranis & Caluinistis*,] nempe vt [illegible]detur ipsi. Inuidiosè dictum, vt multa.

IN CAPVT. IIII.

1. Art. 1. *sacram diuinamq́ esse, satis, vt arbitror, demonstratum est disputatione superiore.*] Verissima quidem hæc attributa sunt; sed captiosè iunguntur, prædicantur æquiuocè, & de vtroque minus quàm oporteat dicitur, vt deinceps toto hoc libro exempla commonstrabunt. Captiosum est, *sacram diuinamq́* adæquari. Quicquid enim sacrum, id non est diuinum; sed quicquid diuinum, id sacrum dici necesse est: quod explicata æquiuocatione fiet euidentissimum. Aequiuocè vtrumque dicitur. Nam sacrum quicquid dicitur, aut sacrum est reipsa & veritate; aut quadam similitudine, id est, ex opinione institutóve hominum secundùm quamdam imaginem. Similitérque diuinum quod appellatur, aut natura sua ortúve diuinum est, eo quòd purè Dei est, à Deo, aut secundùm

cundùm Deum; aut diuinum dicitur ſecundũ quamdam imaginem, ſiue ex humana inſtitutione & poſitiuo iure, ſiue ex opinione iudicioque præſumpto: hæc ergo ὁμωνύμως. Poſtremò autem minùs hîc quàm oporteat dicitur: hoc enim oportuit dici, Scripturam Propheticam & Apoſtolicam, hanc (inquam) ſolam Scripturam ſacram diuinamque eſſe vniuocè: vt rem propriis verbis, propria ſignificatione, atque ex veritate enunciemus. Hæc omnia puto eſſe euidentia, ſi id exceperis quod de homonymia ſeu æquiuocatione ſtatuimus. Vt ergo conſtet æquiuocatio, age, definiamus ſacram & diuinam ſcripturam, quæcunque eſt canonica, vel continetur canone. Sunt enim hæc Pontificiis ἀντίστροφα, ſi Scriptura ſacra diuinaque, vel canonica appellatur. Atqui duplex eſt canon; eoque duplex canonicum, ſi ad vſum priſcæ Eccleſiæ, & ſterorumque orthodoxorum in ea Patrum reſpexeris; nimirum proprius, & æquiuocus. Proprij canonis dicti vniuocè duæ conditiones ſunt inſeparabiles; quòd veritatem diuinam continet diuinitus materia & forma, & quòd auctoritate diuina eſt publico Eccleſiæ datus & ſanctificatus, vt ſit canon ſiue regula ipſius: atque hic verè diuinus canon, ex iis libris ſolummodò conſtans quos Deus per ſeruos ſuos ab ipſo ἱκανωθέντας ſcripſit, & auctoritate Spiritus ſui obſignauit ſanctificauitque. Alterius canonis dicti æquiuocè conditiones diuerſæ ſunt: nempe quòd ſecundùm partes ſingulas ipſius vniuersè nec veritati primæ & diuinæ per omnia reſpondet diuinitus, nec auctoritate diuina publico Eccleſiæ datus atque ſanctificatus eſt, ſed quædam humano modo & inſtituto ſunt partes illius, quaſcunque non exhibuit Deus; atque hic canon humanus eſt vel Eccleſiaſticus, tum ex libris canonis diuini conſtans, tũ ex aliis quos ab hominibus ſcriptos Eccleſia

Ecclesia accenseri putauit oportere, accensos per manus accepit, & auctoritate humana consecrauit. Diuinus ille canon habet τὸ αὐτόπιστον propriè quarto modo (vt ita loquamur) & obstringit fidem: humanus siue Ecclesiasticus non obstringit, sed veritati eorum qui obstringunt fidem inseruit exponendæ. Prioris itaque classis illius libri soli & semper verè sacri, diuini, canonici, authentici, ἐνδιάθηκοι sunt, nec aliter se habere possunt: Qui verò in posteriorem classem adiecti sunt, ij non verè sunt sacri, diuini, canonici, authentici, & ἐνδιάθηκοι, sed ἀκύρως siue καταχρηστικῶς illo augusto nomine donati sunt. Hos autem non incommodè Athanasius in Synopsi, & alij ita distinxerunt, vt priorem canonem Hebræum, siue πρωτοκανόνα, posteriorem Græcum appellarent in Testamenti veteris argu[m]ento, siue δευτεροκανόνα; quam rem certissimè Iosephus contra Apionem explicauit. In causa fuit, quòd cùm Iudæi in duos ordines diuisi essent; Hebræorum siue Ἑβραϊζόντων, qui in Iudæa commorantes Hebræum textum scripturæ purum ἄνευ προσθήκης retinebant; & Ἑλληνιστῶν, qui alibi agentes vbiuis locorum scriptura Græca & translationibus vtebantur, Ecclesia Christiana prisca diuersum canonem à Iudæis adepta est, Hebræum & Græcum: quem canonem ipsa non fecit, sed accepit factum prout Iudæi tradiderant. Hebræus autem ille diuinus est, vt Iosephus, Athanasius, Epiphanius, Hieronymus, & alij agnouerunt: Græcus verò accessionibus non locupletatus, sed magis corruptus est; quum videlicet Ecclesiæ Orientales Babyloniam versus suas particulas librorum, aut libros integros minùs circumspectos; itemque Occidentales & Ægyptiæ (quarum Alexandrina facilè princeps) puriores probiorésque, non tamen diuinos, adiecissent. Nam Ecclesiasticum, Sapientiam, & Machabæorum

rum libros ab his adiectos esse constat: alios verò, Orientales (nisi me coniectura fallit) contulerunt, in quibus libris plura non adeò proba esse diligens & pius lector facilè animaduertit. Cur ergo sacri, dixerit quispiam, & diuini, & canonici libri isti fuerunt appellati à sanctis Patribus? Primùm non à Christo aut Apostolis, qui Hebræo solùm illo vero canone vsi sunt, ita appellantur, quum fidei canonem firmari oportuit. Secundò auté sancti Patres ita loquuti sunt proximè sequente seculo, tribus de causis maximè; occasione, argumento, vsu. Occasio fuit, quòd ita Græcam scripturam ab Ecclesiis Iudæorum Hellenistarum accipiebant auctam. Si autem resecuissent (quod tamen priuatæ auctoritatis non erat; publicam omnino desiderabat, conuentus, cognitionis, sententiæque publicæ; Ecclesiarum conuentus autem in illa temporum iniuria haberi minimè poterat) vtrosque eâdem offendissent, Iudæos à quibus acceperant, & Christianos quibus illa fuerant iam antè tradita. Publicum autem offendere, religio erat: quamobrem isti libri, vt traditi fuerant, permanserunt. Præsertim verò, cùm horum librorum argumentum de rebus sacris, ac non profanis esset; vsus verò secundarius esset à diuino, librisque canonicis intelligendis inseruiret; placuit Patribus, vt coniuncti quidem illi cum canonicis libris haberentur, sed tamen in Græci canonis ordine, id est, inferiori auctoritate, ac non cum Hebræo canone comparandi. His bene animaduersis, triplex hactenus in Ecclesia fuisse canon dicendus est; proprius, improprius, falsus. Proprius est, qui solas diuinas scripturas complectitur, id est, Propheticas & Apostolicas: Improprius, qui alias insuper scripturas, licet auctoritate inferiores, diuinis accensuit: Falsus denique, qui ex antecedentium confusione humana scri-

na scripta diuinis adæquauit; quod nemo homo vnquam iure potuit facere. In hunc modum etiam memoria nostra Pontificiorum Ecclesiæ officium canonicum, horas canonicas, similiaque dicunt: quas tamen agnoscunt ipsæ non simpliciter esse diuini iuris, sed plerumque ex humano & positiuo proficisci. Hæc ita se habere in singulari examine librorum deinceps confirmabimus: nec verò diffitetur planè Bellarminus ipse controuersiæ 4. lib. 2. cap. 12.

2 Ibid. *publico tamen totius Ecclesiæ iudicio nunquam approbati sunt.*] Huic diuisioni facilè acquiescimus: sed in attributione singulari qua in re dissideamus, suo ordine exponetur.

3 Art. 2. *Esdræ, & Nehemiæ duo.*] His adiungimus librum Esther, Hebræi canonis.

4 Art. 3. *Machabæorũ primum & secundum.*] Ista, quæ veteris Ecclesiæ Iudæorum historiam & alia quædam complectuntur, huic ordini negamus adscribi oportere. Nam Esther primo ordini; reliqua tertio sunt assignanda: cùm illud certò sit Hebræi canonis, hæc Græci, vt proximè distinximus.

5 Art. 5. *Laodicenum can. 59.*] At in hoc quoque recensetur Esther.

6 Art. 8. *eos omnes in sacris diuinísque libris à se habitos non obscurè testentur.*] De hac re posteà distinctè videbitur: nam distinctione opus.

IN CAPVT V.

1 Art. 2. *Albigenses apud Antoninum parte 4. tit. 11. cap. 7.*] Hoc verò apud historicos melioris notæ non meminimus legere.

2 Ibid.

2 Ibid. *quatenus cum nouo Testamento concordat.*] Concordat autem per omnia.

3. Art. 12. *patientiæ exemplum.*] Non eſt Lutheri liber: contrà verò qui Luthero adſcripſit, ei fecit iniuriam, & impudenter indignam adſperſit labem. De ſuppoſitis eiuſmodi ſcriptis laborare hîc, aut etiam deinceps, minimè ſtatuimus.

4 Art. 15. *ipſe ſoleret, quum adhuc eſſet in cœnobio.*] Adulterinum eſt ſcriptum, vitrum (quod aiunt) pro margarito.

5 Art. 19. *prius de libris eius, quàm de amoribus narratur.*] Librum quidem aſſentior à Salomone, quum ſaperet, conſcriptum eſſe: verumtamen hæc propoſitio infirma eſt, ac non neceſſaria; quicquid prius eſt narrationis ordine, id eſſe prius tempore. Hæc propoſitio multis Scripturæ exemplis, & vſu communi, & doctorum conſenſu euertitur. Notum eſt illud Hebræorum dictum in commentariis, *non eſſe prius & poſterius in Scriptura ſacra.*

6. Art. 20. *Sapientia quoq. inquit cap. 2. perſeuerauit mecum.*] Hoc ſibi noluit eo in loco Salomon; ſed hoc tantùm prædicat, ſe magnum fuiſſe & omnibus commodis ac deliciis auctum, etiam quo tempore ſapientia permanebat adhuc penes ipſum. Fallacia itaque diuiſionis eſt, qua in exponendis illius verbis Bellarminus fallitur. Demonſtrat illud Salomon ipſe Eccleſ. 7. quum ait, *omnia illa probaueram in ſapientia: quum dixi, ſapio, ipſa longinqua fuit à me.*

7 Art. 21. *Amare igitur nondum cœperat, quo tempore librum hunc conficiebat.*] Non meminit quidem capite 2. alibi verò fatetur planè, contra quàm hîc dicitur, Eccleſ. 7. 25. & ſequentibus. Alia

B ergo





ergo sapiens primùm scripsit, alia deinde resipiscens.

8 Art. 23. *cùm vtraq; sententia ad id quod modò agimus deseruiat.*] Hanc sententiam confirmo tribus argumentis; inscriptione, narratione, & auctoritate Scripturæ. Inscriptione: nam Ecclesiastes siue anima concionalis ἀμεταβάτως dicitur Salomo, qui venit in Ecclesiam, à qua absfuerat, eamque ingreditur. De priore ingressu nō posse accipi totus liber clamat: ergo de regressu. Narratione: nam cum post annos pauculos quàm ædificia Dei, sua, atque vxoris curauisset, fuisse lapsum nō obscurè colligitur ex Ezech. 4. ergo quæcunque narrat Salomon, ea probare omnia tam breui spatio intercurrente non potuit: & pro eo quòd in translatione vulgata legitur 1. Reg. 11. *quumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres,* &c. oportet legi, *quumque iam senesceret,* &c. Auctoritate: nam hæc sententia adfirmatur Eccles. 7. 23. & 2. Chronic. 11. 17. Dictum Augustini horridulum est, & duriusculum.

9 Art. 26. *multo antè cani voluit carmen nuptiale.*] imò potiùs antenuptiale & sponsalitium, ac non epithalamium.

10 Art. 28. *quæ nomina ad amorem fouendum, vel excitandum pertinent.*] Duplex ad impiam obiectionem istam responsio. Nam 1. negatur obiectio, & falsa est: legitur enim nomen diuinum *Iah*, cap. 7. licet compositum, prout etiam à Mose Exodi 17. vsurpatur: secundò autem, vt non legatur sæpius, tamen per æquiualens (vt vocant) enunciatur, nimirum conuenienter & accommodatè ad typum, prout hoc loco dicitur.

IN CAPVT VI.

1 Art. 2. *Cochlæo lib. de Scriptura & Ecclesiæ auctoritate, cap. 3. & 4.*] De Otthone Brunfelsio falsum est, mendacium Cochlæo dignum: nam etiam notas in Euangelia scripsit Brunfelsius, quæ exstant, & nihil spirant eiusmodi. Sed Cochlæo frequens est στωμύλλειν, quod Bellarminum nescire non oportuit.

2 Art. 4. *vt planè sit hac de re dubitare dementis.*] Sed & materia formaque illorum, quod est rei caput (vt nihil de diuina testificatione dicamus) luculentissimum perhibet testimonium suis auctoribus.

3 Art. 6. *neque id aliunde quàm ex Apostolorum literis discere potuerint.*] Videlicet plurimùm: nam alioquin Iosephus, & profani aliquot historici de eo quoque nonnihil tradiderunt.

4. Art. 11. *Videtur Martinus Lutherus.*] Sed videtur falsò, vt oculo perturbato, sic animo obruto præiudiciis.

5. Ibid. *Pauli ac Petri epistolæ longè præcedant tria illa Euangelia, Matthæi, Marci, ac Lucæ.*] Falsum, & captiosum nominis homonymia. Falsum: nam his verbis nusquam Lutherus vtitur. Captiosum: nam vocis Euangelium æquiuocatione abutitur: quam vocem optimo ordine à Luthero distinctam Cochlæus turbat studio cauillandi. Ostendit enim sua illa præfatione Lutherus Euangelium tribus modis dici. Primùm salutarem nũcium esse de Christo, & substantiam illius: hac significatione vnicum Euangelium esse, Galat. 1. & alibi. Secundò, libros historicos dictorum factorumque Christi: hac significatione

ficatione quatuor Euangelia esse, nec plura, nec pauciora. Tertiò, libros omneis sacros doctrinam de Christo siue narranteis, siue enarranteis & accommodanteis piorum vsui : hac significatione plura esse Euangeliis quatuor, nam & Acta Apostolorum & epistolas Euangelia esse. Ac illorum quidem omnium quatuor Euangeliorum substantiam, veritatem, gratiam eamdem esse; modum verò tradendi & applicationem ad vsum nostrum magis in Euangelio Ioannis quàm aliorum Euangelistarum legentibus conspicuam esse, sic de Apostolorum epistolis. Hæc Origenes, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, omnes denique Patres agnouerunt: quis homo Christianus non probet? quis bonus reprehendat?

6 Art. 12. *Matthæum Marcum, Lucam, & Ioannem.*] Hæc ἀλληγορούμενα, & à visione Ezechielis Prophetæ abludentia: & iis tamen illud Lutheri pronunciatum de Euangelio Ioannis confirmatur.

7 Ibid. *ipsi etiam parietes signis & imaginibus clamant.*] Sic Ioues suos, Iunones, Genios, &c. olim Ethnici probauerunt scilicet.

8 Art. 14. *in sexto libro hist. Eccles. cap. 7.*] Eosdem Elcesæos, & Sampsæos vel Sampsenos dictos auctor nobis est Epiphanius.

9 Art. 17. *negari nullo modo posse videatur.*] Malè ex particulari concludit vniuersè, vt Erasmum oneret. Quamquam Erasmi dictum de memoriæ lapsu in Apostolis aut Euangelistis improbamus. Longè sanctiùs & certiùs idem Augustinus epist. 19. ad Hieronymum, *Ego*, inquit, *fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq́ue deferre, vt nullum eorum auctorem in scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si in eis offendero*

fendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Religioſiùs hæc veriuſque dicta.

In Capvt VII.

1 Art. 1. *de primo ordine ſacrorum librorum diſputatum eſt.*] Nos verò primo huic ordini librum Eſther adſcripſimus ſuprà in cap. 4. nam canonis Hebræorum eſt.

2 Ibid. *carmine quod ſcripſit de genuinis ſcripturis.*] Negatur: hæc enim figuratè ab illis auctoribus fuerũt dicta, ex quibus propriè concludi eſt ἀσυλλόγιστον. Ac Melitonis quidem Sardiani, ſiue Aſiani & Nazianzeni verba ſunt eodem modo figurata. Nam enumeratio omnis fit aut κατὰ λεπτὸν minutatim, aut craſsè & συνεκδοχικῶς. Hi autem ſynecdochicè (vt fit) loquuti ſunt, & vnica Eſdræ appellatione librum Nehemiæ (quod hodie quoque faciunt quàm plurimi) & Eſther complexi ſunt. Atque ita ſentiebant Paula & Euſtochium, quum ſibi ab Hieronymo librorum Eſdræ, Nehemiæ, & Eſther interpretationem dari poſtularent, vt ipſe præfatione in Eſdram innuit. Synopſi verò Athanaſius non agit de libris canonicis tantùm, vereque diuinis ex priſcæ Hebræorum Eccleſiæ canone, qui ſolus diuinus eſt; ſed de canone Græcorum, qui canon humanus eſt, δοξαστὸς ſeu opinabilis, vt cap. 4. nota 1. docuimus. Id verbis & exemplo Athanaſii ipſius confirmamus. Verba eius ſunt hæc: *quidam ex veteribus apud Hebræos pro canonicis reputari dixerunt librum Eſther & hiſtoriam Ruth: hanc cum hiſtoriis Iudicum vno libro comprehendi, Eſther verò ad aliud*

quoddam volumen canonicum pertinere: atque ita numerum viginti duorum librorum apud illos compleri volunt. Quibus verbis oſtendit Athanaſius ſe ad canonem Græcum, id eſt, humanum in ſua Synopſi reſpexiſſe, & illud confirmat quod antè diximus de Melitonis & Nazianzeni cenſu. Exemplo probatur; quia & illos ipſos viginti duos libros aliter diſtribuit Athanaſius, quàm Hieronymus & priſca Eccleſia Hebræorum, quos Hieronymus & Patres alij ſequuti ſunt; & principium libri Danielis ab illis verbis ſtatuit, *Et erat vir habitans in Babylone,&c.* vt alij Græci fecerunt, ſequuti Theodotionem, qui ex Græco Babyloniacarum Eccleſiarum canone iſta adtexuit. Alioquin hæc verba & tota hiſtoria illa nec fuerunt in priſco Eccleſiæ, nec adhuc ſunt in Hebræorum canone. Plura poſſemus: ſed hæc ad rem præſentem ſatis.

3 Ibid. *lib. 1. & 8. bibliothecæ ſanctæ.*] Atqui hæc ipſa capita in cauſa fuerint, cur liber Eſther apud Græcos nonnullos, ſi fortè, non haberetur in canone; quia plus in eo libro exſtabat νοθευόμενον ſiue adulterinum quàm ἐνδιάθηκον. Nos Hieronymo aſſentientes, in illo verè diuino & priſco Eccleſiæ Iudæorum canone conquieſcimus.

4 Art. 2. *annotauimus.*] Hoc nos de eo libro agnoſcimus, qui fuit in Hebræo, id eſt, verè diuino canone: cætera tanti negamus eſſe.

5 Ibid. *de libri huius diuina auctoritate conſentiunt.*] His patribus ſententia iſta falsò adſcribitur, vt nota 2. dictum.

6. Ibid. *his rationibus confirmamus.*] Negamus.

7. Art. 3. *quo tum ipſi, tum Eccleſia vniuerſa eo tempore vtebatur.*] A non diſtributo (vt vocant) ad diſtributum non valet argumentatio: Liber Eſther

ſacer

ſacer eſt, & ſacrum igitur quicquid eſt illius. Tum inconſequens eſt quod dicitur æquiuocè: nam alia ſunt illius verè, puta quæ ſunt in Hebræo canone; alia δοξαστῶς & communi opinione, puta quæ Græcus ſolùm repræſentat canon. Falſa igitur argumentatio. In Concilio certè Laodiceno & ſequentibus aliquot, de iſtis adiectionibus nullum verbum. Hæc autem falſa argumentatio in ſequentibus occurrit millies.

8 Ibid. *Græcorum lingua & literis continetur.*] Vtebatur quidem communiter, ſed diſtinctè & diuerſo modo: nam libris verè diuinis vtebatur religione diuina; aliis verò, humana libertate. Aſſumptionem itaque iſtam diſtinguimus. Nam qui libri à Deo priſcæ Hebræorum Eccleſiæ dati ſunt Hebraicè, ij canonis diuini ſunt, & partes eorum ſingulæ: qui autem libri, & quæ librorum partes in Teſtamento vetere non ſunt Hebraicè, ij (vt Auguſtinus non obſcurè innuit lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 23.) ad Eccleſiam Hebræorum minimè pertinuerunt diuino cenſu; ac proinde nec diuini canonis fuerunt vnquam, nec fieri canonici vnquam diuino modo ab Eccleſia ſequente potuerunt; licet adſcripti canoni humano fuerint Eccleſiaſtica primùm conniuentia, deinde audacia imperati. vide in caput 4.

9 Ibid. *qui nomine lxxij. interpretum circumferuntur.*] At Deus bone, quàm interpolati! quàm mutati! quàm aucti ſequentium adiectionibus! vt nota 2. de Daniele dictum. Teſtis Hieronymus.

10 Ibid. *his 7. adiunctis capitibus retulerunt.*] Nempe in ſacrũ canonem communiter appellatum: ſed cum hac diſtinctione, quòd pars eius ſacra eſt propriè diuinitusque, pars ſacra humanitus & æquiuocè dicitur, vt antè. ſic Athanaſius, Hieronymus, alij Pa-

tres: quod Dionysius ille Carthusianus, Hugo, Caietanus, & Sixtus Senensis animaduerterunt.

11 Art. 4. *Augustinum epist.199.ad Ecdiciam.*] Hæc argumentatio: Qui libri, quæ capita in sacris numerantur, & pro testimonio adferuntur, ij sunt sacri: hæc capita sunt eiusmodi: sunt igitur sacra. Maior plura habet rogata, vt vocant; partim ambigua est, partimque falsa. Prius membrum est ambiguum: nam sacri libri dicuntur æquiuocè, vt cap. 4. ostendimus. Posterius falsum: nam neque Bellarminus ipse, neque alius quisquam mentis compos affirmaturus est sacra esse quæuis scripta, vnde vel sanctissimi auctores testimonia petiuerunt. Aratum, Menandrum, Epimenidem, siue Callimachum adduxit Paulus: an eo sacra dicuntur eorum scripta? Nunquam ex sanctitate aut veritate vnius dicti, sanctitas & veritas totius scripti rectè affirmatur. Hoc vel Bellarmini ipsius testimonio constat infrà cap. 18. in argumento 4. contra epistolam Iudæ. Itaque peccatum duplex. Nam quum dicitur, hoc allegatur à sanctis hominibus, est igitur sacrum; fallacia est non causæ, vt vocant: non enim quia sanctum est per se, adducunt Apostoli; sed quia adducũt Apostoli, eo sanctificatur dictum quod per se non erat sanctum. Sapienter itaque Tertullianus lib. 1. ad vxorem, *memor illius*, inquit, *versiculi sanctificati per Apostolum, Bonos corrumpunt mores congressus mali.* Quum verò dicitur, hæc particula sacra est, totum igitur sacrum, sermo est inconsequens: nam à parte ad totum in quantitate non est necessaria argumentatio.

12. Ibid. *sacram & canonicam esse demonstrat.*] Nihil horum dicit Origenes: sed tantùm affirmat partes illas apocryphas apud LXX. & Theodotionem esse:

se: quas siquis eo tempore, id est, nouellæ quodammodo Ecclesiæ velit expungere, is totius Scripturæ auctoritatem apud exteros infirmosque in Ecclesia (quorum maximus numerus) in discrimen vocauerit: ac propterea vel à commouendo malo bene posito, vt loquuntur, statuit abstinendum esse causa ædificationis publicæ. Non enim de illis adiectionibus singulariter, sed communiter de toto Scripturæ corpore loquitur, quum ait, *Vide ergo, ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur paßim in Ecclesiis*, & quæ sequuntur: quod pius Lector vel mediocriter attendens comperiet verissimum. Atque hæc illa est occasio, quam suprà cap. 4. nota 1. exposuimus.

13 Ibidem. *vt deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros.*] id est, corpus Scripturæ sacræ, vt modò diximus; ex occasione particularum istarum, quas amoueri tunc quàm ferri fuisset futurum periculosius. vide quæ Parallelis sacris in Lucam, Parallelo 60. à nobis adferuntur.

14 Art. 5. *maxima atque antiquißima est.*] Nemo homo, ac ne omnes quidem simul, aut Concilia omnia, rem quæ non est sanctificata diuinitus, sanctam possunt diuino modo efficere. Petitio est principij. Iustum fuisse Concilium negamus: tum etiam, vt iustum fuisset, tamen potestatem eiusmodi (quæ Dei solius est, nec cum rebus creatis communicata vnquam in cœlo & terra) negamus habuisse. Sed quàm rectè ait Bellarminus, *antiquißima*? nempe Concilij ante annos 40. habiti. Hem antiquitatem.

15 Art. 6. *multæ aliæ partes sacrorum librorum, Danielis, Marci, Lucæ, Ioannis, apud catholicos in discrimen vocarentur.*] Negatur consequens: primùm quia ex particulari non procedit argumentatio;

ſecundò quia diſſimilia ſunt exempla, ſi vnum Danielis additamentum exceperis. Nam alia omnia canonica ſunt diuinitus, & ſemper, & in Eccleſia tota, aut certè à pauculis ſolùm inſcientibus imprudentibúſve interdum, aut hæreticis inſanis oppugnata: hæc verò non item. Cætera quæ ſequuntur, nihil ad nos: etſi nihil ſunt aliud quàm ξυλομάχαιρα ἐλεφαντίκοπος, quod aiunt. Sixtus viderit.

16 Art. 8. *Euangelio ac ſymbolo decantato?*] Eadem petitio principij, de ſinu teſtimonium. Scilicet Romana illa Eccleſia ius habet ſingulare, quamuis non Romano iure, vt facto ſuo probet ac defendat aſſeratque factum ſuum.

17 Art. 9. *in textu Hebraïco fuiſſe, deinde caſu aliquo excidiſſe.*] Sic habet argumentatio: Quæ nec Hebraicè fuerunt ſcripta, nec Iudæorum Eccleſiæ à Deo tradita, & ab illa Chriſtianæ noſtræ, nec habentur in Hebræo canone; ea ſunt ſuppoſititia, nec ad teſtamenti veteris canonem verè diuinum vllo facto humano pertinent: ſeptem iſta capita nec Hebraicè fuerunt ſcripta, &c. ſuppoſititia ergo ſunt, nec ad illum pertinent. Propoſitionem concedit Bellarminus, at minorem negat auctoritate primùm (vt videri vult) Origenis. Atqui negamus hoc vſquam ab Origene fuiſſe dictum: in loco antè adducto nihil eiuſmodi, veſtigium nullum. Tum ne probabile quidem eſt ea fuiſſe vnquam ſcripta Hebraicè. Prætereà nunquam ex probabilitate neceſſaria exſiſtit conſequentia: res autem fidei τὸ τῆς ἀνάγκης βίαιον deſiderant. Poſtremò caſu de canone aut hoc aut aliud quippiam negamus excidiſſe: hoc nemo ſine atroce in priſcam Eccleſiam iniuria affirmauerit: fuit enim illa Iudæorum Eccleſia religioſiſſima depoſitaria Dei, & libraria fideliſſima

Eccleſiæ

Ecclesiæ nostræ: quod omnes agnouerunt Patres. Vide lib. 2. cap. 1. & infrà.

18 Ibid. *neque adiicere me aliquid seorsum, neq; subtrahere me promittens.*] Et quî ostẽdat Bellarminus de illis potiùs Iosephum sumpsisse, quàm illa ex Iosepho sumpta? Verùm vtrumuis dixeris, Iudæorum ἑλληνιστῶν Orientalis Ecclesia fuit sementis istius longè feracior, quàm ea quæ cis Iudæam versabatur: Iosephus autem libros transtulit quidẽ Hebraicos (quamuis non admodum sciens Hebraicè) non diuinos solùm atque canonicos; sed & alios quoslibet, etiam fabulosissimos, destrinxit; & in iis ipsis quos transtulit inspersit aliena, vndecunque accesserint, diuino canoni non admodum respondentia: quemadmodum ex singulis ferme paginis remotæ & abstrusæ illius ἀρχαιολογίας probari potest, vbi fabulosa & contraria plurima canoni pius lector facilè deprehensurus est.

19 Art. 10. *summam tantùm historiæ conscripsisse:*] Alterum commentum probatione carens. Si qua autem summa historiæ conscripta est, hæc profectò diuina illa & canonica est quam nos agnoscimus: cætera sunt fabulæ omni & probatione & probabilitate destitutæ, de quibus ipsum Hieronymum præfatione in librum Esther appellamus testem.

20 Ibid. *solùm translationem ad nos peruenisse.*] Ergo exciderit. Sed heus Bellarmine, vtrius Ecclesiæ culpa? Hebrææ, an nostræ? Huc reuocet pius Lector ea ipsa argumenta, quæ in causa persimili ab ipso adducuntur infrà lib. 2. cap. 2.

21 Art. 12. *quædam ad finem, vt cap. 18.*] Istas anticipationes & hysteroseis accipient qui volent: narrationes tamen falsas esse clariùs meridie pòst demonstrabimus

ſtrabimus ex canonicæ hiſtoriæ veritate. Probationes Bellarmini priùs expendamus.

22 Ibid. *vbi omnia ſuo ordine collocata ſunt;*] Supple, Romanæ editionis, quæ nuper auctoritate Sixti v. Pontificis Romæ curata eſt, poſtquam Bellarminus cum fratellis ſuis de re tota communi cauiſſet. Nam & eodem anno primùm opus Bellarmini editum eſt Ingolſtadij: quam editionem Bellarminus certè non temere hac noua ſepultam voluit, ne cui fortè hoc artificium facilè innoteſceret. Atqui nec Aldina, nec Complutenſis, nec aliæ ſic habent, de quarum fide per colluſionem iſtam Romanam derogari minimè oportuit.

23 Ibid. *ex annotatione S. Hieronymi inſerta cap.* 1[illegible] *&* 11. *& ſequentibus huius libri in Bibliis Latinis.*] Profectò ne γρῦ quidem illic eſt quod cauſam Bellarmini iuuet: conſulat Lector. Sed cur præfationem eius in librum Eſther diſſimulat? vbi hæc verba ſunt: *Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus* (fortè *funibus*) *trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri; ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitari, quibus verbis vti potuit qui iniuriam paſſus eſt, vel ille qui iniuriam fecit.* Hoc ab Hieronymo καττυμάτων iſtorum ellogium.

24 Ibid. *quid huius libri ſit, & quid etiam non ſit in codicibus Hebræorum*] imò verò quid ἐνδιάθηκον, & quid apocryphum. hoc priſca Eccleſia voluit, hoc noui homines ſubruunt.

25 Art. 13. *Eſther Aſſuero coniungeretur.*] Dura ſanè legentibus anticipatio, quam optimo iure quis negare poſſit. Sed eſto.

26 Art. 14. *per illa verba, datis pro delatione muneribus.*

muneribus.] Loci pugnantes aliquot omittuntur, & vnicus dicis causa obiicitur. Huic respondetur falsa anticipationis specie, vt antè, & violenta verborum cap. 12. interpretatione; quam vtramque negamus. Sed alios pugnantes aliquot adferamus. Primùm dicitur cap. 11. 2. Mardochæus anno secundo Artaxerxis fuisse vir magnus & administer in aula Regis: in Hebræo nihil de Artaxerxe, nihil de Mardochæi dignitate: nam latebat obscurus, quum Esther pupilla abducta est. Secundò, cap. 11. 3. fuisse de numero captiuorum quos Nabuchodonozor cum Ieconia deportauit. Inscitum chronographum, qui à seculo Ieconiæ ad ætatem Artaxerxis vsque hominis vnius vegetam ætatem produxerit. Hoc nusquam dicitur in canone, & pòst confutabitur. Tum Mardochæum requieuisse in vestibulo aulæ regiæ cum Bagatha & Thara, cap. 12. 1. Commentum: id enim fecit Mardochæus non ex vocatione publica à Rege, sed ex priuato studio officioque in Regem & Reginam Esther. Quartò, Regem fuisse iratum aduersus Estheram venientem ad se, cap. 15. 7. & seq. contra quàm disertè affirmatur in Hebræo canone, Esther 4. & 5. Quintò, caput 16. totum (prout Hieronymus quoque in Prologo monuit) scholasticam declamationem esse, cùm à rescriptorum Persicorum forma, tum à rei veritate dissidentem. Nam literas Regis alio fuisse argumento vera historia narrat cap. 8. 11. & rescripta Regum Persidis Mediæq. nunquam mutari libri Danielis, Estheræ, & Esdræ aliquot locis prædicant: quod hic vnus scilicet παραχαράκτης negare audet. Sed hæc satis. Eiusdem generis est (ne actum agamus) sequens anticipationis glossema.

27 Art. 17. *in Babylonem à Nabuchodonosor Re-*

ge Chal-

ge Chaldæorum, Esther 2. & 11.] Falsum. Non enim Mardochæus ipse Ieconiæ tempore, sed Kis abauus ipsius fuit deportatus, Esther 2. 5. quòd declamator ille, qui Estheram notham istam conscripserat, non intellexit, cap. 11. 3. Ex falsa igitur interpretatione loci inepta argumentatio.

28 Art. 20. *proprium Regum Persarum.*] In Hebræo canone semper Assuerus, non Artaxerxes dicitur.

29 Art. 26. *Porrò Iudæi,*] Eorum quidam, non autem omnes.

30 Ibid. *qui Persarum monarchiam destruxit.*] Fallacia est ex homonymia: nam duo, atque adeò plures fuerunt Nehemiæ re & tempore diuersi, licet cognomines.

31 Art. 27. *Cùm ipsum Cyrum 3. tantùm annis regnasse iidem Iudæi velint.*] Nimirum in Babylonia: hi enim regni Cyri principium statuunt à Babylonici regni occupatione.

32 Art. 30. *Artaxerxis, qui idipsum prohibuit.*] Nos verò Artaxerxem docemus alterum ab Assuero esse: & Scriptura sacra ibidem testis est.

33 Ibid. *eosq́ue tandem Alexandro duce, imperio spoliarent.*] Adde, quòd satis fuit principium belli exponere, cui Alexander magnus imposuit finem: nam hoc demum facto, vehementissimæ procellæ in Iudæorum Ecclesiam fuerunt excitatæ, quarum causâ prophetia illa fuit reuelata à Domino.

34 Art. 31. *Sunt anni 95.*] Nec verò necesse est, vt in spatium temporis tantum protrahatur historia: vt posteà demonstrabimus.

35 Art. 35. *non igitur historia huius libri ad tem-*

pora

pora Mnemonis referenda est.] Hæc auctoritas aliqua ex parte infirma est. Nam Aggæus & Zacharias Darij nothi, Esdras etiam Artaxerxis Mnemonis, Nehemias denique ipsis Darij Ochi scribebat temporibus. Quid, quòd bona Psalmorum pars diu post hæc tempora fuit comportata, & adscripti multi? Atque hæc tamen scripta sunt canonica. Quod autem vitam Esdræ vltra tempora Artaxerxis Longimani extendi negat, alienum à veritate est: nam & Darij nothi, & Artaxerxis Mnemonis vixit temporibus.

36 Art. 37. *Est igitur postrema sententia, eáque meo quidem iudicio maximè probabilis.*] Ex imperperfecta enumeratione conclusio vitiosa: nam Xerxis nulla facta est mentio, ad quem historia Esheræ pertinet.

37 Ibid. *Artaxerxem, qui dictus est Longimanus.*] At nos reiicimus, tum rationem habentes temporum, tum verò auctoritatis sacræ, Esdræ 4. vbi reges illi Persarum ordine recensentur accuratissimo.

38 Ibid. *peritißimus rerum Hebraïcarum erat.*] Hîc verò nō potest maior esse illius auctoritas, quàm esse antè ostendimus nota 18. & 35. vide nota 18.

39 Art. 38. *Artaxerxis Longimani superuixerit?*] Hæc obiectio nihil momenti habet: antecedens enim, siue conditio propositionis hypotheticæ istius prouenit ex falsa loci interpretatione; vt nota 27. demonstrauimus, itaq. non est alia responsione opus, vt quæ nihil aliud quàm effugium est.

40 Art. 39. *Mardochæum translatum fuisse in Babylonem cum Rege Ioachim:*] Hoc nusquam Scriptura affirmat. Et otiosa est responsio, & friget, quia vitrea subtilitate est.

41. Ibid.

41 Ibid. *idem verisimile est de Iosue filio Iosedech.*] Ludicra est interpretatio dicti, & exemplorum, nec confutatione digna; vt quæ in rebus euidentissimis captat homonymias.

42 Ibid. *nisi quia Ioseph, in cuius lumbis ipsi erant, in Aegyptum intrauerat.*] Neutro loco dicuntur animæ 70. cum Iacobo venisse in Aegyptum: aliter Moses loquutus est Gen. 46. 27. & Deuter 10. 22. hic ergo non Mosem interpretatur, sed phrasin suam affictam Mosi. Aliena omnia.

IN CAP. VIII.

1 Art. 2. *cum lectionibus aliorum sacrorum librorum legi iubet.*] Ita est argumentatio: Quem librum Ecclesiæ auctoritas in Concilio Tridentino & in Breuiario sanciuit, is sanctus habendus est: Librum Baruch sanciuit: ergo. Negatur propositio. Nam primùm nec penes Ecclesiam integram est, nec penes Concilium integrum, nec penes Breuiarium, aut Agendam (vt vocant) ex re humana diuinam efficere, & pro diuina imperare. Deus gloriam istam sibi propriam seruat quàm propriissimè (vt ita dicam) nemini vnquam daturus est. Secundò, si non est penes Ecclesiam integram, aut Concilium integrum, multo minùs penes corruptam, vitiosamque Ecclesiam aut Concilium futura est rei illius faciendæ auctoritas. Tertiò, omnium minimè futura est penes Ecclesiam ream, aut Concilium ex reis Patribus constitutum, quos ex æquo cum aliis viris bonis secundùm verbum Dei agere oportuerat, non omnia suo arbitratu, suo commodo, grauissimaque aliorum iniuria decidere. Quid? quòd ne sessioni quidem illi quartæ iusto numero

numero; ſed quaſi res ludicra ageretur, pauci de tanto numero adfuerunt in tanta re perſcribenda? qui tamen certatim omnes accurriſſent, ſi de Epiſcopatibus, Abbatiiſque (vt poſteà factum) præbendis, annatis, decimis agendum cognouiſſent. Hæ denique non ſunt partes Eccleſiæ, non Concilij; ſed morbi peſtilentis Eccleſiam infeſtantis vulnera. Falſa igitur concluſio.

2 Art. 3. *nihil oportet, inquit, addere diuinis vocibus.*] Hæc argumentatio: Quos libros adducunt Patres, & ſuggeſtionem Spiritus ſancti, diuinos, canonicos, Scripturam diuinam vocant, ij ſunt pro talibus habendi: Librum Baruc adducunt, &c. ergo. Negamus propoſitionem, ſi generalem facit: ſi indefinitam, nō procedit argumentatio. Sed eſto generalis (nā multi homines ita ſunt comparati, vt generaliter falſum malint dicere, quàm ſpecialiter & in ſingulari contra ſe pronunciare veritatem) falſa, aut æquiuoca omnia. Primum propoſitionis caput, quos libros adducunt Patres, eos pro diuinis habendos, confutauimus in cap. 7. nota 11. Secundum, quòd Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, de eo dicto enunciatur, non autem de toto ſcripto: nemo autem ignorat à parte ad totum in quantitate non valere conſequentiam. Cætera dicuntur æquiuocè, vt in cap. 4. nota 1. dictum, & nota 8. cap. 7. Concluſio igitur eſt irrita. Non enim Hebræo, id eſt, diuino canone, ſed Græco ſiue humano cenſentur diuini, ſancti, canonici, & ſi quid eſt eiuſmodi.

3 Art. 4. *vt patet ex libro Hieremiæ cap. 36.*] Negat Hieronymus præfatione in Ieremiam. Tum enunciata hæc ſunt ſynecdochica: ineptè verò ex figurata loquutione concluſio propria efficitur. Prætereà in

reà in fallaciam incurritur ex elenchi ignoratione: nam fuit quidem notarius Ieremiæ in Iudæa Baruc: sed ista scripsisse dicitur in Babylonia anno quinto, Baruc 1. 2. quum Ieremias iamdiu in Ægyptum raptus esset, vbi est mortuus. Postremò quicquid aliquis notarius scribit, non est authenticum, sed tantùm id quod ex mandato ac fide publica tamquam notarius perscripserit. Negamus igitur ista: & hanc esse negamus causam illius synecdoches; sed illam potiùs, quòd exiguus libellus est, qui tum ne excideret, tum vt facilior inuentu esset, maiori libro velut appendix affixus est. Sic enim liber Ruth ad Iudicum, & liber Esther ad libros Esdræ & Nehemiæ adiicitur. vide nota 2. cap. 7.

4 Ibid. *partem esse iudicabant Hieremiæ vaticiniorum.*] Negamus: nam veram causam proximè præcedente nota expressimus.

5 Ibid. *Pelagius 1. in epist. ad Vigilium.*] Hæc omnia synecdochicè, vt modò exposuimus, eò quòd liber Baruc libro Ieremiæ adtextus esset.

6 Art. 5. *non poterit certè Baruch repudiari, nisi Hieremias etiam repudietur.*] Negatur conclusio: plus enim est in ea quàm in præmissis. Tum ex dispari conclusio iniqua: nam blasphemia non caret, qui libros Græci canonis cum libris Hebræi canonis, id est, verè diuinis æquauerit.

7 Ibid. *de libris Baruch, nullam apud eos controuersiam exstitisse.*] Hic finis pugnat cum principio capitis: Bellarminus memoria lapsus est.

IN

IN CAPVT IX.

1 Art. 2. *idem senserunt.*] id est, non habent eum pro canonico (quod inuidiosè Bellarminus enunciat) siue nullam scripturæ sanctæ auctoritatem præbent his (vt Hieronymus ibidem vocauit) fabulis. Nec mirum: cùm nec Hebraicè scriptus, nec Hebræorum Ecclesiæ datus, nec ad nos per eam transmissus fuerit hymnus iste, & sequentes historiæ. vide in cap. 7. nota 17. Aliud autem est nihili facere; aliud, tanti facere quanti scripta humana oportet fieri; aliud denique, tanti facere quanti diuina fiunt & sanctificata à Domino in Ecclesia ipsius. Nos hunc hymnum in medio illo genere ponimus.

2 Art. 3. *verè esse canonicas.*] Nobis verò constat non esse canonicas.

3 Ibid. *post Dominicam 5. Quadragesimæ.*] Principium petitur, vt cap. 8. nota 1. dictum.

4 Ibid. *lib. 2. aduersus Hieronym.*] Sanè legebantur, sed à Lectoribus solùm, & maximè catechumenis, vt humanitus vtiles, non vt diuinitus canonici. Athanasius in Synopsi, *Præter hos*, inquit, *sunt & alij veteris instrumenti libri non canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur:* & eis enumeratis subiicit, *isti sunt veteris testamenti non canonici.* Non secus alij Patres. vide in cap. 13. not. 7. Adducit Ruffini testimonium in Hieronymum inuehentis. Duo respondebo. Prius, sapientis non est, testimonium hominis furentis adducere: quis enim magis furenter scripsit, quàm Ruffinus iste, quum in Hieronymum inueheret? damnatum calculis bonorum omnium, Bellarmine, scriptum adferendo in causam tuam, perdis eam & pro-

dis. Posterius, quin à Ruffino furente ad sedatum magisque composito animo scribentem conuertebas te? Sic enim ille ad verbum in suo Symbolo: *Sciendum tamen est*, inquit, *quòd & alij libri sunt, qui non sunt canonici, sed Ecclesiastici à maioribus appellati sunt:* nempe quòd in Ecclesia præferrentur profanis scriptis, & à Catechumenis legerentur, vt ipsis vsui essent ad sacræ Scripturæ intelligentiam. Deinde verò post librorum integrorum enumerationem subdit: *Quæ omnia legi quidem* maiores *in Ecclesiis voluerunt; non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam*. Tandem verò de reliquis libris, qui nec diuini siue Hebræi canonis essent, nec Ecclesiastici (vt vocat) vel Græci, subiicit; *Cæteras verò Scripturas apocryphas nominarunt, quas [in] Ecclesiis legi noluerunt*. Hæc triplex illa distinctio[, q]uam nota 2. posuimus, & quam Bellarminus hîc præcisè negat, à Ruffino illo Aquileiensi, dum compos sui ipsius esset, comprobata. vide cap. 4. nota 1.

5 Art. 5. *Hæc omnia ad corpus diuinæ scripturæ pertinere.*] Horum omnium vnica est argumentatio, inconsequens & æquiuoca, vt antè expositum cap. 4. nota 1. & cap. 7. nota 8. & 10. & seq. ex æquiuocatione nihil sequitur.

6 Art. 6. *ex editione Theodotionis, in qua editione hæc omnia habebantur.*] Nos verò credibile negamus esse: verumtamē distinctionem adhibemus. Nam duorum Conciliorum quæ hîc adferuntur ratio est differens: Laodicenum agit de canonicis priore modo, id est, diuino; Carthaginiense de canonicis secundo modo, id est, Ecclesiastico. Demonstrat Laodiceni illius hypothesis: Quum enim submitterentur in publicum Ecclesiæ humani libri, cantica, &c. factus est canon 59. in hæc verba, Gentiano ipso interprete:

prete: *Quòd non oportet priuatos & vulgareis aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos; sed solos canonicos veteris & noui testamenti.* Deinde verò subiicitur eorum recensio, quam temerè multi in nouum canonem transformarunt, his verbis; *Hæc sunt quæ legi oportet:* nimirum in Ecclesia publicè: *Ex veteri Testamento, Genesis,* &c. At, dices fortasse, Apocalypsis omittitur: ergo Patribus Laodicenis non fuit canonica. Respondeo, non sum nescius multis Patribus apud Græcos Apocalypsin non fuisse pro authentica habitam, Hieronymo & Nicephoro testibus: sed aliud est de particulari huius aut illius opinione dicere, aliud de communi iudicio Concilij. Itaque respondeo, non valet argumentatio, vt loquuntur, à diuiso sensu. Non enim agebant illi simpliciter, qui libri essent canonici; sed qui libri canonici publicè in Ecclesia legendi essent: omnes autem canonicos, præter Apocalypsin, publicè in Ecclesia suis temporibus legi censuerunt oportere: Apocalypsin, non quòd negarent esse canonicam; sed quòd non putarent per illud tempus expedire vt legeretur populo, ex eo numero exceperunt, prout delectus in proponẽdis Scripturæ libris habendus est. Carthaginiense verò de canonicis secundæ classis agere ex argumentis certis constat euidentissimè. Nam 1. quasi rogatio, ac non sanctio est: quid autem fuisset opus rogari placitum, quod inde à principio Apostolis & toti catholicæ Ecclesiæ placuerat? & Laodiceni illius cautio comprobauerat? rogatur ergo, vt libros non solùm priore modo canonicos, quod Laodicenum cauerat, sed & posteriore canonicos in Ecclesia liceret legere. 2. hoc insuper ad eumdem canonem additur: *hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat:* ac si dicerent, se nondum pla-

nè constituere, sed aliorũ quoq. fratrum iudicia exspectare velle, quia id quod omnes tangit (vt loquuntur vulgo) ab omnibus decerni debet. 3. demonstrat sententiam nostram proximè sequens rogationis membrum, quum aiunt: *Liceat etiam legi paßiones martyrum, quum anniuersarij dies eorum celebrantur.* Vt illud addam, hæc septimi sunt, non tertij Concilij Carthaginiensis placita, post consulatum Honorij 12. & Theodosii 8. habiti, quo tempore Ecclesiæ Rom. præerat Bonifacius, vt verba ipsa actorum clamant, & Surius ex certis quibusdam libris fideliter annotauit: Sed ea Gentianus Heruetus pro sua fide posteà sustulit. Quid hæc aduersus veritatem canonis? commodè teneatur vbique distinctio illa homonymiæ, de qua in cap. 4. nota. bene habebunt omnia: hæc enim certa est Patrum illorum sententia.

7 Art. 7. *quid Iudæi dicerent indicasse.*] Falsum: non enim respondet Hieronymus simpliciter illic quid sentiat; sed callidè dissimulat suspenditque sententiam suam, vt importunam illam Ruffini litem declinaret: nam cur auribus prehendas canem?

8 Art. 8 *dicere historias, quas Iudæi fabulas vocant;*] Faciliùs effugisset dicendo Hieronymum loqui μιμητικῶς ex Iudæorum sensu. Sed quid opus est multis? ipsi LXX. fideliùs agentes quàm Theodotio in hoc argumento inscripserunt non Danielis Prophetæ esse, qui fuit de tribu Iudæ; sed Danielis alterius filij Habdæ Sacerdotis historiam esse, scriptam ab Habacuc filio Iesu de tribu Leui, prout Eusebius & Apollinarius apud Hieronymum præfatione in comment. Danielis referunt: tum agnoscunt omnes non esse de Hebræo canone, qui solus verè diuinus est; postremò ne ipse quidem Theodotio affirmat eas diuinitus canonicas

nonicas ſcripturas eſſe. Hoc nobis ad cauſam ſufficit. Verùm quum reſponſionis certum modum Bellarminus non tenet, ſed alterum ſuggerit, an non videt ſtare ſimul vtrumque non poſſe? Nam aut hunc, aut illum affirmari oportuit.

9 Ibid. *non tamen fictam & falſam, ſed certam & veram.*] Nouimus μύθυ, & fabulæ nomine quoduis enunciatum appellari ſecundùm etymologiam; ſecundùm vſum verò communem & oratorium notari λόγον ψευδῆ εἰκονίζοντα ἀλήθειαν, vt definiunt Græci: ſed vtut acceperis, non eo conficitur ſcripta iſta in canonicis cenſeri oportere. atqui hoc agitur.

10 Art. 10. *ex Hieruſalem in Babylonem, vt dicitur Dan.* 1.] imò verò cum Rege Ioakim an[te] deportationem Ieconiæ, Dan. 1.

11 Art. 12. *narratur hiſtoria Belis deſtructi, & draconis interfecti.*] Negamus: probatio vlla nec temporis, nec anticipationum adferri poteſt, quas hic licenter Bellarminus facit. Quòd autem ait, *in Græcis codicibus*, eodem modo obſerua dici quem antè cap. 7. nota 22. oſtendimus. Alioquin probatio nulla.

12 Art. 13. *non poſſent eos ab imminenti malo liberare.*] Huic reſponſioni facilè acquieſcimus: nec enim magni momenti, aut certa eſt iſta obiectio. Sed tamen veritatis cauſa pium Lectorem admonebo alucinari Hieronymum in illo contentionis æſtu nõ mediocriter, & imprudentem adferre probationes à vero alienas. Nam primùm falsò inſcriptionem capitis 8. apud Ezechielem rapuit ad caput 14. quod tamen caput diu pòſt enunciatum eſſe & argumentum docet, & ſeries capitum quæ apud illum Prophetam eſt inprimis accuratiſſima. Secundò etiam falsò interpre-

tatur verba illa, *anno sexto*, Ezech. 8. de anno sexto Ioakimi regis: cùm Propheta Ezechiel deductus sit in Babyloniam cum Ieconia rege, qui post Ioakimum regnauit, huius verò temporibus Daniel fuerit deportatus, Dan. 1. Tertiò, æquiuocationem nominis *Eunuchus* in sacris Scripturis vsitatam aut non vidit Hieronymus, aut dissimulauit, quod magis putem, vt causæ suæ in Iouinianum inseruiret. Quid autem ex suppositionibus falsis concludatur, viderint docti.

13 Art. 15. *fuisse sex diebus, vt dicitur cap.* 14.] Hîc responsiones duæ sunt στοχαστικαὶ, pugnantes inter se, & incertum earum demonstrantes: nam aut eumdem fuisse Danielem, aut duos necesse est, siquidem hic alter fuit. Bellarminus autem palpat in tenebris, vtraq; in partem inclinet nesciẽs. Ac priorem quidem historiam agnoscimus, nam est diuini canonis: posterior ne verisimilis quidem videtur esse. Quod vel eo demonstramus euidentissimè, quòd Darius Medus regno Babyloniæ præfectus est, Scriptura teste; Cyrus verò ex prædictione Ieremiæ profectus aliò expeditionem instituit in Massagetas, nec Babylone substitit, prout Herodotus atque Xenophon tradiderunt.

14 Ibid. *cùm certum sit priorem fuisse de tribu Iuda.*] Hoc effugium alterum: sed si ita est, hæc igitur narratio non est eiusdem auctoris: non ergo canonica diuinitus, quod etiam ab Hieronymo sæpius affirmatur.

15 Art. 16. פרק·] Hæc quidem est verborum copia; sed tamen non planè συνώνυμος, vt Bellarminus putat. Grammatici viderint.

16 Art. 17. *quibus in Græco responderet allusio ad verbum scindendi.*] Coniectura est ἀδοκίμαστος, quæ eadem facilitate qua asseritur negari potest. Negamus

interpre-

interpretem id auctoritatis sibi assumpsisse. Atque hæ quidem obiectiones quas Bellarminus colligit. Sed cur alias dissimulat? Exempli causa, non est credibile Babylone conuentus iuridicos apud Ioakimum habitos, id est, à victis apud victores, permissu ipsorum: annuos magistratus electos qui populum gubernarent: penes eos fuisse cognitionem dictionemque iuris capitalem: damnatam reuocari in iudicium per puerum, nouamque restitui cognitionem criminis: examen per eum fieri: denique plus ab eo & libertate maiore procurari in ciuitate regia Babyloniorum, quàm apud Iudæos vnquam in repub. & regione sua licuerit genti ipsorum. Sed hæc satis: ad alia maturemus.

In Cap. x.

1 Art. 1. *reiiciuntur ab Hebræis.*] id est, à prisca Iudæorum Ecclesia, in qua diuinus librorum veteris testamenti canon religiosè fuit asseruatus sine adiectione aut deminutione vlla.

2 Ibid. *tantum abest vt eam recipiat.*] Falsum: nam Caluinus communem loci interpretationem arguit, non auctorem libri. Quod enim dicit, vana opinione hominum venisse idola in mundum, id verissimum est: atque istius receptæ opinionis exempla adfert commodè. Sed Caluinus reprehendit eos qui in illo vnico exemplo statuunt idolorum fontem, cùm ab auctore plura adferantur. Cæterùm & librum Sapientiæ, & alios omneis, de quibus hîc agitur, propriè canonicos & diuinos negamus esse.

3 Art. 2. *Ecclesia verò catholica libros istos vt cæteros pro sacris & canonicis habet.*] Nos nega-

mus eos sacros esse & canonicos diuinitus primo illo modo, de quo cap. 4. nota 1. & alibi passim à nobis dictum.

4 Art. 3. *Rabanus lib. 2. de institut. clericorum.*] canone videlicet Græco & Ecclesiastico, vt in cap. 4. distinximus, non Hebræo & diuino illo: secundùm quam distinctionem Gelasius 1. ipse in Decreto libros sacros distinctè & Ecclesiasticos nominat. De Concilio Carthaginiensi diximus suprà cap. 9. nota 6.

5 Ibid. *cum aliis, qui sunt infallibilis veritatis.*] Propositio hæc est: Qui libri ponuntur eodem ordine, eadem proprietate sunt: hi libri ponuntur eodem ordine cum aliis qui sunt infallibilis veritatis: ergo. Maior, si vniuersè dicitur, falsa est: nam & Augustinus negat lib. 2. de doctr. Christ. Deinde est æquiuoca: nam alij ponuntur eodem ordine propriè, alij æquiuocè. Propriè eodem ordine ponuntur inter se, quicunque verè diuini sunt ex Hebræo canone; æquiuocè verò, qui ex canone Græco sunt vel Ecclesiastico cum illis componuntur. Nihil sequitur ex homonymia. Priorum iustus census authenticè diuinus est, posteriores accensi & ascriptitij humana auctoritate sunt: quam quis pius sciens prudens diuinæ æquauerit?

6 Art. 4. *librum esse canonicum, est esse infallibilis veritatis.*] Eadem æquiuocatio: nam Concilium æquiuocè scripturas canonicas & diuinas vocat; hic verò argumentatur ex propria significatione vocum: quod est ἀνακόλουθον. Hæc verba canonis: *Placuit, vt præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum.* Nempe quia iam obtrudebantur multa Ecclesiis sub nomine diuinarum scripturarum, tria hoc canone distinguuntur luculentissimè; puta diuinæ scripturæ, canonicæ, & quæ sub diuinarum

uinarum nomine obtrudebãtur ampliùs. Diuinæ sunt diuinitus authenticæ, & omni exceptione maiores, canone 59. Concilij Laodiceni fermè ex institutione Dei expositæ. Canonicæ sunt, quæ etiam canone Ecclesiastico fuerunt accensæ, quibuscum fuit κατα χρηστικῶς diuinarum scripturarum communicatum nomen. De cæteris ergo Concilium illud Carthaginiense statuit, ne quæ præter canonicas illas iam receptas in Ecclesia legerentur sub diuinarum nomine. Turbat Bellarminus cõfusione rerum, quæ tam perspicuè in illo canone distinguuntur, & illudit æquiuocatione. Vide in cap. 9. nota 6.

7 Art. 5. *quomodo ergo erunt norma & regula libri illi, qui non sunt infallibilis veritatis?*] Imò verissima est distinctio nominis sumpti æquiuocè. Nam qui diuinitus sunt canonici, ij sunt per se infallibilis veritatis, quia sic dicti vniuocè: qui verò sunt canonici Ecclesiæ censu, ij præsumptam habent, ac non infallibilem veritatem, quia æquiuocè dicti. Hi enim ab hominibus habent, quòd dicuntur canonici; illi habent à Deo, quòd sunt canonici, & dicuntur esse, nec vnquam desinunt esse canonici, quamuis totus oblatraret mundus. Atque in hanc sententiam Augustinus optimè argumentatus est.

8 Art. 6. *prophetas & hagiographa.*] de libris testamenti veteris loquitur.

9 Art. 7. *omnes libros canonicos esse infallibilis veritatis:*] nempe de iis libris qui diuinitus sunt canonici, in testamento vetere, ex Hebræo; in nouo, ex Apostolorum canone, de quo mox dicturi sumus.

10 Ibid. *æquè certi sumus de auctoritate omnium librorum, nec vnum alteri præponere debemus.*] Negatur hæc solutio tota. Nam 1. falsum illud est,

Augu-

Augustinum non fuisse certum, an essent libri canonici, qui, & quomodo essent: non enim quærit ipse; sed aliis, si fortè incerti sunt, exponit viam leuandæ ipsorum dubitationi & Inscientiæ. 2. falsum est, rem non fuisse adhuc ab eo definitam, cuius omnino res diuinas est definiendi auctoritas. 3. falsum est, rem illam, vt definiretur, vnquam à generali Concilio pependisse, aut generale Concilium pro auctoritate vnquam definiuisse, vt rebus diuinis huiusmodi auctoritatem inderet. 4. fallit Bellarminus indignè, quum ea quæ de canone testamenti noui dicuntur ab Augustino, canoni veteris accommodat, contra iustas scientiæ leges à parte vna ad alteram conficiens argumentationem. Ac primum quidem illud adeò certum est, & Augustini scriptis vbique contestatum, vt quisquis contrà affirmare audet, indignissimam sancto illi viro faciat iniuriam. Tertium libro 1. controu. 4. si Deus volet, demonstrabimus. Quartum, agere Augustinum de libris testamenti noui (cùm hîc nobis sit de libris veteris quæstio) verba ipsius clamitant: dicit enim, *in canonicis scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt quæ Apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerunt.* Quorum verborũ vt miser corruptor Gratianus est *dist.* 19 *c. in canonicis.* ita econtrario auctorem interpretemque optimum habemus Tertullianum lib. de præscriptionibus, cap. 36. quum ait, *Age iam, qui voles curiositatẽ meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur sonantes vocem & repræsentantes faciem vnius cuiusque. Proximè est tibi Achaia: habes Corinthum: si non longè es à Macedonia, habes Philippos; habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes*

bes Ephesum: si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est statuta. Hæc certa verborum Augustini interpretatio: quæ verba de libris testamenti veteris accipere foret ridiculum, de eis autem hîc propriè intercedit nobis controuersia. Secundum est operosius: quamobrem hîc postremo loco illud visum est recensere, vt probationem eius commodiùs institueremus. Dico igitur, solius Dei esse auctoritatem definiendi res diuinas & verbum ipsius: dico eum iam olim definiuisse verbum & Scripturam suam, non lacinias Conciliorum exspectasse: dico id eum fecisse per se, & per testes omni exceptione maiores Ecclesiæ suæ tradidisse & testatum esse. De his tribus videamus paucis. Primum certè negare quisquam non potest, quin eadem opera naturam communem & naturam Dei negauerit. Nam ex natura communi, quisquis liber est, ipse definit verbum suum, indicem & sensus & voluntatis suæ. Quid autem liberius natura Dei principatum sensus, voluntatis, verbi denique sui supra modum rerum creatarum omnium obtinentis? Quod Ethnici naturæ luce viderunt ad naturam diuinam pertinere, qua fronte Christianus id eripiat Deo? finita creatura vlla nec modum ponere potest Deo, nec diuinum modum rei creatæ ac finitæ imponere, nec diuinæ finitum suum. Hoc igitur quod agimus, est Dei solius opus. Secundum disertis verbis Bellarminus negat, dicens rem tum nondum fuisse à generali Concilio definitam. Imò verò, Bellarmine, neque tunc, neque nunc à generali Concilio fuit definita, neque ab eo definietur vnquam, vt sit canonica. Non definiuit Scripturam Concilium vllum Ecclesiæ, sed definitam à Deo accepit, & acceptam à Deo veneratur ac colit. Definiuit autem Deus solus in testamento vetere & nouo per se, &

ſe, & teſtatus eſt tradiditque per ſeruos ſuos. Nam in teſtamento vetere (vt iuſta enumeratione perſequamur omnia) duo diſtincta fuerunt tempora, quibus Scripturam ſuam tradidit Eccleſiæ Deus: vnum, ſtante arca teſtimonij & ſacerdotio inſtructo Vrim & Thummim; alterum ſublata arca & illo reſponſorum modo qui inde à Moſis ætate fuerat obſeruatus. Planè illo vtroque ſeculo auctoritatem Deus indidit Scripturæ ſuæ, non per Eccleſiam, ſed per ſe in Eccleſia ſua. Nam priore ſeculo Deus præſens re & ſymbolis loquutus eſt, ſcripſit, ſcripturamque ſuam verbo, ſignis, operibus, euentis conteſtatus eſt, obſignans auctoritatem illius ex arca, per fumum, per Vrim & Thummim, &c. poſteriore verò, quum inſtrumenta illa ſymbolica eorumque ſignificationes fuerunt ſublata, aliis omnibus modis conſtanter auctoritatem impreſſit Scripturæ ſuæ, adeò vt omnes maieſtatem Dei in veritate Scripturæ agnoſcerent, conſenſumque illius cum antecedente Scriptura religiosè vererentur. Quid enim pauculis Ieremiæ ſcriptis, quid Ezechielis, Danielis, Eſtheræ, Eſdræ, & Nehemiæ libris defuit auctoritatis illius, ſi à ſymbolicis illis indicationibus diſceſſeris? quid prophetiis Zachariæ, Aggæi, Malachiæ? quarum auctoritati Eccleſia ſæpe vel inuita ceſſit: tãtum abeſt vt Synedriis ſuis auctoritatem ſcripturis diuinis attulerit. Quid de nouo Teſtamento dicam? *Deus vltimis hiſce diebus loquutus eſt nobis in Filio,* Hebr. 1. qua auctoritate, niſi ſua & ſupra Eccleſiam, vt Deus, vt Seruator, vt caput illius? ſcripſit ipſe, non quidem per ſuam, ſed per ſanctorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum manum, ipſe verba menti, ipſe ductus manui præiens, & in vtriſque imprimens faciem maieſtatis ſuæ. Expediam argumentatione vna. Quiſquis eſt abſolutè Princeps, reſcriptis ſuis ſolus abſolutè indit

tè indit principalem auctoritatem suam: Deus, Christus est absolutè princeps: ergo rescriptis solus absolutè auctoritatem suam indit. Quid enim? à quo peteret extra se? à suis, an ab exteris? A suis ne? at sunt ipsius. An ab exteris? at contra ius est ab exteris peti: tum qui sunt Deo exteri? secundùm naturam nemo est Deo extraneus, omnes versamur in vniuersitate ipsius, omnes in ipso viuimus, mouemur, & sumus, Act. 17. secundùm gratiam electi, fideles sunt domestici: nullo iure scriptura gratiæ ab inimicis gratiæ auctoritatem habuerit. Alteram, si placet, argumentationem addamus. Quod simpliciter est atque vniuocè, dignius est & valentius eo quod est tantùm secundùm quid atque æquiuocè: Deus est princeps, & auctoritas eius principalis simpliciter atque vniuo[...]: dignior igitur & valentior Deus, auctoritasque [...]ius. Imò verò infiniti infinita est auctoritas: quid infinitæ illi auctoritati finita hominum & Ecclesiæ auctoritatis vmbra adiecerit? Qua ex re id omnino sequitur quod rectè affirmat glossa *dist. 19. c. in canonicis.* omnes scripturas canonicas æqualiter esse recipiendas: nam quorum infinita est auctoritas, eis gradus inæqualitatis non possunt competere. Sed huius auctoritatis præbita Ecclesiæ fuit à Domino testificatio duplex: vna interna, per eumdem Spiritum per quem dictata fuit Scriptura sacra: altera externa, per Prophetas & Apostolos, velut instrumenta & administros Dei ex Ecclesia desumptos, & supra Ecclesiam institutos immediatè à Domino, vt perfungerētur legatione ipsius. Nam quemadmodum Princeps ordinariè in suos omneis auctoritatem habet; si quos verò de numero suorum eligit quos mandatis instruit ad suos, illi Principis sui auctoritatem in legatione repræsentant; in seipsis verò singularia sunt communitatis membra,

quæ

quæ nihil per ſe niſi teſtimonium præſtare poſſunt:
ſic etiam Dominus Ieſus Chriſtus omnem auctorita-
tem in Eccleſiam obtinens, eaque Scripturam ſuam
muniens, Apoſtolos ſuos & Prophetas ſua auctorita-
te inſtruxit in legatione commiſſa ipſis ſupra corpus
Eccleſiæ ſuæ: qua ratione fit, vt ſecundùm legationem
ſupra Eccleſiam ſint; ſecundùm ſe verò in Eccleſia
ſint vt membra ipſius, auctoritatem Domini ſui & le-
gationis ſuæ teſtificantia. Quam autem teſtificatio-
nem Apoſtoli & Prophetæ Chriſti ediderunt in com-
muni Eccleſiæ; eam, licet non æquali modo, Eccleſia
perhibet membris ſuis ſingularibus. Itaque duplex il-
la teſtificatio ad membra ſingula Eccleſiæ pertinet,
interna per Spiritum, & externa per Prophetas &
Apoſtolos in Scripturis ſacris per Spiritum Dei &
manuum ipſorum exaratis: ſed accedit inſuper Eccle-
ſiæ communis teſtificatio auctoritatem Scripturæ non
dantis, ſed traditam conteſtantis, & fouentis in mem-
bris ſingulis ipſius. Nec propterea tamen æqualis pu-
tandā eſt Eccleſiæ teſtificatio illi Prophetarum Apo-
ſtolorumque teſtificationi; tantum abeſt vt ſuperior
appellari poſſit. Nam illa immediata eſt à Chriſto, &
ab omni labe aliena atque inculpata planè, & extra
ordinem data ad principium generationemq. aut re-
ſtitutionem Eccleſiæ: hæc mediatè per Apoſtolos &
Prophetas à Deo excitata, implexa infirmitate & in-
ſcientia, & ordinaria ad conſtitutionem generatæ Ec-
cleſiæ confouendam. Quis autem neſciat teſtimonij
immediati, atq. mediati, inculpati & infirmi, extraor-
dinarij & ordinarij rationem inæqualem eſſe? Negabit
Bellarminus inæqualem eſſe, quandoquidem illis ad-
miniſtris Dei Eccleſia ſucceſſerit. At nos Eccleſiā pri-
mùm negamus in Apoſtolatū ſucceſſiſſe: in doctrinam
quidem ſucceſſit, quæ (vt Irenæus loquitur) ſucceſ-
ſio prin-

sio principalis est; in Apostolatum verò, id, est, legationem illam fundamentalem minimè: hæc illorum solùm extraordinaria, illa Ecclesiæ est ordinaria & singulorũ membrorum ipsius. Deinde negamus operationem Spiritus sancti æqualiter in Ecclesiæ agere administratione, ac in Apostolis egit: nam illi perfectè & inculpatè egerunt quod legationis est, id est, doctrinæ sacræ; Ecclesiam non peræquè agere Spiritus operatione, si nobis affirmantibus, si veritati contestanti non credunt, saltem suis Conciliis, suo Decreto, suis epistolis Decretalibus credant: vbi non diuersa solùm, sed & pugnantia multa reperias. Ad summam, his bene expensis asseueramus falsum esse Bellarmini dictum, quia generalia Concilia rem totam definiuerint, eo nos æquè certos esse de auctoritate librorum omnium. Nam primùm sunt libri æquiuocè dicti sacri: nunquam æqua futura est eorum auctoritas, atque librorum est qui sacri dicuntur vniuocè. Secundò autem falsum est, de verè sacris nos æquè certos esse, quia Concilia rem totam definiuerint; cùm antè fuerimus certi quàm ista Concilia exstiterint; & Conciliis contrà nulla sit auctoritas, nisi quam à sacris libris & Scriptura sacra perceperint. Probamus ratione, auctoritate, historia. Ratio triplex suffecerit argumentatione vna: Auctoritas testimonij immediati, inculpati, & extraordinarij à Principe dati omnino superat auctoritatem mediati, infirmi, & ordinarij à popularibus: Superat igitur testimonium Apostolorum testificationem Ecclesiæ & Conciliorum eius. Auctoritas omnis idem affirmat: nam propterea Christus respiciens ad Apostolos dicebat Ioan. 17. *Non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Paulus Ephes. 2. *Superstructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Contesta-

tur Ecclesiæ auctoritas, Scripturam velut regulam præmittentis, deinde ex ea populum instruentis atque cohortantis, vt ait Iustinus Martyr apologia 2. & ipsum quoque exemplum & obseruatio Pontificiorum, memoria nostra ad lectionem Scripturæ capita aperientium, & quum Euangelium legitur assurgentium, non ad prædicationem illius: vt eo symbolo religioso profiteantur se ipsi verbo Dei & Scripturæ sacræ plus honoris auctoritatisque quàm prædicationi siue concioni, id est, verbo Ecclesiæ tribuere. Accedat Patrum auctoritas, Iustini martyris Apologia 2. Irenæi lib. 3. cap. 1. & sequentibus, Clementis Alexandrini Stromat. 6. Tertulliani lib. de præscriptionibus, Origenis in Ioannem, omnium denique ex ordine sanctorum Dei seruorum qui in Ecclesia olim floruerunt. Eleganter Chrysostomus in cap. 1. epistolæ ad Galatas, *Hac*, inquit, *Christus ipse inducit in parabola loquentem Abraham, declarans se velle plus fidei haberi Scripturis, quàm si mortui reuiuiscant. Paulus verò etiam Angelis & cælo descendentibus præponit Scripturas: idq́; valde congruenter. Siquidem Angeli quamlibet magni, serui tamen sunt ac ministri. Cæterùm omnes Scripturæ non à seruis, sed ab vniuersorum Domino Deo venerunt ad nos.* Nec malè Gregorius lib. 4. epist. *quid est Scriptura sacra, nisi quædam epistola Dei omnipotentis ad creaturam suam? Et certè sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni iam Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi priùs quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnouisset. Imperator cœli, Dominus hominum & Angelorum pro vita tua epistolas suas tibi transmisit*, & quæ sequuntur. Quis, obsecro, epistolis atque rescriptis huiusmodi auctoritatem conciliet in cœlo, aut in terra? Ad historiam veniamus: cuius auctores habemus Iustinum martyrem, Irenæum, Tertullianum,

tullianum, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, Theophylactum, & alios magnos in historia viros: quorum conuenientem veritati historiam ex verbis singulorum prout quisque plenius bonam partem illius retulit, audiamus. Sic ergo Irenæus in præfatione libri 3. *Solam veram ac viuificam fidem ab Apostolis Ecclesia percepit, & distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Euangelij; per quos & veritatem, hoc est, Dei filij doctrinam cognouimus: quibus & dixit Dominus, Qui vos audit, me audit; & qui vos contemnit, me contemnit & eum qui misit me.* Et capite 1. *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos per quos Euangelium peruenit ad nos: quod quidem tunc præconiauerunt, posteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam antè prædicauerunt quàm perfectam haberent cognitionem; sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Posteà enim quàm surrexit Dominus noster à mortuis, & induti sunt superueniente Spiritu sancto virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terræ, ea bona quæ nobis à Deo sunt euangelizantes, & cœlestem pacem hominibus annunciantes, ipsi quidem & omnes pariter, & singuli eorum habentes Euangelium Dei.* Hactenus primum membrum historiæ Ecclesiasticæ, conuenienter historiæ sacræ conditionem Apostolorum, & ex auctoritate ipsorum auctoritatem Euangelij supra Concilia, Ecclesiam, & mundum vniuersum denique explicans, euidenterque demonstrans (vt cum Augustino dicam lib. 17. contra Faustum Manichæum, cap. 3. *Euangelium esse auctoritate illorum firmatum*; non Ecclesiæ, non Concilij, ac ne Angelorum quidem è cœlo. Secundus historiæ locus est, Ioannem Apostolum,

lum, qui postremus vixit Apostolorum omnium, canonem Scripturæ sacræ, tum historicum Euangeliorum in Euangelio suo, tùm didacticum atque propheticum in Apocalypsi, clausula Apostolica & planè diuina obsignasse, qua & Apostolorum Prophetarumque scripta verè diuina contestando profiteretur, & alia omnia exterminaret, ne cui vel Concilio, vel Ecclesiæ, vel Angelo, vel mundo liceret diuina specie quicquam adtexere. Nàm in Euangelio Ioan. 21. & illa testatur sufficere Ecclesiæ Dei, & alia oneri potiùs quàm vtilitati fore, etiamsi vera de Christo & Euangelio adferrentur: in Apocalypsi autem, quum rogatu Ecclesiarum Asiæ fines circumscripsisset Scripturæ canonicæ, totum illius corpus grauissima contestatione muniit, mucrone Apostolico alia configens omnia, ne qua credenteis falleret παρείσακτον, quum ait, *Contestor cuiuis audienti verba Prophetiæ libri huius, siquis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto*, &c. Apoc. 22. Atque hoc illud est tempus, quod cùm multi alij Patres notauerunt, tum Hieronymus luculentissimè ad Eusebium scribẽs procemio suo ad commentarios in Matthæum, & Theophylactus, quorum verba breuitatis causa omittimus. Tertius historiæ locus est, eumdem Apostolum & Euangelistam, prout canonicos libros consignauit, sic etiam alienos à canone & scriptos humanitus ex canonicorum scriptorum albo expunxisse atque exterminauisse, vt nihil in Ecclesiam vllam specie auctoritatis diuinæ immitteretur quod non verè diuinum existeret. Eius rei singulare exemplum & obseruatione dignum apud Tertullianum est libro de baptismo cap. 17. quum de Quintillanis ait, *Quòd si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendiq́ defendunt: sciant in Asia Presbyterum, qui eam*

scripturam

ſcripturam conſtruxit quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum apud Ioannem atque confeſſum id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceßiſſe. Repetitur idem ab Hieronymo atque Sophronio, libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Hæc vera canonis in teſtamento nouo hiſtoria: quam eo copioſiùs viſum eſt explicare, quia non omnibus pateſcit; & tamen apud orthodoxos Patres occurrit paſſim: docens Deum per Prophetas & Apoſtolos, non autem per Concilia auctoritatém ve Eccleſiæ, canonicis libris diuinam fidem & ſacroſanctam maieſtatem confirmaſſe, quam nemo homo augere, minuere, aut mutare poſſit. Quòd ſi etiam hæc omnia de libris teſtamenti noui comperirentur vera, quod tamen negamus; non continuò verè de libris teſtamenti veteris enunciari poſſent: nam de eis ne ipſe quidem Bellarminus ignorat, nullum omnino Concilium, vtut generale fuerit, poſt Christum & Apoſtolos debuiſſe iudicium ſibi, aut potuiſſe arrogare. Perpetua itaque hîc eſt fallacia *ἀπὸ τοῦ μὴ αἰτίου*, à non cauſa vt cauſa. Non enim quia generalia Concilia ſic definiuerunt, hi libri ſunt infallibilis veritatis; ſed quia ipſi per ſe ſunt infallibilis veritatis, ideò Concilia ſic definiuerunt. Auctoritatē indit Deus, & vi ſuperioris luminis oſtendit; Eccleſia verò accipit, & ſuo modo teſtatam facit. Qui plus Eccleſiæ tribuunt, hi ſoli fœnerentur lucem.

11 Art. 8. *& tamen de eius veritate dubitari poſſe dicat:*] Falſum: nam canonici, vt in principium capitis 4. oſtendimus, dicuntur æquiuocè. Et Auguſtinus ipſe diſtinguit manifeſtè, tum communiter lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 23. tum verò ſingulariter lib. 2. in epiſtolam 2. Gaudentij, cap. 23. *hanc quidem Scripturam*, inquit, *quæ appellatur Machabæorum non habent Iudæi, ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos; quibus*

Dominus testimonium perhibet tamquam testibus suis, dicens: oportebat impleri omnia quæ sunt scripta in Lege & Prophetis & in Psalmis de me: Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, &c. Vnum Augustini locum Bellarminus postulat: ecce autem de multis duos; quorum posteriore non fidem præcipit adhiberi ad libros apocryphos, quasi infallibilis veritatis, sed sobrietatem atque iudicium. De Concilio autem Carthaginiensi diximus antè in cap. 9. nota 6.

12 Ibid. *cap. 5. & alibi passim.*] Nempe agit omnibus his in locis Augustinus de libris canonicis diuinitus atque cœlesti instituto, non adscriptitiis humanitus. sic deinceps.

13 Art. 9. *nunquam canonicos dici à Hieronymo eos libros de quibus dubitari possit.*] Negatur distinctio cum sua hac commentitia interpretatione. Dicuntur quidem libri hagiographi, vt canonici & sacri, bifariam: nam alij diuinitus sunt hagiographi, qui omnes fuerunt scripti Hebraicè; alij humanitus iudicioque humano adscripti, qui exstiterunt Chaldaicè, vt præfatione in Tobiã docet Hieronymus, aut Græcè solùm. Sed triplice fallacia hîc Bellarminus vtitur. 1. æquiuocationis, quum illud nomen hagiographi, quo Hieronymus vtitur æquiuocè, in alteram æquiuocam interpretationem rapit ab Hieronymi mente prorsus alienam, vt modò ostendimus. 2. ignorationis elenchi; nam agebat Hieronymus de Iudæis sui temporis æquè ac præcedentium inde ab Euangelij promulgatione; quæ autem de arca Bellarminus adfert, ea de tempore ipso Babylonicæ transportationis & sequentibus non possunt dici, cùm arca nunquam exstiterit inde à temporibus Regis Sedechiæ. 3. figuræ dictionis, quũ Epiphanij testimonio non intellecto abutitur.

abutitur. Id enim expresse dicit Epiphanius, in canonicorum numerum non referri ea scripta, quæ neque in ἀέρων, neque in arca federis fuerunt reposita. In arca autem federis nihil erat omnino, nisi tabulæ Legis, 1. Reg. 8. 9. in ἀρῶν verò, id est, in arca seu capsa ecclesiastica (sic enim Hebræi & Syri vocant promiscuè) fuerunt omnia canonica scripta Hebraicè. hoc ergo genus tertium à Bellarmino excogitatum vbinam fuerit? Postremò autem viderit disputator, quomodo hæc duo simul constare possint, quòd ait scripta hæc esse canonica, & hæc eadem scripta hagiographa appellari ad distinctionem canonicorum & sacrorum. Quod si est, hæc scripta, Bellarmino teste, nec sacra, nec canonica futura sunt.

14 Art. 12. *constat enim semper fuisse aliquos fide dignos, qui hos libros canonicos putarent.*] Hoc probari non potest: negamus hoc & sequens responsionis argumentum.

15 Art. 13. *rem istam definire voluit:*] Imò non fuit penes Ecclesiam; nec illa, si sapit, hoc sibi arrogat, quod gloriæ solius diuinæ est.

16 Ibid. *non igitur cogimur semper dubitare, etiamsi aliquando dubitatum est.*] Prior hæc probatio falsa & ambigua est. Falsa, quia non adfirmat Hieronymus; sed ita ait, *hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse.* Ambigua, quia sanctæ Scripturæ dicuntur æquiuocè, vt cap. 4. nota 1. ostendimus. hîc enim sanctæ latiore significato appellantur, sicut & passim.

17 Art. 14. *Apocalypsin vt verè canonicam, cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 56.*] Non valet à simili argumentatio, quia hîc ratio dissimilis. Nam vniuersa Ecclesia veteris Testamenti adeò constanter vnico illo

Hebræo canone acquieuit, vt ne semel quidem legatur de auctoritate librorum suorum dubitasse, vtrùm non essent in canone: de his verò libris testamenti noui, qui iam in exemplum trahuntur, non vniuersa Ecclesia ipsa, sed quædam solùm membra illius ex inscientia ambigebant, vtrùm in canone essent; aut putabant secus. Quòd si prisca illa Ecclesia de libris sui temporis nec voluit, nec potuit aliter pronunciare, quia sic eos auctoritate Dei Apostolorumque acceperat; quid faciat Ecclesia sequens, si de auctoritate librorum canonica volet statuere contra alteram illam viam ab Augustino præscriptam?

18. Art. 15. *satis esse, si habeat aliqua testimonia hominum fide dignorum illius temporis, vel certè proximi.*] Nos verò negamus quemquam esse illius temporis ex Ecclesia Iudæorum, qui hoc affirmet: prætereà negamus hoc de libris testamenti veteris vnquam post Christi & Apostolorum (quorum auctoritas omnibus Conciliis antestat) tempora constare ampliùs cuiquam potuisse. Inanis ergo Bellarmini defensio.

19 Art. 16. *ista enim non sunt nostra asserta, sed ipsorum mendacia.*] Primùm non dicit Chemnicius ista in hunc modum, neque omnibus impingit Pontificiis; sed esse ait qui hoc dicant, & esse qui illud. Locus est examinis parte 1. deinde verò de æquiualente (vt ita loquamur) dicunt ipsi palàm, nimirum de ipsis fidei articulis, teste versu in glossa Decretalium, *Articulos soluit, synodumq; facit generalem*, &c. Quid verò illud quod ait Innocentius 3. *cap. proposuit nobis. de concessione præb. secundùm plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare?* & similia multa.

20 Ibid.

20 Ibid. *epistolam Iacobi paulatim tempore procedente meruisse auctoritatem.*] nempe apud eos homines siue particulareis Ecclesias, apud quas priùs non obtinuerat; cùm tamen in se & per se eamdem cum scriptis cæteris auctoritatem in catholica Ecclesia haberet planè. Quàm bene hic ex particulari concludit vniuersè!

21 Art. 17. *& hoc sufficit.*] Negatur: nam neque ab Apostolis, neque à prisca illa & primitiua Ecclesia probari potest habuisse.

22 Ibid. *dixissent eos esse diuinos.*] Inconsequens, & æquiuocum: nam diuinos secundo modo appellabant, de quo suprà in caput 4. fallacia est ἐξ ὁμωνυμίας.

23 Ibid. *viderunt esse conformes aliis.*] At non viderunt bene, si quibus ita visum.

24 Ibid. *quod argumentum habere non poterant qui in prima Ecclesia fuerunt.*] Nempe receperunt, quum iamdiu ille Christianorum sensus, & gustus corruptus esset: hoc verò quid ad probationem facit?

25 Art. 19. *librũ Pastoris, qui est noui testamenti.*] Falsùm: nam duplex fuit liber inscriptus Pastor; alter veteris testamenti, quem Clemens Alexandrinus in Stromateis adducit aliquoties; alter noui, cuius auctor Hermas Pij 1. Romani frater. De priore Hieronymus videtur agere. Inconsequens argumentatio ex homonymia.

26 Art. 20. *Hieronymus posteà recepit.*] Hanc rationem antè refellimus nota 10. & sequente. De libro Iudith antè diximus nota 16. & pòst dicemus ampliùs cap. 12.

27 Ibid. *vt ex ipso canone manifestè deducitur.*] Atqui verba canonis loquuntur vniuersè. Sic enim

Gelasius, *Et non solùm de Ruffino*, inquit, *sed etiam de vniuersis quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit.* Id autem zelo Dei fecit, quòd diuinum canonem, id est, Hebræum, ab Ecclesiastico, id est, Græco secernebat, prout obstrictus religione fidei tenebatur. Et quid aliud clamant singulæ præfationes illius?

IN CAP. XI.

1 Art. 1. *testimonia Conciliorum & Patrum paulo antè adducta.*] Principium petitur, quod antè multoties negauimus. Nam nō potest dare quisquam qu[illegible] non habet: nullum autem Concilium diuinam au[illegible]ritatem habet: igitur nec dare potest eam, licet G[illegible]gorio imprudenter reclamante, *dist.* 15. *c. sicut sancti.*

2 Ibid. *nec tamen omittit Tobiam.*] Ab auctoritate istorum testimoniorum non valet argumentatio, 1. quia est inconsequens eo modo quem cap. 7. nota 7. ostendimus: secundò quia inest æquiuocatio, quum isti libri, qui humanitus fuerunt exarati, cum Scriptura computantur, & diuini, sacri, canonici, &c. appellantur. vide cap. 4. nota 1.

3 Art. 3. *Hæc sententia cōmunior est & verior.*] Negamus: vide quæ in locos illos annotauimus. Duæ obiectiones aliæ reticentur: vna, contineri in libro Tobiæ res non planè conformes reliquæ scripturæ canonicæ, sed quæ redoleant fabulas Iudæorum: altera, etiam res contineri cum scriptura canonica reliqua pugnanteis: quod pij & eruditi homines facilè queunt animaduertere. Cæterùm qui priùs affirmabat Hieronymum libros istos pro canonicis nō agnouisse, quòd generalia

generalia Concilia nondum eo tempore definiuissent, quid hîc superioris seculi adducit Patres ad sententiæ suæ confirmationem?

In caput XII.

1 Art. 1. *testatur sanctus Hieronymus præfatione in Iudith.*] vide suprà cap. 10. nota 16.

2 Ibid. *huic Hebræorum sententiæ opponit Nicænæ Synodi auctoritatem.*] Negamus per oppositionem hæc ab Hieronymo dici: nam contrà per συγχώρησιν vel concessionem dicit ex postulantis hypothesi, *Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui po[stu]lationi vestræ, imò exactioni,* &c. Obseruent lectore[s] verba, *legitur, computasse*: & nomen illud *sanctarum* [æq]uiuocè dici meminerint, vt sequentibus etiam testimoniis. Nam alioquin cur mendacia Iudithæ in offensionum argumentis Bellarminus ipse numeraret? infrà lib. 2. cap. 15. Deinde, cur in Concilio Carthaginiensi illo, quod toties obducunt, & consimilibus nulla fit istius prærogatiuæ mentio? Rogatus ergo fuit Hieronymus vt librum Iudith Latinum faceret; præsertim hoc argumento, quòd Synodi Nicænæ iudicio probatus esset. Itaque de Nicæna synodo id legi non negat Hieronymus; sed fidem esse penes auctorem iubens, se facturum esse annuit tum propter auctoritatem illam, tum propter bonorum postulatum. Non valet ergo consequutio ab eo quod ex hypothesi dicitur ad dictum (vt vocant) simpliciter.

3 Ibid. *inter diuinos libros honorare & prædicare testantur.*] Sacri & diuini æquiuocè: vt cap. 4. nota 1. dictum.

4 Art. 5. *Deiocles v. Rex. Med.*] Deioces, Herodoto lib. 1. & ita deinceps.

5 Ibid. *ab aliquo alio fuerit.*] Nempe variis temporibus aucta, vt de Athenis narratur, Roma, & aliis consimilibus.

6 Art. 7. *Eusebius in Chronico.*] Cepit Cyaxares, euertit Astyages filius ipsius, quemadmodum in Prophetam Nahum adnotauimus.

7 Art. 11. *tempore autem Darÿ Hystaspis, templum quidem reædificatum est.*] vt multi putant.

8 Ibid. *iterum euerteretur.*] Quòd si non fuit reædificatum mandato eius, quid causæ fuit, cur templo (quod nondum erat) metuerent?

9 Art. 16. *& Darÿ maximè floruit.*] Hæc coniectura tota valde infirma est: nam multorum nomina in hoc narrationum genere frequenter omittuntur.

10 Art. 18. *erat Saraia, 4. Reg. 25.*] Hæc sine probatione sunt; & genealogiæ Sacerdotum, quæ exstat 1. Chron. 6. aduersantur. Nusquam enim aut Sobna, aut Eliacim accensetur Sacerdotibus in libris Regum, Chronicorum, aut Esaiæ Prophetæ. vide controu. 3. lib. 1. cap. 13.

11 Art. 19. *sed solùm Babylonis.*] Hæc omnia in coniecturis infirmis posita.

12 Art. 20. *paulo antè captiuum duxerat in Babylonem.*] Et hæc quoque στοχαστικὰ siue coniecturalia, quæ in medio relinquimus.

13 Art. 21. *& exaltatio Eliacim in locum eius.*] Nicephorus malè ariolatus est: horũ enim quæ de sacerdotũ ordine tradũtur, nihil probabile, nec verisimile, cùm eorum temporũ Sacerdotes nusquã his nominibus in sacra Scriptura compareant. vide in notã 10.

14 Art.

14 Art. 24. *habemus igitur annos lxxij. quos quærebamus.*] Hæc omnia vanæ diuinationis sunt, non solutionis iustæ.

15 Art. 31. *in hac historia suo tempore collocanda decepti fuerint.*] Altera hæc solutio quo audacior est, eo infirmior: nempe reprehensio libri & lectionis illius, quæ iam olim recepta fuit sanctorum Patrum testimonio, & Romana ipsa editione ex Vaticano confirmata. hanc verò sectionem (non enim solutio est) quis ferat, nisi maior compellat auctoritas? Nos itaq. librum canonicum negamus esse: primùm quia his rationibus vltro citroque expensis pugnare deprehenditur cum veritate historiæ, & ipse secum: deinde quia nec conformis est per omnia, nec assentitur scripturis canonicis. Quis ferat Simeonis homicidi factum per Spiritum prophetiæ à Iacobo Patriarcha damnatum, per Iuditham adeò magnificè prædicari? quis alia eiusmodi humani commenti, non diuini spiritus documenta?

IN CAPVT XIII.

1 Art. 1. *ab antiquis Conciliis & Patribus.*] Non sequitur istud necessariò: prout capitis 7. nota 8. & sequentibus confirmatum.

2 Ibid. *scripturam sacram nominat.*] sed æquiuocè, vt alia quoque sequentia. vide in cap. 4. notam 1.

3 Art. 2 *Melito Asianus in epist. ad Onesimum in catalogo sanctarum scripturarum Sapientiam ponit*] siue Sardianus, vt cap. 7. Quæ autem ab eo dicta sunt apud Eusebium lib. 4. hist. Eccles. cap. 26.

ea cor-

ea corrupta esse cùm ex veteribus libris, tū ex cap. 22. eiusdem libri confirmatur. Sic enim habent vetusti libri, Σολομῶντος παροιμίαι ἡ σοφία, ἐκκλησιαστὴς, &c. non autem ἡ σοφία, vt in vulgo legitur. In cap. autem 22. disertè Eusebius testatur Hegesippum, Irenæum, omneisque priscos illos Patres librum Prouerbiorum Salomonis πανάρετον σοφίαν appellauisse: quæ certissima & indubitata est alterius loci illius interpretatio. Hanc verò interpretationem propterea adhibuit Melito, & Eusebius explicauit, quia decipiebantur multi iam eo tempore ab ista simili similium librorum nuncupatione, de qua etiam dicit Hieronymus præfatione sua in Prouerbia Salomonis. Fallit igitur homonymiâ Bellarminus noster.

Ibid. *lib.1. de prædest. cap. 14.*] Negatur: sed probationes in sequentibus expendemus.

5 Art. 3. *incredibili impudentia hunc locum Augustini truncatè citat.*] Bona verba.

6 Ibid. *adhibitum.*] Nimirum propriè loquendo, & sine illa æquiuocatione quam cap. 4. nota 1. tradidimus.

7 Art. 4. *cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.*] Bene habet *de gradu Lectorum*. Nam librorum diuinæ auctoritatis ordo duplex, proprius, & improprius; vel catachresticus, siue æquiuocus. Quibus æquiuocè diuina competebat auctoritas, ij de gradu Lectorum recitabantur Ecclesiæ, & ab omnibus etiam Episcopis, quando aderant, audiebantur cum veneratione diuinæ auctoritatis æquiuocè dictæ, vt ex Synopsi Athanasiana antè docuimus in cap. 9 nota 4. Contrà verò quibus propriè diuina competebat auctoritas, ij de ambone, id est, de gradu Episcoporum Presbyterorumque ab ipsis Episcopis & Presbyteris Eccle-

siæ

ſiæ prælegebantur cum veneratione diuinæ auctoritatis propriè ſimpliciterque, non impropriè & ſecundùm quid appellatæ. Liber autem Sapientiæ, inquit Auguſtinus, *de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi* recitabatur: ergo diuinus æquiuocè, & diuina auctoritate fuit æquiuocè. De ambone fuiſſe in priſca Eccleſia lectum Sapientiæ librum nemo auctoritate iuſta vnquam probaturus eſt: non ergo propriè diuinus & ſacer.

8 Ibid. *nihil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium crediderunt.*] Diuinum puta æquiuocè. Nam triplicem librorum ordinem manibus piorum teri Auguſtinus docet: primum & ſecundum publici; tertium priuati iuris. Primus eſt librorum propriè diuinorum, & Eccleſiæ datorum diuinitus: ſecundus, librorum impropriè diuinorum, & ab Eccleſia l[illegible]orum publico, acceptorumque humanitus: tertius, librorum qui à tractatoribus, id eſt, piis ſcriptoribus & interpretibus poſt Apoſtolorum tempus fuerunt dati. Illi omnibus ſuo iure anteponuntur, quia verè diuini ſunt: qui verò medij ſunt ordinis, communi iure priuatis ſcriptis præferuntur, vt ſuprà cap. 9. nota 1. & 4. diſtinximus. De hoc ſecundario ordine Auguſtinus agit, eumque ex communi iure anteponi confirmat tractatorum ſcriptis ſingularibus.

9 Ibid. *omnes veteres hunc librum Salomonis eſſe aſſerunt: ex quo manifeſtè ſequitur eſſe canonicum.*] Antecedens negatur. Nam olim Sapientiæ liber à Patribus dictus eſt æquiuocè, quia aut Prouerbiorum librum canonicum intellexerunt (vt nota 3. dicebamus) aut hunc apocryphum. Prouerbiorum liber certò Salomonis eſt; Sapientiæ liber non Salomonis eſt, ſed eſſe dicitur primùm συνεκδοχικῶς, deinde

verò

verò δοξαστῶς. Synecdochicum fuit, quòd quum omnes Hellenistarum Ecclesiæ libros ethicos in vnum corpus coagmentarent, id corpus nomine Salomonis συνεκδοχικῶς inscripserunt; quemadmodum & libris Ruthæ, Estheræ, Nehemiæque factum. Ex ista verò synecdochica phrasi τὸ ἔνδοξον, ἢ δοξαστὸν est consequutum, nempe quòd imperitiores posteri omnia eiusdem auctoris, Salomonis inquam esse putauerunt. Atqui saltem Hieronymum de isto omniũ numero excipi oportuit, qui in præfatione in Prouerbia librum hunc Salomonis esse negat. Ait enim: *fertur & Panaretos Iesu filij Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur*, & quæ sequuntur.

10 Ibid. *hunc librum Salomonis esse existimasse.*] Hoc nusquam dicit Eusebius. Fallitur hic noster falsa interpretatione, cùm tamen in Græco textu facilè ambiguitatem tollat articulus ex proprietate linguæ. Sic enim Eusebius, οὐ μόνον δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶντος ἐκάλουν. id est, *neque solùm ille* (Hegesippus) *sed etiam Irenæus, & totus veterum chorus Prouerbia Salomonis vocauerunt nomine Sapientiæ virtutibus omnibus instructæ*, siue omnium virtutum instrumenti. Quid hæc, obsecro, ad librum istum Sapientiæ? Cætera, vt antè diximus, æquiuoca, & inconsequentia à figurato ad proprium loquendi modum: nam Salomonis dicitur συνεκδοχικῶς, vt nota proxima ostendimus.

11 Ibid. *nomine Salomonis hunc librum citant.*] synecdochicè, vt antè.

12 Ibid. *verbis Græcis Salomonis sententias complexus est, Spiritu sancto dictante*] Hæc solutio tota στοχαστικὴ, & sine probatione est. Nam primùm vt dem sententias omneis Salomonis esse (quod tamen in dubium

in dubium vocari potest priscæ Hebræorum Ecclesiæ testimonio) tamen aliud est librum esse à Salomone conscriptum θεοπνεύστως, vt sunt Prouerbiorum pars maxima, Ecclesiastes, & Canticum; aliud, ab alio aliquo γυμναστικῶς fuisse concinnatum, & scriptum μιμητικῶς, cuiusmodi multa Libanij sophistæ & aliorum exstant. Nam illud diuinam propriè auctoritatem habet, hoc verò minimè. Est autē hoc scriptum γυμναστικῶς καὶ μιμητικῶς ab aliquo alio opera humana concinnatum: non ergo θεόπνευστον, & auctoritatis diuinæ. Sic illa verba, *tu elegisti me*, &c. non à persona, sed in persona dicuntur Salomonis. Secundò autem quod de Philone altero antiquiore diuinat, nodum in scirpo quærit: nihil eiusmodi ne per somnium quidem veteribus in mentem venit, aut fuit ab eis traditum. Itaque negamus iure, quod sine probatione vlla asseritur.

13 Ibid. *fortè in schedulis haberentur.*] Non probat argumentatio ex dispari: nam illa & à Salomone θεοπνεύστως conscripta sunt, & à seruis Dei Ezechiæ tempore comportata item θεοπνεύστως, & Deo auctore sanctificata & thesauro Ecclesiæ tradita. De libro autem Sapientiæ, quis homo probet? Illud diuinæ auctoritatis est, hoc humanæ operæ.

14 Ibid. *lib. 2. retract. cap. 4.*] Affirmauit nempe non esse Siracidæ. Ex eo autem non sequitur, ergo Salomonis esse; neque id Augustinus dicit. Hieronymus verò præfatione in Prouerbia disertè certis argumentis negat.

15 Art. 5. *quod habetur Sap. 14. de origine idolorum.*] Negantur ista: neutrius enim mentem, nec auctoris, nec Caluini, Bellarminus assequutus est. Auctor non dicit hunc primum fuisse fontem, sed

E multos

multos indicat contextu vno. Caluinus itaque auctorem non reprehendit, sed eos qui ex verbis auctoris hunc primum & vnicum fontem (quod non dicit auctor) fuisse colligunt. vide suprà cap. 10. nota 2.

16 Ibid. *vt liber Sapientiæ docet.*] Hæc Caluinus non adfirmat vsquam: hæc ergo nihil ad ipsum.

17 Ibid. *non habet numerum singularem.*] Atqui si Hebræum nomen, vt plurale tantùm, numeri distinctione caret, vnde magis Bellarmino constat vnum fuisse idolum quàm plura? præsertim cùm dicat ibidem Laban, *quare furatus es Deos meos?* Genes. 31. 30.

18 Ibid. *Zachariæ* 10. *vbi legimus, simulacra loquuta sunt vana.*] Non est necessaria consequutio ex particulari: hæc idola, vel quædam idola eo nomine dicta loquuta sunt; ergo & illa, vel omnia eodem nomine dicta loquuta sunt. Deinde verò dicuntur loqui figuratè, quamuis muti & mortui, qui aliquam dant aliter etiam quàm sermone significationem: quemadmodum & sorte & σιδηρομαντεία Nebucadnetzar consuluisse idola dicitur Ezech. 21. sic apud Zachariam simulacra res vanas dicuntur loquuta esse.

19 Ibid. *Cyrillus lib. 3. in Iulianum non procul à fine.*] Neque hæc negat Caluinus; sed istud negat quod & ab auctore ipso negatur Sapientiæ, id vnicum fuisse principium idololatriæ, cùm idem auctor adducat plura. Veruntamen esto sanè, hoc primum fuerit idolum publicè propositum: an continuò sequitur, nullum antè priuatim exstitisse? Certè si Abraham (vt Cyrillus agnoscit) vixit Nini temporibus, & Bel siue Arbel fuit Nini pater; vel ante Belum fuit idololatria, Scriptura teste: dicit enim Laban Genes. 31. 53. *Dij Abrahami, & Dij Nachoris, dij patris eorum*, reli-

gionem

gionem nõ modò patriam, ſed & auitam velut maiorem Iacobo volens prætendere: quod & Ioſue populo obiicit c. 24. 2. dicens, *vltra flumen Euphratem habitabant maiores veſtri olim, Thare, pater Abrahami, & pater Nachoris, colebántque Deos alienos*. Illi ergo Belo adhuc viuente vixerant, & exercuerant idololatriam.

20 Ibid. *& alij paßim.*] nempe initium quidem vnum, at non vnicum : hoc nec auctor Sapientiæ dicit, nec Caluinus probat, nec ratio ipſa poſtulat, quamuis aliter multis viſum. Quamobrem hæc nihil ad rem, cùm auctor Sapientiæ non agat de publica ſolùm, ſed de quauis idololatria; Caluinus verò de principio (vt voluerunt nonnulli) vnico illius. Summa hæc eſto: Qui liber, quamuis pius alioquin & bonus, nec materia, nec perfectione veritatis, nec ſtilo diuinus eſt, nec à Deo ſancitus vt ſit canonicus, nec à prisca Iudæorum Eccleſia agnitus in Hebræo canone, is diuinus eſſe propriè non poteſt : ita eſt autem liber Sapientiæ, ex Eccleſiæ priſcæ & Hieronymi, & Patrum orthodoxorum teſtimonio: non igitur canonicus.

IN CAPVT. XIIII.

1. Art. 1. *nec tamẽ habet aliquid quod ei obiiciat.*] Quòd librum illum Caluinus oderit, falſum : quòd non per omnia probauerit, hoc verum & iuſtum eſt. Nam & Auguſtinus, quamuis diſſimulato Eccleſiaſtici nomine, apertè refellit vnum locum eius, Quæſtion. ex vet. teſtam. cap. 27. quum de Samuele per Pythoniſſam excitato dicit, *Indignum facinus æſtimo, ſi ſecundùm verba hiſtoriæ commendetur aſſenſus*, &c. ſicut & Tertullianus fecerat lib. de anima cap. 57. quod tamen non obſcurè aſſerit auctor Eccleſiaſtici 46. 23. &

alij prætereà loci exſtant eiuſmodi. Cæterùm iis verbis quæ hîc adducuntur, Caluinus libro Eccleſiaſtici minimè obloquitur, ſed contrà illorum ψευδοδιδασκάλων inſcientiam redarguit, qui vt apes ex floribus venenum ſuum, ita fæcem ſuam ex libris non malis hauriunt. Quidni, cùm etiam ex diuinis homines indocti atque inſtabiles ſoleant educere? De re autem quam illic Caluinus agit, tomo 3. videbitur.

2 Ibid. *id eſt, Eccleſiaſticum.*] In his teſtimoniis fallacia duplex; vna, quòd cùm Salomonis liber dicatur eſſe συνεκδοχικῶς καὶ ἐνδόξως, vt cap. 13. nota 9. docuimus, hic concludit propriè ex figurato loquendi modo: altera, quòd ſcripturæ, ſacræ, & diuinæ eſſe dicitur hic liber æquiuocè: de qua æquiuocatione dictum eſt cap. 4. nota 1. & alibi centies.

3 Ibid. *de ſententia Iudæorum eſſe loquutum.*] Imò verò propriè ex ſententia ſua, & priſcæ Eccleſiæ canone. Ad probationem quid multis opus eſt? ipſe Bellarminus canonem illum agnouit ſuprà cap. 10. quum hos libros generali demum Concilio receptos in canonem adfirmauit.

4 Ibid. *Eccleſiaſtici noſtri eſt.*] At hoc idem auctor emendauit Retractat. lib. 1. cap. 10.

5 Ibid. *Salomoni attribuunt.*] Nimirum per ſynecdochen & ex recepto vſu, vt nota 2. dictum.

6 Ibid. *diuinis habendi eſſent?*] Certè, de iis libris qui Salomonis ſunt γνήσιοι, & de Hieronymo contrarium fatetur ipſe lib. 2. cap. 9.

7 Ibid. *ita vterque auctor dici poterit.*] Negatur hæc reſponſio: nam ille Ieſus Siracides hoc bona fide fuiſſet dicturus: non dicit autem, ſed narrat contrà fuiſſe factum, idque in eo ſcripto quod Bellarminus

nus sacrum, diuinum, canonicum agnoscit planè. *Auus meus Iesus*, inquit præfatione sua, *postquàm se plurimùm in lectionem dedisset tam Legis & Prophetarum, quàm aliorum librorum quos à patribus accepimus, aptámque in eis facultatem consequutus esset, adductus est ipse quoque vt aliquid scriberet, &c.* & prioris præfationis auctor, *Auus ipsius Iesus, quemadmodum hic quoque testatur, fuit inter Hebræos laboris studiosus & prudens maximè: qui non solùm aliorum hominum præditorum intelligentia, qui ante ipsum fuerant, sapienter dicta contulit, verumetiam ipse sua quædam pronunciauit permultæ intelligentiæ & sapientiæ plena.* Hæc, quæ vult Bellarminus esse canonica, si cum responsione ista conciliauerit, magnus mihi Apollo futurus est.

IN CAPVT XV.

1 Art. 1. *& ab aliis passim.*] Non sequitur. vide cap. 7. nota 11. nam & humani quilibet adducuntur liberè.

2 Ibid. *lib. 6. etymologiarum cap.* 1. Nec sequitur ex homonymia. vide cap. 4. nota 1.

3 Ibid. *libros, inquit, Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.*] Sensus est, non Ecclesia Iudæorum, à qua peruenit ad nos diuinus veteris testamenti canon; sed nostra suo canone, id est, Ecclesiastico: nam ad duplicem illum canonem, diuinum & Ecclesiasticum, respiciebat Augustinus, de quo suprà cap. 4. Demonstrant istud Augustini verba, quum ait, *Ab hoc tempore apud Iudæos restituto templo non Reges, sed Principes fuerunt vsque ad Aristobulum: quorum supputatio temporum, non in Scripturis sanctis quæ Canonicæ appellantur; sed in aliis inuenitur, in quibus sunt*

& Machabaeorum libri, quos non Iudaei, sed Ecclesia pro canonicis habet propter quorumdam martyrum passiones vehementes atque mirabileis, &c. Clariora haec sunt, quàm vt offucia vlla obscurari possint: alias scripturas esse sanctas & canonicas, alias pro canonicis haberi; illas per se & propter se, has propter quorumdam martyrum passiones, id est, particulareis quasdam historias. Bellarminus itaque ab aequiuoco argumentatur propriè, à parte vniuersè: quod genus argumentationis ἀλόγιστον.

4 Ibid. *Scripturam sanctam eos appellans.*] nempe eo modo quem ex ipsis Augustini verbis protulimus cap. 10. nota 14. Sed quid Hieronymo facias, qui negat passim canonicos esse? quid Ruffino in symbolo? quid Gregorio Magno lib. 19. moral. cap. 16? quid aliis quamplurimis?

5 Art. 2. *quae habetur Deut. 7.*] Non est idem auctor vtriusque libri: agit autem Caluinus de auctore secundi libri. Auctor certè prioris libri magis est idoneus, at non diuinus tamen.

6 Art. 3. *ostendemus suo loco.*] Nos ibidem, si Deus volet, refellemus, controuersiae 6. lib. 2.

7 Ibid. *& lib. de cura pro mortuis, cap. 1.*] Primi duo loci ex Augustino adducuntur falsò: nam etsi Scripturas vocat aequiuocè, vt passim, tamen de hac quaestione in eis nullum verbum. In tertio adducitur quidem secundus Machabaeorum liber (quidni faciat, cùm & Eusebij & Ruffini historia ecclesiastica ibidem allegetur?) sed ne minima quidem significatione canonicus ab eo dicitur.

8 Ibid. *libros Machabaeorum credit esse canonicos;*] sed canonicos aequiuocè, puta humano canone & Ecclesiastico, vt cap. 4. nota 1. diximus, & alibi

Augusti-

Augustinus docet. Ista igitur sunt ἀνακόλουθα. De facto autem & æquitate huius historiæ alibi erit dicendi locus.

9 Ibid. *libros Machabæorum non esse canonicos.*] Sic enim Caluinus statuit; Cui non conuenit cum canone, id non est canonicum: huic autem libro non conuenit cum canone: non ergo canonicus est. Est enim Scriptura Prophetarum & Apostolorum canon, vel aduersariis iudicibus.

10 Ibid. *repositam gratiam.*] Contrà verò, nemo piè quicquam existimare potest contra veritatem Dei publicè omnibus in verbo, & priuatim in bonorum mentibus reuelatam diuinitus: id autem existimare, fuit contra veritatem Dei, &c. ergo hoc Iudas pi[illegible] aut non existimauit, aut si existimauit, profectò no[illegible] existimauit piè. Alioquin idem etiam semper de per[illegible]issimo quouis atque desperatissimo iudicari possit; proinde vana omnino foret lex anathematis, & sententia Dei. Hoc igitur falsum est, & in Iudam, consiliumque ipsius, & totam Ecclesiam iniurium.

11 Art. 5. *& ministri fuerant sermonis.*] Hæc responsio nihil ad rem facit. Nam cùm auctor illud opus à se breuiandi causa susceptum dicat, quid tam difficile, molestumque fuit, & laboriosum, vigiliarum, & sudoris plenum? deinde cùm sit epitomarius, quid scientia acquisita opus ad fusioris & copiosioris scripti epitomen? tum si qua in re fortè fuit opus, (etsi hoc non fuit epitomarij, qualem se profitetur esse) fuerítne res vna aut altera τοσούτων ἱδρώτων vt prædicat? O operosam operam! Postremò etiam vbi in responsione hac aliquid veri Bellarminus dicit, aut malè distinguit, aut friget. Distinctionis sunt hæc: Quicunque Scripturam testamenti veteris ediderunt, homi-

nes Dei siue prophetas exstitisse; & scripturas ipsorum prophetias: sed in percipiendis, docendis, & conscribendis prophetiis aut studium, aut reuelationem, aut vtrumque fuisse simul. Cùm autem prophetiæ in iure aut facto versentur; quæcunque de iure vel æquo bono sunt, eas & studio & reuelatione simul à Prophetis perceptas, traditas, & conscriptas esse: quæ autem in facto consistunt, distingui oportere. Nam si factum præteritum est, eius scientiam studio acquiri ordinariè; si futurum est, reuelatione inspirari; vtrumque verò studio & reuelatione simul traditum & perscriptum esse. Quis enim Prophetam credat sine religioso studio atque labore tradidisse sermone aut scripto, quæ à Domino acceperat? Sic Ieremias ipse, sic Lucas scripserunt, quorum hîc mentio. Friget verò Bellarmini illud quod bis repetiit, Deum adstitisse ne falsi aliquid scriberent. Nobis longè meliùs sapit Scripturæ sacræ maiestas; nempe dicentibus, Deum seruis suis scribētibus adstitisse tanta gratia, perfectione, virtute, adeò deniq. θεοπνεύστως, vt nihil falsi scripserint, nihil veri non scripserint, quod sciri nostra interfuerit. Hoc quanto æquiùs Scripturæ sacræ tribuimus, quàm historiæ humanæ Tullius? Sed de hac re in loco de traditionibus.

12 Ibid. *quippe qui nulla esse sciebat.*] Falsum duplex. quid enim? annon hæc speciosa veniæ petitio est, quum ait? εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι, id est, *quòd si exiliter tenuitérque præstiti, tantum est quantum potui pertingere*, 2. Mac. 15. 39. quid enim alioqui non ἐφικτὸν homini θεοπνεύστῳ, res diuinas curanti diuinitus? Tum, nulla esse sciebat errata, inquit: & hoc falsum. Nam ipse dicit 2. Mac. 2. 29: τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς ἀτονοῦντες, id est, *accuratam*

quidem

quidem de singulis rebus peruestigationem auctori concedentes, aciem verò intendentes eò vt lineamentis epitomes ipsius insistamus. hæccine tam certæ scientiæ verba? Ne multis, quæ in quæstionem veniunt plura sunt. Primum, Iasonem Cyrenæum humanum scriptorem fuisse, non Prophetam, aut Dei Spiritu in scribendo actum; ac proinde humanum scriptum humana opera breuiandum, 2. Mac. 2, 25. Secundum, hunc non fuisse historiæ veræ & certæ exscriptorem, sed dubiæ & interdum falsæ epitomarium. Tertium, profiteri ipsum quòd homo sit, & ne in hoc quidem scripto humani quicquam à se alienum putet, quum deprecatur culpam siqua est. Quartum, pugnare hunc scriptorem cum scriptura canonica, cum veritate historiæ, cum priore libro, denique secum etiam ipso. Spiritus autem sanctus nec duces errantes sequitur, nec agit epitomarium (βιβλία, libelli sunt quæcunque tracta) nec infirmè agit deprecaturque, nec à veritate dissidet, qui ipse veritas & Spiritus veritatis est.

13 ibid. *B. Paulus se imperitum sermone confitetur, 2. Cor. 11.*] Dissimile: nam Paulus loquitur συγχωρητικῶς, & ex aduersariorum qui in Corinthiis erant hypothesi; hic vero μάλα κατηγορικῶς ex tenuitatis suæ conscientia. Demonstrant singula fermè Pauli in eo cap. ad Corint. scribentis verba. Sequentes aliquot obiectiones sunt friuolæ.

14 Art. 6. *Persidem vocat non solùm eam regionem quæ propriè dicitur Persis, sed etiam alias finitimas;*] pro eo quod est, totã regionem Monarchiæ Persarum subditam. Sed exemplum sequens falsum est. Nam fuerat quidem animus Antiocho isti reuertendi Babylonem; sed in montanis est Persidis mortuus, 1. Mac. 6. & 2. Mac. 1. & 9. 28. nuncium ergo istum

go istum in Persidem oportuit peruenisse, quum ab Elymaide profugeret.

15 Ibid. *dicat Iudæos ex captiuitate Persica liberatos.*] id est, in qua à Rege Persarum tenebantur. nisi si fortè ad sua tempora Chrysostomus respexerit, pro eo quod est, ex captiuitate in ea regione quam nunc Persa vel Parthus tenet.

16. Art. 8. *vt alij volunt.*] Quousque tandem hic à posse ad esse (vt aiunt) argumentabitur? Negamus. Epiphanium verò de vita Ieremiæ ψευδεπίγραφον esse, & partũ κίβδηλον vel suppositititium apud omneis constat, vel illa fabula euincente quæ sub finem huius responsionis adducitur.

17 Ibid. *non tempore Sedechiæ, sed Ioachim.*] Ergo iam inde ab eo tempore Ecclesia tabernaculo & arca federis caruisset. Est autem falsum hoc consequens: quod credi vetat bonorum pietas, Scripturæ veritas Ezech. 10. & 11. & alia innumera.

18 Ibid. *tempore Sedechiæ*, 4. *Reg.* 25.] Imò quater venit; sed prima expeditione Ioakimum reliquit in regno, Dan. 1.

19 Ibid. *tabernaculi nulla mentio fit.*] Malè argumentatur ab auctoritate (vt loquuntur) negatiuè. Reticeri autem à Ieremia, nihil mirum: nam ærea, argentea, aurea Babylonij exportarunt, Ierem. 52. 19. lignea verò, vt arca, tabernaculum, &c. cum templo combusta sunt, Ierem. 52. 13.

20 Ibid. *Epiphanius in vita Hieremiæ.*] Falsa distinctio ad statuminandam propositionem falsam, & falsa auctoritas. Scilicet restituentur Ecclesiæ Christianæ legales typi (quorum corpus est in Christo, Colos. 2.) in complemento Euangelij. Falsam autem propositionem esse tum sacra historia docet, tum Hebræorum

bræorum omnium post omnem memoriam confessio, dicentium hæc quatuor inde à transportatione Babylonica nunquam exstitisse, arcam federis, propitiatorium siue Cerubinos illius, Vrim & Thummim cum suo Pectorali, & oleum vnctionis: quæ res conuenit cum historia sacra, Esdræ 2. 63. & Nehem. 7. 65. & à Lyrano quoque repetitur in 1. Mac. 6.

21 Ibid. *de victoria verbi, cap. 21.*] Ergo si ita est, quid nobis arcam illam & tabernaculum (si ita placet) in specu seruari oportebat? fabulæ.

22 Art. 10. *vt alternis diebus Consules imperarent.*] Atqui hoc non fuisset singulis annis vni; sed duobus per singulos annos, per dies verò singulos vni è duobus fasces committere. Sed verissimè & omnium euidentissimè Dionysius Halicarnasseus lib. 5. rem tradit his verbis, ὡς δὲ κατεστήσαντο ταῦτα, δείσαντες (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) μὴ δόξα τοῖς πολλοῖς ἐγγένηται περὶ τῆς καινῆς πολιτείας οὐκ ἀληθὴς, ὅτι δύο βασιλεῖς κύριοι γεγόνασι τῆς πόλεως ἀνθ' ἑνὸς, ἑκατέρου τῶν ὑπάτων τοὺς δώδεκα πελέκεις ἔχοντος ὥσπερ εἶχον οἱ βασιλεῖς, ἔκειναν τό τε δέος ἀφελέσθαι τῶν πολιτῶν, καὶ τῆς ἐξουσίας μειῶσαι τὸν φθόνον· τοῦ μὲν ἑτέρου τῶν ὑπάτων τοὺς δώδεκα καταταξαντος ἡγεῖσθαι πελέκεις, τοῦ δ' ἑτέρου δώδεκα ὑπηρέτας ῥάβδους ἔχοντας μόνον, ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ κορώνας γίνεσθαι δὲ τῶν πελέκεων τὴν παράληψιν ἐκ περιτροπῆς, ἕνα μῆνα κατέχοντος αὐτοὺς παραλλὰξ ἑκατέρου. Falsus itaque auctor Machabæorum, falsa responsio.

23 Ibid. *alterius Consulis, penes quem eo die imperium erat.*] Non sequitur ab exemplo dissimili: nam in regenda Romæ repub. is fuit ordo quem ex Dionysio modò ostendimus; in castrensi autem imperio, & extra ordinem, duo Coss. alternis diebus imperitabant (vt Liuius loquitur) quum vterque ad exercitum

ercitum legatus erat populi Rom. iussu. Hæc confundi minimè oportuit.

24 Art. 11. *non successerunt ei negotia sicut optauerat.*] In Babyloniam venisse, Antiochum & mortuum esse Babylone, in eo loco non legitur, vt nota 14. ostendimus. Sed tamen scribit Iosephus lib. 12. ἀρχαιολογίας, cap. 13.

25 Ibid. *in templo Nanneæ.*] non Antiochus; sed dux, nempe qui cum satellitio præibat ipsi.

26 Art. 15. *in ipso itinere de curru cecidit, & paulo pòst mortuus est.*] Atqui in hac historia 2. Mach. 1. non legitur cadendi verbum: quorsum verbi [illegible]ius interpretatio? tum, vt cadendi verbum accipi[illegible]mus æquiuocè, exemplum tamen Gen. 14. quod p[illegible] adducitur, non probat interpretationem. Nam rex Sodómorum in foueam dicitur cecidisse, id est, ruisse vltro vt suæ saluti consuleret, seque eò deiecisse, vt latitando manus hostium effugeret. sic accipitur Gen. 24. 64. & alibi sæpe.

27 Art. 19. *idolum desolationis, vt reuera erat.*] Hoc non impedit, quo minus auctor eò respexerit: nam etiam pluribus in locis fit abominationis istius mentio apud Danielem, & de vtroque tempore: vt Dan. 9. 27. & 11. 31. & 12. 11.

28 Art. 20. *fortiter eos fecisse negari non poßit.*] Humana quidem est auctoris illius excusatio, qua Augustinus vtitur: nam sic damnat factum, vt auctorem historiæ excuset loquentem de facto humanitus. Sed eo ipso quòd laudat humanitus, probamus non esse verè diuinum scriptum: laudat enim facta huiusmodi contra veritatem iuris & officium historiæ, inculcans voces *generosè, viriliter*, & alia id genus in Re-

zaiæ

zaiæ illius hiſtoria. Nam de Eleazaro quod narratur, equidem non video cur magnopere carpi oporteat aut huius factum, aut narrationem illius.

IN CAPVT XVI.

1 Art. 1. *patet ex epiſt. ad Hedibiam quæſt.* 3.] Receptum fuerat tamen iam olim à communi Eccleſiæ; quæ auctoritatem diuinam Euangelij huius agnouit ſemper, & religioſo officio prudenter additamenta humana depulit. Totum ergo Eccleſia habuit quod eſt Marci, quia à Deo eſt; ſed particulam ab alio inſerctam toti reiecit iure optimo, quia nec à Deo, nec à Marco. Etſi quid multis opus eſt? Non enim dicit Hieronymus non fuiſſe ab omnibus receptum vt canonicum, ſed tantùm *ferri in raris exemplaribus*, id eſt, in multis deſiderari: nihil dicit amplius.

2 Ibid. *Nunc nobis dubitare non licet.*] Cur autem? non quia Tridentino Concilio placuit (hoc enim eſt τὸ μὴ αἴτιον ponere vt αἴτιον) ſed quia eſt à Deo profectum & ſanctificatum, & à Marco notario θεοπνεύστῳ ipſius in Eccleſia, vt publica domo Dei viuentis, conſignatum. vide ſuprà cap. 7. nota 14. & cap. 10. nota 10. & 15.

3 Art. 2. *non ita certæ fidei habitum.*] Hoc particulare factum, non autem commune iudicium Eccleſiæ Dei: itaque nihil ad nos. ſic & ſequentia.

4 Art. 3. *Initium cap. 8. Ioannis, quo adulteræ hiſtoria continetur, non fuiſſe olim certæ fidei,*] Nempe apud quoſdam malè informatos de rei veritate: ſed quid hoc ad Eccleſiæ vniuerſitatem?

5 Ibid. *poſt Dominicam 3. quadrageſimæ;*] imò verò cùm certò diuina ſit, diuinitusque tradita: hoc enim

enim verum est & ἀποδεικτικὸν αἴτιον, vt suprà nota 2. Quòd autem alicubi hæc historia erasa est, id contigit Nouatianorũ facto καθαρότητα in Ecclesia & membris eius singulis vrgentium, & impuros infirmosque duriùs abigentium, vt pòst ex Augustino dicitur. Hoc ergo responsionis modo hîc & deinceps principium petitur, & non causa pro causa ponitur, vt antè dictum,

6 Art. 4. διαβληθείσης.] Hæc vera certaque distinctio.

7 Art. 5. *de persecutione Wandalica.*] Quinetiam Arius ipse, quum Athanasius hunc locum adduceret, non reiecit auctoritatem illius: vt videre est sub finem illius disputationis quæ contra Arium priuatim Nicææ fuit ab ipso habita. vide controuersiæ 2. lib. 1. cap. 6. sed posteà ab Arianis, quum plus possent, in exemplaribus multis deleta sunt hæc.

IN CAPVT XVII.

1 Art. 1. *quod quædam contineat contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam.*] Hic error personalis est Lutheri & aliorum paucorum, non autem communitati Ecclesiæ impingendus: quo etiam olim nonnulli ex orthodoxis Patribus tenebantur, vt ipse Bellarminus agnoscit pagina seq. Brentius, Chemnicius, & Magdeburgenses moderatiùs de ea iudicarunt. Sed quid hoc ad commune Ecclesiæ?

2 Ibid. *tamquam auctoris incerti.*] nempe quia noluerunt de auctore affirmare, quia controuersum est, iudicaruntque piis omnino sufficere, si de Epistolæ huius auctoritate constiterit.

3 Art. 3. *& aliàs frequenter.*] De hac probatione &

ne & sequentibus aliquot suprà cap. 7. nota 14. & cap. 10. not. 10.

4 Art. 5. *non videntur agnoscere: nec enim eam vnquam citant, quod sciam:*] Rectè, *non videntur:* non impugnant tamen. Tertullianus certè adducit alibi, & in libro de pudicitia adfert copiosè multa, epistolam adscribens Barnabæ, ex Montanistarum gustu, qui hoc ementito exemplo suam Paracleti communicationem, aliisque similibus volebant confirmare. Vtitur & Cyprianus in libro de duplici martyrio, si liber est ipsius. De Lactantio, & Arnobio, quid mirum? qui nec tam multa scripserunt, nec admodum frequentes sunt in allegandis scripturæ locis. Deinde, vt Hieronymus scribit Dardano, Latinorum consuetudo eam non recepit diu inter scripturas canonicas, quos isti sequuti sunt. Tum non valet consequutio ab auctoritate negatiuè: non citant, ergo non agnoscunt. Postremò auctor non citatur interdum nominatim, cuius ipsa adducuntur verba: hoc autem est citare κατὰ τὸ ἰσοδυναμοῦν, per æquiualens, vt vocant.

5. Art. 8. *Pauli nomine citat in epistola ad Titum.*] Sed controuersa est horum auctoritas, vel teste Rom. synodo & Gelasio Papa, dist. 15. c. sancta Rom. De Dionysio autem Bellarminus viderit: nam libros qui exstant inscripti huius nomine non est probabile ab eo conscriptos esse cuius meminit Lucas in Actis Apostol.

6 Art. 10. *lib. 6. hist. cap.* 11.] Omnino infirmis consultum voluit Apostolus hac sui nominis dissimulatione: quam rem fieri quæ ratio vetat?

7 Art. 12. *cùm simplicior, tum etiam expeditior esse videtur.*] Equidem & sententias & verba Pauli esse non dubitauerim; stilum verò respectu eorum variari

riari ad quos ſcribebatur, eodem conſilio quo & nomen diſſimulari modò dicebamus.

8 Art. 14. *non eſſe abſurdum, ſi Paulus ſe ponat in numero eorum qui ab Apoſtolis confirmati ſunt.*] nempe συνεκδοχικῶς, vt paſſim.

9 Art. 17. *quia ignorans feci in incredulitate.*] Verumtamen argumentum Apoſtoli non ab effectis ducitur, ſed ab efficiente cauſa. Statuit enim adeo iuſtam eſſe naturam Dei, & in ſua iuſtitia conſtantem, vt impoſſibile ſit renunciare ipſum iuſtitiæ ſuæ, eoſque renouare ad reſipiſcentiam qui voluntariè ruunt ab omni gratia, & ſanctum Spiritum gratiæ oppugnant: Non enim dicit ἀνακαινίζεσθαι, ſed ἀνακαινίζειν actiuè. Hæ igitur ſolutiones propriè primò, & per ſe ad rem non pertinent, vt libro 3. Parallelorum explicauimus.

10 Art. 18. *eos qui ſemel ſunt illuminati.*] Imò de toto fundamento loquitur, omnibusque principiis & rudimentis Chriſti: quod verba clamitant. Solutio itaque Bellarmini friget.

11 Art. 19. *quia nõ agunt pœnitentiam, vt oportet.*] Geminus eſt prior interpretationis modus; iſtum nec apud Deum, nec apud patrem ſuum inueniſſe locum pœnitentiæ ex irreuocabili decreto Dei. Poſterior etſi vera eſt, non tamen eſt propria loci illius ſententia, vt Apoſtoli docet argumentatio.

12 Art. 21. *omnes gentes ſeruientes, &c.*] Senſus eſt, quæ typi certi diuinitus & deſtinati ſunt ſiue proprij, ab eis firma & neceſſaria ducitur argumentatio: hæc autem verba ſunt proprij & deſtinati typi. Sic de Salomone τυπικῶς, de Chriſto ſecundùm veritatem rei prædicantur, & de vtroque exponuntur neceſſariò

cessariò secundùm modum ipsius. vide Parallelum 24. lib. 1.

13. Art. 23. *non intra ipsam arcam fuerint?*] De huius loci interpretatione diximus in epistolam ad Hebræos libro Parall. 3. nam hæ omnes interpretationes, quas alienas iudico, ex ambiguitate verborum profectæ sunt; in quibus relatiuum ἐν ᾗ *in qua*, aut ad propinquius nomen τῆς κιβωτοῦ, aut ad remotius τῆς σκηνῆς referri potest.

14 Art. 24. *διαθήκην, id est testamentum.*] aut etiam dispositionem, licet non testamentariam; vt docet nominis etymologia. Atque in hunc modum plerumque Tertullianus, auctor grauis nec iuris insciens, exposuit.

IN CAPVT XVIII.

1 Art. 1. *Epistolam Iacobi & Iudæ penitus contemnunt,*] Duriùs dictum. Negatur, vt suprà cap. 9. nota 1.

2 Art. 3. *epistolas Apostolicas & diuinas.*] Rem quidem agnoscimus: nam de ea inter nos conuenit. De probationibus verò iudicium idem, ac in præcedentia cap. facimus: quia aliæ principium petunt, aliæ sunt ἀνακόλουθοι, & aliæ iustæ. Sed quid opus est actum (quod aiunt) agere?

3 Art. 7. *quod est absurdißimum.*] Infirma est hæc à ritu argumentatio: etsi de re nos quidem minimè contendimus.

4 Art. 9. *ab omnibus penè Ecclesiis recipi.*] Hæc quidem Ruffini verba, confidentis, & licentiosi interpretis: sed Eusebium Græcè dicentem audiamus: ἰστέον ὡς νοθεύεται μὲν· οὐ πολλοὶ γοῦν τῶν παλαι αὐτῆς ἐμνημόνευ-

 σαν,

σιν, ὡς οὐδὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν· ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις. Itaque non planè mendacium eſt quod de Euſebio dixerunt Magdeburgenſes: ſed & hunc & illos optauerim remiſſiùs agere. Nos pro catholica & diuina agnoſcimus.

5 Art. 10. *hæreticorum, contra quos epiſtola iſta ſcripta fuit.*] Non ſequitur ex particulari loci vnius interpretatione vitioſa. Tum nec illud ſequitur, ſi qui iuſtitiam ex fide vrgent, eos ſanctificationem euertere & vitæ Chriſtianæ modum. Sunt enim hæc coniuncta, vt rectè Auguſtinus docet, quamuis effectu varia: nam fides iuſtitiam coram Deo percipit, opera oſtendunt teſtanturque perceptam, Iacobo teſte. Qui autem de vno coniunctorum inſtat, nequaquam ſubuertit alterum: hoc nulla ratione probari poteſt. Nec vrgendo fidem negamus opera, nec vrgendo opera fidem conuellimus.

6 Art. 11. *Paulus loquitur de prima iuſtificatione, qua homo fit iuſtus ex iniuſto.*] à Deo videlicet, & coram Deo (fidem enim quis videt?) per gratiam iuſtificantem ipſius in Chriſto Ieſu.

7 Ibid. *ſolis viribus liberi arbitrij.*] imò verò humana omnia, vt Abrahami exemplo & teſtimonio Dauidis confirmatur Rom. 4. hi enim fidem & gratiam habuerunt; & de his prædicatur tamen, quòd fide iuſtificati ſint coram Deo ſine operibus.

8 Ibidem, *de ſecunda iuſtificatione, qua quis ex iuſto fit iuſtior.*] Loquitur de externa iuſtitiæ illius internæ teſtificatione per opera & fructus ſanctimoniæ coram hominibus demonſtrata, vt ipſe verbis euidentibus explicat; non autem de gradu iuſtificationis

nis (vt hic voluit) qua quis ex iusto fiat iustior, &c. Sed de hac re tomo 3.

9 Ibid. *Qui iustus est, iustificetur adhuc;*] Aliena probatio est ex falsa loci interpretatione. Nam Ioannes eo loco non agit de incremento, sed de perseuerantia in iustitia; non de secunda (vt vocat) iustificatione, cùm vnica sit iustificatio, sed de iustificationis nostræ vnius cursu: dicens, ne obsignes hunc librum, sed apertum omnibus exhibe; vt qui iustus est, etiam prælucente verbo huius prophetiæ studeat indesinenter adhuc in iustitia pergere. hanc interpretationem ipsa hypothesis & argumentum clamat.

10 Ibid. *potest seipsum opere suo alere & augere:*] Ita quidem, si est grandior: sin autem est infans, aliena certè opera alendus & augendus est. Nos autem in hac vita παιδία sumus καὶ τεκνία, & vt infantes loquimur, iudicamus, ratiocinamur, agimus, 1. Cor. 13. si statum hunc nostrum cum eo qui futurus est in cælis comparabimus. Alimur ergo & augemur adhuc opera Christi viuentis in nobis per Spiritum, Galat. 2.

11 Ibid. *potest cùm iustus est, operibus suis augere iustitiam.*] Negatur posse augere iustitiā suam qua coram Deo iustificatus est, vt per eam iustificetur amplius coram ipso: nam sola Christi iustitia iustificans est, Rom. 3. quæ infinita est, ac proinde augeri non potest.

12 Art. 12. *& bona opera negligebant.*] Omittitur primus & potentissimus defensionis locus, negatio. Nam epistolam hanc mutam esse de opere Christi & doctrina fidei, falsum: prout ex 1. & 5. cap. cuiuis constare potest qui attentè legerit.

13 Art. 13. *ipsi somniant legem nouam non continere*

tinere vlla præcepta, sed solas promißiones gratiæ fideiq́ prædicationem.] Negatur.

14 Ibid. *implent ipsa præcepta.*] Veriùs ita dixeris: qua homines adiuti, & iustitiam Christi, complementum eius, beneficiumq́ue percipiunt fide, & in eodem radicati dant operam suæ ipsorum sanctimoniæ quam Lex præcipit, acquiescentes diuinæ gratiæ, secundùm quam virtus Dei perficitur in infirmitate ipsorum, 2. Cor. 12. Nam per se & in se legem quis homo impleat?

15 Art. 14. *potest liberis imperare.*] non dicit, faciens nos præstare & implere.

16 Art. 15. *verbis iisdem descriptam.*] Verumtamen id etiam fieri potuit, vt prophetiam hanc Michæas ab Esaia habuerit: hic enim antè cæperat prophetare, nempe Oziæ temporibus: & reuera iam eo tempore prophetiam illam pronunciauerat, vt ex Esaiæ 6. 1. constat.

17 Art. 17. *hoc iam est solutum.*] nempe cap. 17. obiectione 2. contra epistolam ad Hebræos, & hoc capite in proximè præcedente obiectione.

18 Ibid. *eadem die sint coronati.*] nam hi duo, Ioannes & Iudas, Apostolis aliis omnibus superuixerunt, vt Patres omnes vno consensu tradiderunt: ac propterea clausulam vterque fecit scripturæ sacræ.

19 Art. 18. *in Perside prædicauit.*] si creditur Eusebio lib. 2. hist. Eccles. cap. 1. & aliorum in eum locum interpretationi.

20 Ibid. *ex eadem vrbe duas epistolas scripsit.*] vt putatur vulgo.

21 Art. 20. *cum hoc verò vaticinio quod Iudas citat.*] Postremò nec illud omittendum, quòd non dicit

dicit Iudas Enochum ſcripſiſſe, aut prophetiam eius de ſcripto exſtitiſſe; ſed tantùm προεφήτευσε, *prophetauit*: quod verbum neceſſariò quidem de prophetiæ enunciatione, de ſcriptione verò eius non neceſſariò oportet accipi. Etſi hoc omnino ſatis eſt, quòd ſiue ſcripta, ſiue enunciata prophetia hæc non fuit à Deo commendata, imperata, & fide publica in cuſtodiam Eccleſiæ depoſita. De Michaëlis Archangeli pugna Bellarminus tacet: nos olim diximus in epiſtolam Iudæ.

22 Art. 21. *nec enim Petrum ſemper vno atque eodem interprete vſum eſſe.*] Etſi quis miretur ætate ingraueſcente, & diſſimili argumento eſſe ſtili diſſimilitudinem? Illa quidem Hieronymi reſponſio non placet: cùm Petrus interpretis nihil eguerit, ſed æquè linguarum donum acceperit atq. alij Apoſtoli, *Act.* 2. acceptumque ſtudioſè coluerit.

23 Art. 22. *duas has breuiſſimas epiſtolas à Ioanne ſeniore, non ab Apoſtolo Ioanne ſcriptas eſſe.*] Hæc omnia dicuntur ex falſa verborum Papiæ interpretatione: quæ verba meliùs Irenæus intellexit quàm Euſebius & Hieronymus ſit interpretatus, quum ait (vt ibidem refert Euſebius) ταῦτα δὲ καὶ Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονώς, ἀρχαῖος ἀνήρ, &c. Sic enim pòſt illic ad verbum Papias: *Quod ſiquando aliquis adueniret ſectatus Seniores* (id eſt, Apoſtolos κατ' ἐξοχὴν, vt 1. Petr. 5. & 2. & 3. Ioannis) *perquirebam Seniorum ipſorum ſermones, quid Andreas, aut quid Petrus dixiſſet, aut quid Philippus, aut quid Thomas, aut Iacobus, aut quid Ioannes, aut Matthæus, aut alius quiſpiam diſcipulorum Domini: quæque Ariſtion & Senior ille Ioannes diſcipuli Domini dicunt.* Hæc verba Irenæus optimè de vno & eodem Ioanne expoſuit. Nam priore loco Pa-

 pias

pias Ioannem nominabat, ne cui de Apostolorum numero exclusisse eum videretur, posteriore verò iterum eumdem nominat, quia tum adhuc tempore Papiæ idem Ioannes vixit atque loquutus est, cuius sermones cùm præteritos, vt aliorum Apostolorum qui defuncti erant, tum præsentes superstitis Papias religiosè excepit ex ipsius aliorumq́. sermone. Quamobrem inscitè Eusebius conatur Irenæi interpretationem eodem in loco posteà subuertere, & malè Hieronymus Eusebium malè præeuntem sequutus est. Ioannes autem (vt narrant Patres) sexagesimo demum octauo anno, postquam passus est Christus, migrauit ad Dominum. Falsa igitur obiectio: quæ tamen non satis eluitur verbis sequentibus, quia falsum istud conceditur.

24 Ibid. *qui has epistolas Ioanni Apostolo tribuint.*] De his solutionum argumentis dictum sæpius.

In Cap. xix.

1 Art. 1. *nemo intelligat, quæ illa sint.*] De hac iudiciorum personalium licentia diximus antè in cap. 17. nota 1.

2 Ibid. *similem iudicare libro quarto Esdræ.*] Sed cùm editione noua Lutherus emendauerit, quorsum antiquiorem adferri? quod suis tamen hisce disputationibus fieri prohibuit Bellarminus. Veritati Lutherus posteà porrexit manum: an errorem præcedentem renouat charitas? Chemnicio pòst fit iniuria.

3 Art. 2. *Græcos de Apocalypsi dubitasse contra communem consensum Latinorum.*] sed nonnullos,

vt ex Hieronymo respondetur posteà. De sequentibus plerisque responsionibus dictum est antè cap. 10. nota 10. & sequentibus.

4 Art. 6. *apertißima est.*] Tum seruare duplex est: vnum intellectus, alterum actionis siue operis. aliud est seruare in mente siue animo per fidem, qua de re illic propriè agitur; aliud obsequio & opere obseruare. Postremò, quid vetat *huius prophetiæ* nomen de Scripturæ totius corpore intelligi, cui Apocalypseôs coronidem appegit Ioannes auctore Spiritu Dei?

5 Art. 8. *qui huius libri non meminerunt.*] Non valet autem argumentatio ab auctoritate negatiua, vt loquuntur scholæ.

IN CAPVT. XX.

1 Art. 2. ἀποκρυφὴ *latibulum.*] Apocryphum est πᾶν τὸ μὴ ἐνδιάθηκον, quicquid non est in canone diuini fœderis penes Ecclesiam depositum iussu & auctoritate Dei: tamquam si dixeris, ὅ, τι ἄπεστιν ἀπὸ τῆς ἁγίας κρύπτης, quicquid abest à sancta illa crypta & thesauro Ecclesiæ Dei. Quapropter sequens diuisio nihil ad rem facit, nihil ad nominis explicationem: sed & ex parte falsa est.

2 Ibid. *qui non sunt in canone, esse inter apocryphos numerandos.*] Negamus Bellarmini definitionem: negamus hac mente Hieronymum scripsisse. Nam quod humanum scriptum παντελῶς ἄμωμον καὶ ἀνεπίληπτον est? aut quod perfectum esse ab imperfecto potest? nulla scriptura, nisi verè diuina, imperfectione aut errore vacat: nulla, nisi diuinitus imperata, auctoritatem habet diuini canonis.

3 Ibid. *vocat apocryphos, qui sunt editi ab auctoribus hæreticis, vel certè suspectis.*] Sic libros istos non esse canonicos diuinosque constat, non solùm ab ortu & auctoritate, quia nec dedit, nec sanctificauit, & testatur Deus; verumetiam argumento, quia à veritate diuina discrepant. Sed hæc οὐδὲν πρὸς ἔπος.

4 Art. 3. *librum canonicum esse apocryphum?*] Negatur consequens: nam auctor dicitur æquiuocè. Humanorum scriptorum omnium auctor est homo, quisquis est: diuinorum verò auctor est Deus propriè, primò, & per se; homo auctor eorum dicitur impropriè, puta secundariò, & instrumentaliter solùm. Optimè autem ait Glossa, apocryphos vocari eos quorum ignoratur auctor, id est, quorum auctorem nescitur esse Deum, vel potiùs scitur non esse Deum, licet nomen hominis auctoris constet. Nam quorum auctorem Deum esse constat, ij sunt canonici, quamuis incomperto nomine illius hominis quem Deus notarium adhibuerit suum & Ecclesiæ suæ. Huc enim respexit Glossa, & verba confirmant canonis, quum dicitur exempli causa, *historia Eusebij Pamphili apocrypha, opuscula Tertulliani Carthaginiensis siue Africani apocrypha,* & quæ sequuntur.

5 Art. 4. *solùm in Latina editione.*] nisi Græcè in quibusdam editionibus.

6 Art. 5. *vt dicitur Genes. 22.*] nimirum vt est probabile.

7 Art. 6. *Hermetis, qui inscribitur Pastor.*] Hermæ potiùs, vel Hermâ, vt Hieronymus ex Paulo Rom. 16. vocat. etsi videtur sententia Tertulliani de oratione cap. 12. verior, Hermam auctorem Pastoris fuisse Pij Rom. fratrem.

8 Art. 6.

8 Art. 6. *ex libro non canonico testimonia petiisse.*] Sed & Tertullianus scripturam apocrypham, & falsam vocat, & omni Concilio nostrorum damnatam, lib de pudicitia, cap. 10. & 20.

9 Art. 7. *somnia sunt.*] vt alia multa id genus prætereà taceamus.

10 Art. 9 *in Iustiniano.*] de hac re videbitur in parte altera tomi 1. controuersiæ generalis 4. lib. 1.

11 Art. 10. *quæ res non minimi momenti esse videtur.*] De libris Esdræ canonicis falsum: nec verò sapientia Iesu Siracidæ vel Ecclesiasticus omittitur: de aliis antè diximus. Apocalypsin autem quis probet tum nondum fuisse scriptam? etsi excusari aliqua ratione potest: sed quid tanta contentione opus? præsertim cùm in Decreto distinct. 16. expresse negetur istorum canonum auctoritas.

12 Ibid. *non aliunde didicit qui libri sint canonici & qui non sint, quàm ex traditione Apostolorum.*] Dicendum, ex testificatione Dei, & traditione eius per Apostolos: illa principalis & perpetua est; hæc secundaria & instrumentalis est, vniusque transeuntis actus.

13 Art. 13. *non comedendo.*] de Pontificiis legibus negamus, de diuinis religiosè & solùm confirmamus.

14 Art. 14. *duo libri Esdræ sint nostri tres.*] Negamus: & rem meliùs disputator exponit sequentibus, quum tertium tanti esse negat.

De verbo Dei, lib. 2.

IN CAPVT I.

1 Art. 3. *Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei eructauit.*] Hæc Basilius ῥητορικῶς, ac non affirmatè enunciat: prout adferuntur nonnunquam τὰ μυθικὰ à sapientibus viris.

2 Art. 4. *ex libris autē canonicis nihil tale colligitur.*] sed in contrariam potiùs sententiam exstant quamplurima.

Art. 5. *curæ fuit lex Domini.*] maximè cùm pars eorum iam antè & temporibus variis migrauisset in captiuitatem, pars in Iudæa publicè priuatimque permansisset in cultu Dei, & omnes vtrobique haberent sacrorum librorum copiam, & religiosè seruarent. Hæc itaque narratio tum veritati historiæ sacræ, tum pietati sanctorum Prophetarum bonorumque omnium, qui tunc hic illic vixerunt, aduersatur.

4 Art. 6. *cùm toto tempore captiuitatis negligenter lex seruata sit.*] puta à plerisque: at de Ezechielis, quem Seniores Babylone consuluerunt toties, Danielis qui tam constanter professus est legem & cultum Dei sui, trium sociorum eius, aliorumque studio & fide quis pius dubitet?

5 Art. 7. *Esdram ex reliquiis scripturæ iterum eam composuisse.*] id est, cùm authenticus liber, qui in ἀρὼν (vt vocat Epiphanius) vel capsa Ecclesiæ in templo asseruabatur, incensus esset, & publicum exemplar authenticum loco illius desideraretur, contulisse illum ex priuatis exemplaribus, & confecisse vnum

vnum auctore Dei Spiritu, quod authenticum publicè haberetur, asseruareturque, vt communis aliorum in Ecclesia canon.

6 Ibid. *Esdram omnes Psalmos collegisse, & ex eis vnum librum confecisse.*] Hoc particulare vnius libri; & opinionis incertæ : quamobrem de toto corpore testamenti veteris nihil probat.

7 Ibid. *ab Esdra fuisse restitutum.*] nempe exscriptione, & sensu vel intelligentia eius. sic dupliciter restituit eam, nempe vbi alucinati librarij atque interpretes.

8 Art. 8. *Esdram inuenisse nouas literas Hebraicas, & antiquas quidem reliquisse Samaritanis, nouas autem tradidisse Iudæis, quibus etiam nunc vtimur.*] Hoc à Iudæis præceptoribus suis Hieronymus didicerat, audacissimis commentorum istorum magistris; & à Samaritanis, qui istam laudem sibi adhuc falsò vindicant memoria nostra, seque matricis illius scripturæ custodes affirmant esse : quod mihi quidem nec verisimile videtur esse. Nam qua occasione, aut quorsum illa scriptionis ab ipsis Patribus Prophetisq. sanctificatæ permutatio ? Milesias puto. Sed suum cuique iudicium.

9 Ibid. *Proinde sine dubio nouas literas habemus.*] Negantur ista. Nam primùm de τ Græcorum in eo loco Hieronymus nullum verbum. præterea t Samaritano quæ similitudo cum cruce? agit autem Hieronymus de t postrema Hebræorum litera. Deinde crucis vocabulum est homonymum; & crucis propriè dictæ, aut etiam patibuli figura multiplex: postrema autem Alphabethi Hebræi litera vnam quoque patibuli seu crucis figuram habet. hoc cæcus for-

tasse

taſſe negauerit, videns qui negat, deſipit.

10 Art. 9. *quæ videmus ſcriptos eſſe libros Eſdræ & Danielis.*] Hîc Bellarminus grauiter fallitur: non enim mixta lingua, ſed purè Hebraica Daniel & Eſdras libros ſuos conſcripſerunt: quorum in libris ea demum exſtant Chaldaicè, quæ hiſtoricè aliunde fuerunt exſcripta, id eſt, exempla literarum & actorum quæ in faſtos regios & annaleis publicos relata fuerant; quæ verò Spiritus Dei abſolutè dictauit, hæc planè ſunt Hebraica. Quapropter ratio hæc infirma eſt.

11 Art. 10. *Græca vocabula ἀνὴρ & γυνὴ, & Latina vir & mulier, nullā inter ſe habent ſimilitudinē literarum.*] Græci tamē ἄνειραν καὶ ἀνδρίδα dixerunt, vt Symmachus, Latini priſci viram, planè analogicè.

12 Art. 11. *tunc primùm cœpiſſe vocari linguam Hebræam.*] Hæc verba, *poſt tempora Noë*, in illa Auguſtini ſententia non compárent. *Ante Abraham*, inquit, *velut pueritia fuit huius generis populi Dei, à Noë vſque ad ipſum Abraham; & ideò prima lingua inuenta eſt, id eſt, Hebræa:* pro eo quod eſt, hoc argumento compererunt maiores noſtri primam omnium & antiquiſſimam linguam Hebræam eſſe. hæc verba Bellarminus non eſt aſſequutus.

13 Art. 12. *à Moſe & antiquis Prophetis conſcriptos nos habere.*] Id quidem certum eſt quod hic affirmatur, ſed infirma argumentatio: vt ex iis conſtat quæ nota 10. poſuimus.

IN CAPVT II.

1 Art. 1. *hæretici huius temporis odio editionis vulgatæ nimium tribuunt editioni Hebraicæ.*] Alij

de ſe

de se viderint: nos verò negamus odio editionis vulgatæ nimium editioni Hebraicæ à nobis tribui. Huic omnia tribuimus, quia prototypum est diuinæ veritatis à Deo per Prophetas traditum: illā humani operis, id est, imperfecti esse agnoscimus. Contrà verò, plerique Pontificij nimis parum huic tribuunt, si Ioannem Isaacum (qui defensionem veritatis Hebraicæ aduersus Lindanum scripsit) & alios nonnullos exceperis.

2 Ibid. *omnia examinari & emendari volunt ad Hebræum textum, quem purissimum fontem non semel appellant*] En quàm graue crimen, quod omnes olim orthodoxi Patres vno ore asseuerauerunt! nequi vel vnus adferatur qui neget, ex Patrum choro.

3 Art. 2. *& vocabitur admirabilis, &c.*] Locus est Caluini Institut. lib. 1. cap. 13. §. 9. Sed cur ad veterem Caluini editionem, & passim alibi, adducit Bellarminus (qui tam grauiter refutat priorem editionem suarum disputationum) nisi vt difficilis sit inuentu locus, siquis Caluinum cupiet consulere?

4 Ibid. *tot epitheta in Deum hoc loco congesta forent?*] Hem Grammaticum: quasi verò id insolens apud Hebræos esset, verba tertiæ personæ vtrouis numero impersonaliter accipi, & modò actiuè nobis, modò passiuè ad euidentiam reddi oportere id quod Hebræis ex idiotismo ipsorum est euidens. Hoc pueri norunt. Ad sensum igitur euidentiorem, non ad verbum Caluinus interpretatus est: atque hic optimus, vel teste Hieronymo, interpretandi modus. Et his argumentis scilicet vulgata editio Latina æqualis Hebrææ, aut etiam melior futura est.

5 Ibid. *Confeßione Caluini turbidus alicubi fluit ille*

ille fons, quem ipſe idem vbiq. purum videri volebat.] Negatur. Aliud eſt fontem in ſe turbidum eſſe; aliud, videri nobis turbidum. Non eſt fons turbidus; ſed mens eorum potiùs turbida, fortè etiam turbulenta, qui Grammaticam Hebræam neſcientes inuehunt temerè (nam voluntariè quis faciat?) in alienas interpretationes. Eadem planè ratio ſequentis loci. Debuerat Bellarminus Grammaticam ſuam meliùs euoluere.

Art. 3. *Textus verò Hebraici legunt, ſicut leo* כָּאֲרִי, *non foderunt, quod dicitur.* כָּרוּ.] Atqui non omnes ita legunt, ſed quidam: nec abſolutè, ſed cum variæ lectionis adnotatione : nec omni tempore ita fuit lectio, ſed his poſtremis temporibus, quum Deo placuit euincere Iudæorum inſcientiam. Nam hac lectione quam nunc Iudæi defendunt, nihil inſulſius: οὐδὲν ὑγιὲς, nec vox integra, nec ſenſus, vt Ioannes Iſaacus aduerſus Lindanum manifeſtò docet. Illam verò lectionē, *foderūt manus meas*, veteres omnes confirmant: nec Chriſtiani ſolùm, ſed etiam Iudæi religioſi agnoſcunt iuſtam ſcripturam eſſe. Exſtant adhuc verba R. Iaakob filij Chajim luculentiſſima in libro Maſſoreth, litera *Aleph Reſch* : quæ ſic habent ad verbum : *In parte librorum emendatiorum inueni, ſcribitur Caru, & legitur Caari.* hæc prima & potentiſſima probatio ab antiquorum exemplarium emendatiorum fide: cuiuſmodi vnum à ſe hoc noſtro ſeculo viſum ex veritate & bona conſcientia teſtatur Ioannes Iſaac Leuita in illo ſuo aduerſus Lindanum libello. Poſteà ſubiungit idem R. Iaakob: *Enimuerò quæſiui* vocem hanc Caari *inter eas voces quæ ſcribuntur per Vau in fine dictionum, & leguntur per Iod: ſed non inueni hoc in earum numero perſcriptum. Atque etiam in varietate lectionum* quæſiui,

quæſiui, id eſt, in variis lectionibus, *quæ eſt inter Orientales & Occidentaleis: ſed neque illic adnumerata eſt.* His illius verbis duo inexpugnabilia argumenta inſunt lectionem *Caru* confirmantia ad veterum librorum fidem. Sic enim ille arguit: *Si vera eſſet lectio Caari, ſicut leo,* certè inueniretur aut in earum vocum catalogo quæ aliter legendæ ſunt ad commoditatem ſenſus, aut in altero illo variarum lectionum catalogo; quos catalogos iam olim priſci Iudæi perſcripſerant diligentiſſimè: at neutro in catalogo horum inuenitur quicquam: ergo aut Caru ſimpliciter legendum, aut Caari, ſine varietate vlla. Non autem legendum eſt Caari: nam & libri emendatiores repugnant, & verborum ſenſus, & Maſſoritarum conſenſio; omnino ergo vincimus Caru, id eſt, foderunt, legendum eſſe. Hæc Bellarminus ſi non intellexit, audax eſt profectò qui de rebus non intellectis iudicet: ſi intellexit, vbi pietas hominis, qui idipſum nobis cupit adimere quod religioſi etiam Iudæi conceſſerunt? Siccine odio noſtri elidatur Dei veritas? Quædam ergo exemplaria corrupta ſunt, quædam verò minimè. Ex eo autem quòd quædam corrupta ſunt, ſi inferas, ergo eſſe corrupta omnia (hoc verò Bellarminus facit) ecquis neſcit à parte ad totum in quantitate (vt vocant) ἀσυλλόγιστον & improbam argumentationem eſſe?

7 Ibid. *vbi hunc verſum citat.*] Citare negamus, non negamus deſtringere.

8 Ibid. *Hieronymus ad literam reddidit ex Hebræo, exiuit ſonus eorum?*] Nempe ad Pauli accommodationẽ reſpiciens magis quàm ad Prophetæ ſenſum. Nã Paulus hæc prædicationi Apoſtolorũ tribuit per comparationem minoris, quæ Propheta de κτίσεως ſeu vniuerſitatis huius delineatione dixerat: prout ibidem

dem Pſaltes à documentis naturæ ad documenta ſcripturæ tranſſilit. Non ergo vitium eſt textus Hebraïci, quod hic cenſoria ſua virgula definit; non Pauli interpretantis; ſed officium Apoſtolicæ induſtriæ, quũ per eumdẽ Spiritum verba Dauidis de creatione dicta ad conditionem gratiæ Euangelicæ ampliùs oſtẽdit pertinere, & inſtituto ſuo liberè alias voces accommodat. Huiuſmodi autem παρῳδίαι non paucæ in nouo teſtamento exſtant, vt ſacrorum Parallelorum lib. 2. cap. 19. tradidimus.

9 Ibid. *deſunt integræ ſententiæ in Hebræo, cùm non deſint nec in verſione lxx. nec in Hieronymi tranſlatione.*] Negamus: nam etiam verſus qui pòſt adducitur, aliunde infarctus eſt, nimirum ab Exod. 18. 4. Ineptè verò in Exoli 2. inculcatur, ſi ad argumentum Moſis attenderis, & continuationem hiſtoriæ. Gerſom enim prior Moſis filius multis annis præceſſit Eliezerum fratrem, quibus annis Iſraëlitæ reſpexerunt ad Deum, & ad illos viciſſim Deus: Eliezer verò ſub finem annorum illorum natus eſt, & adhuc fuit ἀπερίτμητος, incircumciſus, quum ſeſe Moſes ad reuerſionem in Aegyptum accingeret, vt planè docet hiſtoria Exo. 4. Hanc obſeruationem ſiqui non vident ad illuſtrationem gratiæ diuinæ & conſequutionem hiſtoriæ pertinere, ac propterea farcturam iſtam de Eliezero Exod. 2. adhibent, ij profectò Moſis conſilium non vident: ſin negant; malè merentur de Moſe & Eccleſia Dei.

10 Art. 4. *Hebraico fonti nimiam puritatem falsò attribuunt.*] Nec nimium, nec falsò; ſed diuinam, atque ex veritate illi tribuimus.

11 Art. 7. *Maſſoreth poſt Hieronymi tempora ſcripſe-*

scripserunt.] Non ita multo post Hieronymum: nec enim anni intercesserunt ampliùs triginta, vt testantur historiæ, quas Genebrardus ipse ex Hebræorum scriptis in suo Chronico diligenter comportauit.

12 Art. 9. *In Hebræo legi potest, percussum Deum & humiliatum.*] Potest quidem, sed permutata vocali vna & ratione prosodica: repugnat verò constans & consentiens exemplarium & interpretationum fides. Quid autem apud Iudæum viceris, si ex mutato loco istud probare contenderis? Nam hoc quidem, est τὸ ἐξ ἀρχῆς petere.

13 Art. 13. *dicit se voluisse ex Hebræo vertere diuinos libros, vt restitueret quæ Iudæi vel omiserant, vel corruperant.*] Demonstrat id ratio quam Hieronymus adfert ibidem, quum ait, *vt scirent nostri quid Hebræa veritas contineret.* Et ita passim.

14 Ibid. *dubitat, non asserit.*] Verumtamen illi ipsi loci, quos ad argumentum suæ dubitationis illic adferebat, commodè sine vlla mutatione exponi possunt, & ipse quoque posteà exposuit alibi.

15 Art. 15. *eodem modo ista loca se legisse significat.*] Hæc verior sententia. Id enim pro certo habendum est, quocunque tempore instituta à Iudæis fuit exemplarium Hebraicorū comparatio, eam fuisse librorum particularium; neque ex mente ipsorum & humano iudicio, sed ex veterum idoneorumque exemplarium fide confectam esse. Quod factum quis pius non laudet? imò ne ipse quidem Bellarminus improbat infrà cap. 11.

16 Art. 17. *libri sui contra Iudæos.*] Hæc quidem variæ lectionis exempla in libris quibusdam olim deprehensæ: sed quàm pauca? quàm exigui

momenti omnia? obelisco digna scilicet.

17 Art. 8. *Ecclesiam ipsam oppugnare.*] atque adeò veritatem Dei in Ecclesia depositam, & certitudinem illius.

18 Art. 21. *quorum os dolus & amaritudo impleuit.*] vel quorum os dolo & amaritudine plenum est: nam Hebræum verbum vtroque modo accipitur, & interpretatio altera σολοικίζει. Quapropter hic responsionis locus infirmus est. de toto autem hoc loco Psalmi consulendus Hieronymus procemio lib. 16. in Esaiam.

19 Art. 24. *habere suos quosdam errores,*] Nos vero ita statuimus. 1. non esse deprauatas scripturas consulto Iudæorum facto, vt antè demonstratum. 2. errores vbicunque sunt, perpaucos & particulareis esse, eosque nec graueis, nec immedicabileis ex idoneorum exemplarium & Massoritarum fide.

20 Ibid. *non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberrauerint.*] Negamus vtrumque, Rabbinos addidisse puncta, & eos qui addiderunt fuisse ignoranteis. Id quidem verum est, Biblia particularia ferè omnia punctis caruisse: at non continuò sequitur ex eo, publica etiam Biblia atque authentica, quæ in Synagogis erant, caruisse punctis. Vt illa carerent punctis, fecit rei difficultas: vt hæc non carerent, fecit religionis necessitas.

21 Ibid. *ex paruo affectu & odio in Christum ea lectio interdum ipsis magis probata sit, quæ minùs Christianis fauebat.*] Hoc verò iis aduersatur quæ ipse Bellarminus adduxit suprà argumento 4.

22 Art. 25. *possumus, si volumus, puncta detrahere, & aliter legere.*] Negamus antecedens, vt nota 20.

ta 20. & negamus consequens. Nam si huic licentiæ aperitur ianua, summum adiumentum commoditasque perit legendæ intelligendæque Scripturæ, & sementis incredibilis errorum seritur. Optimè Ioannes Isaac dicebat eum qui sine punctis & accidentibus Scripturam legit, similem esse homini equitanti equum ἀχαλινωτόν.

IN CAPVT III.

1 Art. 1. *Onkelus dicitur.*] Sed & R. Ionath[illegible] Pentateuchum transtulit, nuper Venetiis editum.

2 Ibid. *R. Ioseph cæcus.*] videlicet præter Io[illegible]thanem Vzielis filium.

3 Art. 4. *contrarium sensum reddit.*] Non contrarium: nam in Chaldæo legenda verba sunt ἐρωτητικῶς.

4 Ibid. *propter filios tuos omnes populi terræ.*] Atqui hanc formam accipiunt Chaldæi promiscuè vtroque numero. viderit Grammaticus.

5 Art. *Omnis filius Israël destructus.*] vel qui desciuerit, vt Chaldæa vox significat. Nempe Onkelos filium alieni Dei, id est, idololatram interpretatus est, vel qui ad idololatriam desciuerit. Atque huic illius interpretationi suffragatur verborum sequentium antithesis, nec sine exemplo est. Sed suum cuique iudicium esto.

6 Art. 6. *non multiplicabitis comam.*] Scilicet. Imò, verò nomen est ab Hebrææ matricis linguæ significatione ductum: quasi dicat, non multiplicabitis nudationem, vel deglabrationem. Quam significationem iste non videns, temere configit magnum illum interpretem.

7 Art. 7. *& de collibus rursum descendisse ad valles.*] Fabula est peruetus ex falsa loci interpretatione nata. Moses veritatem diuinam, Onkelos humani commenti interpretationem tradidit.

8 Ibid. *vt soli dominentur in orbe terrarum.*] Sed hæc interpretatio pendet ab æquiuocatione Hebræi verbi: nam idem verbum & habitare, & consistere vel permanere significat. Etsi hæc quid ad nos?

9 Art. 8. *Seruietis populis seruientibus idolis.*] [illegible]iqui hoc tam commodè exponi potest, haud scio an [illegible]am meliùs, *seruietis populis seruientes idolis.* Quid h[illegible]c ad Onkelon? Magna scilicet labefactando interp[illegible]i argumenta.

CAPVT IIII.

1 Art. 2. *Syriaca lingua quasi proles quædam est Hebraicæ & Chaldaicæ linguæ.*] quæ quidem speciatim & singulariter dicitur Syriaca, atque in libris obseruatur qui hodie exstant eo nomine. Alioquin Syra lingua complectitur dialectos multas; prout Syria olim patuit latissimè, Herodoto, Strabone, Mela, Plinio testibus.

2 Ibid. *siue Hierosolymitana, à ciuitate præcipua Hebræorum.*] verumtamen hæ duæ, Syriaca & Hierosolymitana, idiotismis differunt.

3 Art. 3. *Credibile enim est lingua vulgari Hebræorum.*] non qua prisci illi olim, sed qua tum Hebræi in Iudæa vtebantur. De hac autem, quam fingit, probabilitate, libera per me iudicia sunto.

4 Ibid. *aut Hebraicè, aut Chaldaicè, aut Græcè à primis auctoribus scriptos esse.*] sed ea tantùm

Chaldaicè,

Chaldaicè, quæ ex actis publicis in historiam sacram relata sunt, vt suprà cap. 1. nota 10. ostendimus; & paucula quædam ad vsum communem & publicum piorum pertinentia: vt sunt ea quæ Deus imperat populo pronuncianda, Ierem. 10. 11.

5 Art. 4. *noui T. Syriaci in regiis Bibliis.*] Nobis verò argumenta illa ne efficacia quidem ad hanc rem videntur esse. Cæterùm de Immanuele Tremellio, qui Boderianis illis fratribus antè præluxerat interpretatione sua, nullum verbum.

6 Art. 7. *cum editione Græca.*] quæ sola est authentica diuinitus in testamento nouo.

7 Ibid. *apertißimi mendacij hæc ipsa editio Lutheranos conuincit*] Quin potiùs conuincit istorum exemplarium, quæ ex Syria nuper apportata sunt, nouitatem. Nam in vetustissimis ne apex quidem comparet istarum rerum, in recentioribus multis adscriptæ sunt additiones istæ ad finem librorum, idq. aliena manu. Tum inscriptiones ipsæ attestantur aliquot in locis factum esse recentiùs; vt Matthæi 19. *commemoratione S. Antonij & sociorum eius:* Luc. 14. *commemoratione monachorum*; quos paulo ante sua tempora enatos docet Hieronymus: Luc. 18. *patris Antonij & conseruorum eius:* similiterque Rom. 9. & alibi. Postremò cur ista non seruauit Rom. Ecclesia? cur mutauit, si commendabilia videntur antiquitatis nomine?

In Capvt v.

1. Art. 1. *ex qua Plato cæteriq́; philosophi non pauca hauserunt.*] ex libro 1. Aristobuli ad Ptolemæum Philometora, cuius verba adducit Clemens. huic autem successit etiam altera, ad vsum Synagogæ

Iudæorum Alexandriæ facta Ptolemæi Lagi temporibus, quum Iudæi, qui Alexandro Macedoni in occupanda Ægypto fuerant adiutores, ciues Alexandrini iure Macedonico fuerunt facti, vt scribit Iosephus lib. 12. ἀρχαιολογίας, & lib. 2. contra Apionem Alexandr. meminit Clemens Alexandr. ibidē his verbis: ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου· ἢ, ὥς τινες, ἐπὶ τοῦ φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, &c. Discrimen hoc fuit, quòd priuati operis fuerunt translationes illæ duæ, tum quæ ante Alexandrum fuit, tum quæ Ptolemæi Lagi tempore facta est: quæ verò Ptolemæi Philadelphi ætate facta est, opus fuit publici consilij; ac propterea in Synagogis obtinuit passim.

2 Art. 3. *Epiphanius loco notato auctor est.*] Secunda item publici iuris fuit, quam ad postulatum Ptolemæi vltimi (qui frater minor Cleopatræ fuit; & Iudæis, quorum subsidio maximè C. Cæsar vicerat, gratificari omnino voluit) Herodes curauit fieri atque confirmauit. Meminit Iustinus martyr apolog. 2. his verbis: *Quum Ptolemæus Ægyptiorum rex bibliothecam institueret*, (bellis nimirum corruptam) *& hominum omnium scripta comportare conaretur, de prophetiis hisce certior factus, ad Herodem Iudæorum tum regem misit, copiam sibi fieri propheticorum librorum petens. Ac rex quidem Herodes illos qua diximus Hebraica lingua conscriptos ad eum misit. Verùm quum Aegyptiis incognita essent quæ scripta erant, denuo legatione missa illum rogauit, vt ad se, qui libros eos in Græcum transferrent sermonem, homines mitteret: atque hoc sic facto, libri apud Ægyptios permansere ad hodiernum vsque diem.* Non ignorabat Iustinus historiam longè anteà seculo Philadelphi gestam, quam in παραινετικῷ ad Græcos affirmat diligentissi-

mè;

mè: non fallebatur in Herodis nomine, à cuius ætate vix annis centum aberat, & tenebat historiam: sed alteram historiam sibi probè cognitam referebat, cuius haud scio an alius quisquã auctor idoneus adeò perspicuè meminerit. Atque hæc illa, opinor, est translatio, quam veteres singulari nomine κοινὴν, id est, communem siue vulgatam appellarunt, & Lucianus postea restituit emendatam, ex quo & λουκιανὸς à plerisque dicta, vt scribit Hieronymus ad Suniam & Fretel. Fuit ergo Aquilæ translatio quinta; aut (si duas illas primas placebit omittere) tertia: & sic deinceps. Rursum verò Aquilæ fuit editio triplex, vt notat Hieronymus, itemque Symmachi.

3 Art. 4. *Hieronymus testatur præfatione in Danielem.*] & Origenes in octaplo eamdem cum LXX. translatione coniunxit.

4 Art. 5. *posteriorem Theodotionem faciant.*] Non errore, sed consilio factum, & ad exemplum Origenis, de cuius ordine agetur posteà. Nam Symmachi versio & à Nazaræis fiebat plurimi, & in Synagogis Iudæorum ἑλληνιστῶν celebris erat maximè, & ter ab ipso fuerat recognita: atque haud scio an postrema recognitio Theodotionis æmulatione facta.

5 Art. 10. *editionem κοινὴν, id est, communem appellari solitam scribit idem Hieron. præfat. lib.* 16. *in Isaiam.*] Hoc verò nusquam disertè Hieronymus adfirmauit. vide in notam 2.

IN CAPVT. VI.

1 Art. 2. *cùm hic Ptolemæus superiori proximè successerit.*] Nisi fortè intelligamus rem à Ptolemæo Lagi institutam, à Philadelpho consummatam esse:

aut potiùs à Iudæis, qui & Alexandri magni & Ptolemæi Lagi temporibus pars migrauerũt in Ægyptum, pars transportati sunt, Iosepho teste, deinde verò à sequentibus, siue posteris horum, siue nouis aduenis, procuratam. Sed rei veritatem vide cap. 5. nota 1.

2 Art. 3. *aut corruptiorem nobis dedissent, aut certè in suspicionem trãslatores facilè vocarentur.*] Non pugnant ista, vt cap. 5. nota 1. ostendimus.

3 Art. 4. *tempore autem Apostolorum nulla erat alia versio Græca, quàm lxx. interpretum.*] Vtrumque simul verum est. Septuaginta enim à Iudæis ferme appellantur doctores & primores illi, ex quibus consilium magnæ Synagogæ (quod illi Sanhedrin, id est συνέδριον vocabant) erat constitutum. Itaque primùm quidem ab illis LXX. quos Eleazar sacerdos ad Philadelphum ablegauit, credibile est solum Mosem Græcè fuisse redditum, quod Aristæus siue Aristeas, Iosephus, Philo, Hieronymus, alij senserunt; postmodùm verò libros cæteros itidem à LXX. (etsi non ab iisdem illis) tempore succedente Græcos fuisse factos propter Iudæos ἑλληνιστὰς, qui Hebrææ linguæ peritia planè caruerunt in sua illa diuturna peregrinatione. Atque huc illa Ptolemæi vltimi & Herodis historia, quam ex Iustino Martyre cap. 5. nota 2. adduximus, videtur facere. Est enim vtraque à LXX. licet diuersis, translatio.

4 Art. 5. *antiquissimos Iudæorum.*] Atqui tantùm petiuit legem, vt fidem facit historia: tum non est credibile ampliùs dare Eleazarum voluisse.

5 Ibid. *qui breuiore tempore sine vllo miraculo verti possit?*] Miraculum auctores non à circumstantia temporis, sed à modo rei omnes affirmarunt.

6 Ibid.

6 Ibid. *Mentionem facit versionis & eam explicat.*] Nempe LXX. communiter, non huius aut illius temporis, hi aut illi singulariter, vt nota 3. dictum.

7 Ibid. *in lege scriptum esse dicit, quod habetur in Isaia.*] Agnosco vsum vocis homonymum; sed huc nego pertinere, quum de illis LXX. agitur qui Philadelpho gratificati sunt.

8 Art. 13. *eum ex obliuione aliter rem narrasse quàm illi fecerint.*] Hoc eodem argumenro Iustinianus vtitur Nouella 146. & alij. non ergo contra sententiam omnium venit Epiphanius.

9 Art. 14. *non tam interpretes, quàm Prophetæ fuisse videantur.*] Nobis verò certius est certo, vt riuus humanus cum diuino fonte, sic translationem illorum cum prototypo indignè comparari. Et innumera sunt huius sententiæ nostræ in ipsa translatione argumenta, quod ipse Hieronymus testatur passim.

10 Art. 15. *scribit: Si versio lxx. integra haberetur, vt ab eis edita fuit, frustra se laboraturum in Bibliis transferendis.*] Sed causam dicti ibidem subiicit, quum ait: *Quod enim semel aureis hominum occupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, iustum erat etiam nostro silentio comprobari.* Non ergo fuisset Hieronymus ab eo labore abstenturus, quòd translationem perfectam videret esse, sed quòd offensionem publicam declinare vellet. De sequentibus locis iudicium idem. Sed quid? habeant illi sanè, si placet, per nos auctoritatem suam, modò incorruptam habeamus translationem ipsorum. Hoc autem quis homo præstet? nam Hieronymi ætate nemo potuit.

11 Ibid. *se nunquam lxx. interpretibus detrahere voluisse.*] Nempe vt inuidiam à se propulsa-

 ret,

ret, qua Ruffinus ipsum indignè onerabat.

12 Art. 16. *etiam ignorantia aliorum.*] Negatur.

13 Art. 17. *præfatione Euangeliorum ad Damasum.*] Frequenter quidem, at non semper: hoc enim ipse Hieronymus apertè negat aliquot in Esaiam & alios Prophetas locis. Consulatur eius in Esaiam præfatio.

14 Ibid. *in Paralipom. scribit.*] Sed variam, & variorum LXX. vt in caput præcedens annotatum est.

15 Ibid. *multis temporibus ageretur.*] vide supra nota 5. & tota quæstione 2. huius cap.

16 Art. 20. *notior tunc esset Chaldæa propter imperium Assyriorum, quàm Hebræa.*] Atqui Philo fuit ἑλληνιστὴς, & Hebrææ & Chaldææ linguæ imperitissimus, vt clamant omnia ipsius opera: quid iudicio eius, aut testimonio facias?

17 Art. 21. *nihil demi posset.*] Et huius eadem fuit atque Philonis in Hebræo sermone inscientia.

18 Art. 23. *totam quoque esse corruptam.*] O religiosam cautionem & fidem! quam si mordicus teneas, veritati potiùs ipsi (quæ tamen semper vna est) quàm Concilio instabili & vano renunciaueris.

19 Art. 24. *tam multa contrario sensu reddita.*] Quomodo? inquis; nempe inscientia & ignoratione Hebrææ linguæ, ex qua vterque laborauit, & res non certa scientia cognitas, sed aliena prædicatione auditas retulit, vt nota 16. & 17. dictum.

20 Art. 25. *quale illud est de supputatione annorum Mathusalem, Gen. 5.*] Item reliquorum ferè omnium, ibidem; quorum vitam singulorum ferme annis centenis auxerunt, vt cum fabulosa Ægyptiorum antiquitate hæc specie antiquitatis pugnarent; videlicet

delicet mendacij huius erismate veritatem fulcientes. Hoc verò non est veritatem seruare, sed perdere.

21 Art. 26. *quæ simul vera esse non possunt.*] nisi illud accipias ἐρωτητικῶς, vt etiam in cap. 3. nota 3. dictum: quam rem quis vetat fieri?

22 Art. 27. *sæpius emendatam ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo*:] Eam verò nusquam dicit Hieronymus à Iudæis recentioribus corruptam esse. de aliis in fine cap. 5. dictum. Ad summam ita statuimus: illos LXX. aliter alia vertisse, partim quia Spiritus sanctus liberè dictauit (etsi hoc non interpretum, teste Hieronymo, sed vatum aut prophetarum est) partim quia multa ab aliis aliter acceperunt, vt de se Iosephus narrat, & lib. 1. cap. 7. nota 18. docuimus; partim quia ipsis est ita visum commodius pro ratione temporis, aut Ecclesiæ cui seruiebant, aut gentium in quibus versabantur; partim denique quia ita esset opinio communis omnium, aut singularis ipsorum: & siqua sunt præterea eiusmodi.

IN CAPVT VII.

1 Art. 2. *exceptis duntaxat Euangelio Matthæi & Marci, & epistola ad Hebræos.*] Nobis nihil excipi videtur oportere. Nam quæ sancti illi Patres de his libris leguntur scripsisse, ea ab incerta traditione sunt, nec iusta videtur causa cur ita facere auctores oporteret.

2 Art. 3. *Euangelium illud prodiit.*] Quin-etiam vtrobique barbara sunt & σόλοικα multa. Deinde quis credat scripturum fuisse Matthæum Hebraicè, nisi sermone Syro qui tum apud Hebræos obtinebat?

bat? quòd si prisco sermone scripsisset (vt præ se ferunt editiones istæ) cui fuisset bono?

3 Art. 4. *Latinè ab ipso scriptum fuisse.*] vide infrà cap. 15.

4 Art. 5. *cæteriq́; huius temporis hæretici.*] Sic nulla nobis (quod absit) pura foret Scriptura in Ecclesia Dei, si horum quoque librorum auctoritas hactenus labasceret.

5 Art. 6. *Certè 1. Cor. 15. legendum est; Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.*] Satis pro imperio. An verò non satis erit pio, si ... commodè vt opus est intelligat? nec enim huic sen...i aduersantur verba. An ergo ea mutari cuiusquam hominis aut hominum auctoritate oportebit, quæ sapientissimus ille ac fidelissimus Dei & Ecclesiæ ...arius consignauit? Optimè profectò respondent membra, si essentiæ & qualitatum antithesin dicamus fieri in hunc modum: ὁ πρῶτος ἄνθρωπος [κατ' οὐσίαν] ἐκ γῆς, [κατὰ ποιότητα] χοϊκός· ὁ δεύτερος ἄνθρωπος [κατ' οὐσίαν] ὁ κύριος, [κατὰ ποιότητα] ἐξ οὐρανοῦ. Nam κύριος, Dominus, hîc est Iehoua ex Græcorum vsu, idemq́ue Dei filius. Non abs re ita scripsit Paulus; sed hic scripturam flagellat abs re: quam Caluinus non putauit temere mutandam vt iste facit, sed rectè exponendam. Loci sunt Instit. lib. 2. cap. 12. & 13. & lib. 4. cap. 17. sed nusquam hæc Pauli verba nisi religiosè ab eo adducuntur.

6 Ibid. *pacet ex Tertulliano lib. 5. in Marcionem.*] Id verò in nulla Tertulliani editione comperi, licet collatis pluribus, Rhenani, Gelenij, Pamelij, &c.

7 Art. 8. *in libro 1. contra Iouini. affirmat non esse Apostolicæ veritatis.*] Nimirum seruiebat tum Hierony-

Hieronymus causæ suæ. At idem alibi extra contentionum æstum hanc lectionem agnoscit, scribens in Heluidium, & ad Eustochium de seruanda virginitate. Agnoscunt item alij omnes Patres, & sensu manifestissimo.

8 Ibid. *in suis commentariis.*] Malè, quod paucorum est, exemplaribus Græcis omnibus tribuitur, & ex particulari adstruitur vniuersale. Sic probari corruptionem noui testamenti Græci oportuit sc[illegible]licet. Hoccine catholici hominis offi[illegible]ium, aut factu[illegible]

9 Art. 9. *de quibus suprà disseruimus.*] Negan[illegible]s defuisse ista in orthodoxorum peritiorum libris: [illegible]fuisse nostris sæpe agnoscimus, quos imperiti ab h[illegible]reticis habuerunt. Primum enim locum Nouatian[illegible] atque Cathari expunxerant: secundum imperiti, qui à Manichæorum impietate in vltimum Marci caput[illegible]farię inserta abhorrebant; vt libri 1. cap. 16. dictum; tertium denique Ariani. Per istos enim sæpe corrupti libri illabebantur in manus imperitiorum, vt fit memoria nostra. Igitur hîc quoque ex particulari argumentatur Bellarminus noster.

10 Ibid. *additur: quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sec.*] Negatur.

11 Ibid. *cùm omnes isti Græcè pene nouerint.*] At hunc versum habet Græca editio Noui testamenti plurimùm, habet Syra, habet Chrysostomus, & copiosè exponit homil. 20. in Matthæum, habet auctor operis imperfecti, habet Theophylactus, & Græci alij, quorum non minor est in hac re quàm Latinorum auctoritas. Nempe Latini hoc non addiderunt, quia non est visum vtile commoueri de ea re Ecclesiam suam, postquam diu fuisset omissa: quemadmodum

admodum & Hieronymus dicebat olim in causa simili. vide suprà cap.6. nota 10.

12 Ibid. *sed non continuant cum oratione Dominica.*] Hic gladius plumbeus. Nam quanta est huius Liturgiæ vel apud Rom. ipsos auctoritas? quam non adeò antiquam, particularem, & sibi improbatam sciunt. Hoc argumento sanè apud Græcos probent, eosque suo gladio, si possunt, iugulent: at nobis infima est argumentatio. Si enim hæc ratio in hoc argumento valet, cur non in cæteris? sin autem in cæteris non valet (non valet autem) ex particulari nihil conficitur.

IN CAPVT VIII.

Art. 4. *librorum, quos Latinos fecit.*] Hæc non sufficiunt. Nam ipse Hieronymus de se aliter testatur cùm alibi passim, tum in prologo galeato, quum ait: *Quicquid enim crebriùs vertendo & emendando solicitiùs & didicimus, & tenemus, nostrum est.* Idem opus & vertit, & emendauit. Ac vetus quidem testamentum vertit primùm ex LXX. deinde ex Hebræo: emendauit verò tum ipsos LXX. quorum textus contaminatissimus, tum Latinam versionem ipsam. Ex eo enim factum est, vt adhuc in quosdam libros tres præfationes eiusdem auctoris extent: prima, in versionem ex LXX. secunda, in versionem ex Hebræo; tertia denique in versionem emendatam; cuius laborem subiit Hieronymus, quum & literis multorum & exemplis animaduerteret suam versionem ex Hebræo in multis Ecclesiis ab imperitis allidi, à multis peritis rodi, plurimis offensioni esse.

2 Art. 5. *Si me, inquit, in noui testamenti emendatione*

dationе ſuſcipis, &c.] Vtrumque feciſſe videtur Hieronymus, & vertiſſe nouum Teſtamentum, & verſionem vulgatam, quæ tum obtinebat in Eccleſiis, emendaſſe. Teſtis mihi non ſolùm Auguſtinus epiſt. 10. ad Hieronym. ſed & ipſe Hieronymus ad Lucinium ſcribens his verbis: *Canonem Hebraicæ veritatis, excepto octateucho* (id eſt, libris hiſtoricis) *quem nunc in manibus habeo, pueris tuis & notariis dedi deſcribendum. Septuaginta interpretum editionem & te habere non d*[illegible]*i-to, & ante annos plurimos diligentiſſimè emendatam* [illegible]*diosis tradidi: nouum* (nimirum canonem) *Græcæ r*[illegible]*didi auctoritati. vt enim veterum librorum fides de Heb*[illegible]*s voluminibus examinanda eſt, ita nouorum Græci ſer*[illegible]*is normam deſiderat.* Priùs ergo nouum teſtamentu[illegible] ex Græco verterat: pòſt veteri vertendo operam dedit, vt Lucinio ſcribit. Ex verſione quum offenſæ exſtitiſſent, verſionem antè in Eccleſiis receptam emendauit [illegible] purgauitque grauioribus maculis, vt minus offenſio[illegible]nis eſſet: primùm quidem Noui teſtamenti, poſtulante Damaſo, Latinarum Eccleſiarum cauſa; deinde V[illegible]teris, multorum ſolicitatione, vt ex Auguſtino epiſt. 10. conſtat. Quod autem de verſione ſcribebat Auguſtinus, id de emendatione pòſt ſequuta accepit Hieronymus; vt quaſi ſepulta verſionis illius recordatione ſe ab hoc diſputationis argumẽto liberaret apud omneis, ſi poſſet. Etſi quid tantopere ad rem facit, ſi verterit, aut emendauerit, aut vtrumque fecerit?

IN CAPVT IX.

1 Art. 3. *Teſtamentum nouum Latinum editionis vulgatæ ex antiqua verſione habemus, quam tamen Hieronymus emendauit.*] addendum; ſed alij multi

multi post Hieronymum iudicio suo vsi sunt in eo retinendo, partem hanc aut illam emendationis suscipientes, & in Ecclesiis vsurpantes. Quamobrem quæcunque sequuntur argumenta nihil possunt conficere, quia ex particulari ducuntur omnia in vtramuis partem. Illud autem fuit librariorum, aut literatorum, aut Episcoporum, aut Ecclesiarum factum.

2 Ibid. *Domino seruientes.*] De his duobus locis vi[illegible]e suprà cap. 7. nota 7. & 8. Cætera ex particulari a[illegible]umentantur, si Deo placet.

3 Art. 4. *Hieronymus in cap. 5. ad Gal. vult legi,* [illegible] *vt glorier.*] Sed hæc ineptè versa (vt pòst exponi[illegible]r) quasi tergiuersante Hieronymo, hîc pacis priua[illegible] causâ, illic victoriæ: posteà verò contigit Hieronymo quod vulgo dici solet, δεύτερον φροντίδων.

[illegible] Art. 7. *ex editione S. Luciani martyris.*] At il[illegible]d commune Psalterium ex LXX. petitum erat; eam[illegible]que translationem adeo redolet, vt naso carere videa[illegible]ur qui istud non odoretur. etsi sunt quædam singularia, vt in mixto opere.

5 Art. 9. *igitur nostra nō est illa ipsa versio lxx.*] Atqui non eam ipsam esse dicimus, sed ex ea plurimùm. Quid argumentando ex particulari in contrarium eruatur?

6 Art. 10. *quæ in ἐξαπλοῖς codicibus reperitur.*] Aliena hæc probatio est: nam illic agit Hieronymus de communi seu vulgata translatione Græca; hîc verò de Latina vulgata agitur, quam ab Origene & Luciano, Græcis hominibus, destrictam fuisse nullæ vnquam (si bene memini) literæ prodiderunt. Quàm lepidè ex disparatis procedit argumentatio! Germanæ gerræ.

7 Art. 11. *& ex præfat. Prouerbior.*] Confer, si placet,

placet, ista cum lib. 1. cap. 13. & 14.

8 Art. 12. *Reliqua omnia ex Hieronymi versione ex Hebræo habemus in editione vulgata.*] Negatur: nam contrà mixtam esse hanc demonstrat locorum plurimorum comparatio; mixtam dico ex antiqua iam recepta diu, & Hieronymi emendatione: prout & Psalterio & nouo testamento factum agnouit ipse 2. primis propositionibus; & de hac ipsa editione, postquam diu præuaricatus est, tandem fatetur q[...]-dammodo sub finem capitis, & cap. 11. dise[...] verbis.

9 Art. 13. *& Machabæis.*] Negatur: ratio[...] in sequentibus ostendentur.

10 Art. 14 *& à Græco dissentit?*] Alicubi concordare agnoscimus: quod dicit, *pene vbique*, falsum est. negamus.

11 Ibid. *Hebraicæ veritati consensit.*] Non sequitur vniuersè, ac ne communiter quidem, ex locis aliquot particularibus.

12 Ibid. *reliqua autem de editione vulgata, vel ex Theodotione addidisse*] Atqui hæc de emendatione, non de versione dicta sunt: itaque nihil ad rhombum. Nam quis ex eo confirmet, versionem antiquam nihil ex Hebræo habuisse; & quæcunque habuit canoni Hebræo respondentia, ab Hieronymo fuisse singula? hoc ne Hieronymus quidem affirmat, cætera non parcus laudis suæ. Ergo vbi mutat, caussam dicit ex Hebræo canone; vbi versio conuenit, non mutat.

13 Art. 14. *nostra editio integerrima & plenissima est, non minus quàm Hebraica.*] Inconsequens ex particulari: libro Iobi Hieronymus adiecit quæ de-

erant, ergo totus est ab Hieronymo. Quis sic argumentatur vigilans? Cæterùm defuisse quidem *apud Latinos* dicit, de Græco nullum verbum. Sed hoc nihil ad causam quæ agitur. Indigna verò pio homine est affirmatio ista; vulgatam editionem integerrimam & plenissimam esse, non minus quàm Hebraicam: hæc enim diuina integritate est & plenitudine; translatio minimè. Profectò quum istam comparationem B[illegible]larminus scriberet, credebat illud verè esse in vulg[illegible] dictum, *charta non erubescit.*

[illegible]14 Ibid. *duas versiones ponit & explicat, id est, [illegible]m, quæ est nostra vulgata, & aliam lxx. interp[illegible]um.*] Imò hoc ipsum probationes sexcentas suppe[illegible]itat, quibus Vulgatam hanc non esse Hieronymi confirmetur. Exempli causa, Esai. 1. 2. *Audi cælum,* [illegible]tit Hieronymus, *& auribus percipe terra, quia Domi[illegible]us loquutus est: filios genui & exaltaui.* Vulgata verò, *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus lo[illegible]uutus est: filios enutriui & exaltaui.* Et versu 11. Hieronymus, *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium: & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cùm veneritis ante conspectum meum, quis enim quæsiuit hæc de manibus vestris? calcare atriū meum non apponetis.* Vulgata longè aliter, *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis?* Sic in illo præsigni loco Esai. 53. 8. *propter scelus populi mei percußit eos*, exponit Hieronymus in textu & commentario, vbi Vulgata habet, *percußit eum.* Infinitum sit omnia colligere: sed ex his

ex his indiciis prudens Lector facilè deprehensurus est non vsque adeò vera esse ista vulgatæ translationis encomia.

15 Art. 16. *quæ præparasti diligentibus te, Isai. 64.*] Inconsequens ex disparato, vt & nota 6. dictum. Agit enim Hieronymus in iis locis de editione L X X. nos hîc de versione vtraque Latina agimus, antiqua & Hieronymi. An verò consequitur illud? hæc non sunt ex LXX. ergo ex Hieronymi translatione sunt. Omnino falsa est disiunctio, aut à LXX. aut ab Hieronymo esse oportere: cùm & Hieronymus locis quamplurimis queratur ferme tot interpretes Latinos, quot codices, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 11. interpretes Latinos dicat nullo modo numerari sua memoria potuisse.

16 Art. 17. *in nostra editione omnia inueniri, vt ipse se vertisse dicit.*] Quædã inueniri certè agnoscimus, vt sunt ea quæ sequuntur: sed omnia sic inueniri vt ipse se vertisse dicit, falsum est. Verbi gratia, quæstionibus in Genesim pro eo quod habet Vulgata Gen. 1. 2. *spiritus Dei ferebatur super aquas*, reponit ille, *incubabat siue confouebat, in similitudinem volucris oua calore animantis*. hæc ipsius verba. Gen. 2. 8. Hieronymus, *plantauerat Dominus Deus paradisum in Heden à principio:* Vulgata, *paradisum voluptatis à principio.* item versu 15. Vulgata, *tulit ergo Dominus Deus hominem:* Hieronymus, *& sumpsit Dominus Deus hominem.* Gen. 3. 8. *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam*, inquit Hieronymus: Vulgata verò, *Cúmque audiuissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* & versu 14. Vulgata, *& terram comedes:* Hieronymus conuenienter Hebræo, *& puluerem comedes.* Hæc de innumeris pauca, vt pru-

dens lector ex vnguibus (quod aiunt) leonem. Cæterùm quænam hæc consequentia est? non est ex LXX. ergo ab Hieronymo est. Disiunctiuam oportet esse ἄμεσον, hæc autem est πολύμεσος, hac illac perfluit. Nos Vulgatam Hieronymi solùm negamus esse: non negamus vnguem Hieronymi ad eam accessisse, at eam ex multorum symbola esse συνεῤῥαμμένην agnoscimus. Nihil in contrarium probant sequentia ex particularibu[illegible] aliquot locis: non enim continuò sequitur, si hæc a[illegible] Hieronymo sunt, esse igitur ab eo omnia: quemadmodum ex contrario non valeret, si quis propter [illegible]os multos quos mutari iussit Hieronymus, nihil e[illegible] in Vulgata esse concluderet. Neutrum est συλλογισμὸ[illegible]ùm Vulgata hæc nostra vtramque illam ineluctabilibus argumentis testibus participet.

[illegible]17 Art. 19. *Qui enim abiecerunt vel neglexe[illegible]unt editionem beati Hieronymi, cur quæso præfa[illegible]tiunculas conseruarunt?*] Exstant quidem præfatio[illegible]nes illius: sed cùm multiplex fuerit illius interpretatio, vt in caput 8. antè ostendimus, & singulis libris (præterquàm in translatione ex LXX.) præfationem in vnaquaq. interpretatione addiderit; profectò ex præfationibus erui non potest hæc consequutio. Nam nostra adhuc memoria pauci libri vnicam Hieronymi præfationem habent; plurimi binas; duo etiam ternas: quarum præfationum singulæ ad vnam certam aliquam interpretationem & singularem pertinent, ac non diuersarum interpretationum communes exstiterunt. Hoc diligens lector obseruet rogo, & ex ipsis præfationibus iudicium faciat: rem ita se habere vt dixi comperturus est. Si vnica esset præfatio singulis, fortasse plus aut speciei aut virium habitura esset ista argumentatio: sed cùm singulis præfationes singulas præfixe-

præfixerit, binæ autem ſint ternæ've in libris quamplurimis, qui fit vt Bellarminus minùs viderit plures Hieronymi interpretationes emendationesque excidiſſe, quarum integræ tamen præfationes adhuc permanſerunt? Inconſequens igitur argumentatio ex abſurdo. Nam quàm multa interciderunt ſcripta, quorum præfationes aut principia ſuperant ætate noſtra?

18 Art. 21. *in lib. de opt. genere interpretan i.*] Etſi hæ reſponſiones omnes iis quæ modò fuerunt -cta eliſæ ſunt, tamen quod ſingulare eſſe videbitur, ſingulas ſubiiciemus. Hæ duæ igitur cauſæ proba liores eſſent, ſi tantùm volſellis (vt ita dicamus) h c inde excerperentur differentes loci: Cùm autem a-rietatis copiam ſingulæ ferme paginæ præbeant, negamus ipſas ad rem facere; totamque varietatem huic argumento maximè adſcribemus, quòd non Hie-nymi verſio, ſed antiqua illa ab Hieronymo emenda-ta in Eccleſiis obtinuit, vt grauior declinaretur offenſio: quod ipſe teſtatur paſſim.

19 Ibid. *certè Hieronymus elegantiſſimè ſenſum expreſſit.*] Huius loci verſio ſecundùm Bellarminum ad verbum inepta, ſecundùm Hieronymum impropria & anguſta eſt. Ad verbum ita eſt: [vidi quòd] *peruerſum non poteſt corrigi, & defectus non poteſt numerari:* ita eſt ad verbum, inquam, Hebræa conſtructio, quam ſi Bellarminus non vidit, Grammaticæ ſuæ oblitus eſt. τὰ γὰρ ῥᾴδια τοὺς ἀμελοῦντας φεύγει, inquit Plutarchus. Hieronymi verò impropriam verſionem eſſe, quis non videt qui noſtram illam κατὰ πόδας allatam contulerit cum verbis illius? Nam quod Salomo dicit non corrigi, ille vertit, difficilè corrigi. Reliqua inſuper anguſta ſunt, nec ſolùm impropria. Nam peruerſum Salomo dicit de omni re, perſona, actione

corrupta; Hieronymus ad personas solùm restringit: tum defectum quemlibet vniuersè notat Salomo; hic verò de solo defectu mentis enunciat; imò verò de hominibus nō ex solo defectu & priuatione, sed etiam ex contrario habitu laborantibus. Quid ergo? Hieronymus errauit? humanum est: verumtamen (vt dicam leniùs) à generali sententia in particularem, abductus allegoriis Origenis (nam in Ecclesiasten scripserat) aberrauit. Nimirum iudicium huius, vt fit, præiudicato illius fuit obscuratum.

20 Art. 23. *pertinet ad aliam versionem, quam fecit ex Græco.*] Hæc responsio non planè ex veritate est. Nam præfationes Hieronymi aliæ versionibus, aliæ emendationibus præfixæ sunt. Quæ autem præfationes asteriscorum & obeliscorum recordantur, eæ ad emendationes pertinuerunt: puris versionibus aliæ præfationes fuerunt coniunctæ. Tota itaque hæc solutio ex antecedente quæstione pendet, quam hic secundùm se probatam esse supponit. Nam si hæc Vulgata versio est Hieronymi, asteriscos vel obeliscos non habuit; sin est emendatio, habuit eos. Statuit Bellarminus, est versio, ergo non habuit: Contrà illi, emendatio est, non ergo habuit. Omnino emendationem esse, vel mixtam versionem statuimus. Quamquam hoc argumentum infirmum est: nam illa omnia signa iamdiu sublata sunt librariorum negligentia, etiam vbi olim fuerant. Sed probabilius est non fuisse in hoc opere peritura, quod translatitium est in manibus omnium; quia communis vsus magis ea à perditione vindicare solet.

21 Art. 25. *quatuor de causis accidisse, vt quædam in nostro textu sint, quæ beatus Hieronymus reprehenditur.*] Non agitur de quibusdam, sed de

multis diuersis, quæ res ipsa clamat. Sequentes autem responsiones quibusdam possunt competere; at multis negamus posse.

22 Ibid. *bis vertit Ecclesiasten, vt patet ex præfatione comment. in Ecclesiasten, & præfatione Prouerbiorum.*] Verumtamen ex Hebræo tantùm vertit semel, cùm priùs ex Græco vertisset, vt in præfationem Prouerbiorum dicit: communiter [illegible]rò cum aliis emendauit, vt cap. 8. dictum. Non ig[illegible]r planè verum est quod hîc Bellarminus dicit. Ro[illegible] quidem Blesillæ legerat, sed illud cœptum in Sy[illegible] consummauit: sic vnum opus est, quamuis quinq[illegible]nio interruptum.

23 Ibid. *trahere carnem meam in vinum.*] [illegible]æc de Hieronymi translatione ex LXX. sunt; & ipsius emendatione: nam illa verba, ἑλκύσαι ὡς οἶνον τὴν σ[illegible]κα μου, exponit *trahere ad vinum carnem meam*, sump[illegible] ὡς pro εἰς ex Græcorum vsu. Sic autem ab eo in commentario exponi, id à vero abest quàm longissim[illegible] nihil est in commentario, quod vel signo præ se ferat huiusmodi interpretationem.

24 Ibid. *& melior est nostra lectio.*] Interpretatio ex Hebræo, quam hic secundam vocat, sic habet vulgo, *Cogitaui abstrahere à vino carnem meam*: sed siquis commentarium totum in eum locum expenderit, voculam *à* deprehensurus est redundare, & scripsisse Hieronymum, *cogitaui abstrahere vino carnem meam*, id est, per vinum: nec aliam redolet interpretationem vllam totus contextus commentarij. Itaque Hieronymus nec LXX. interpretationem mutauit, nec suam; sed integram vtramque seruauit.

25 Ibid. *transferrem ad sapientiam.*] Negantur ista. Vt paucis dicam, hæc interpretatio aduersa-

tur Salomonis argumento, vt adiuncta omnia clamant, & vocum proprietati ac phrasi vim facit.

26 Art. 26. *& 2. Paralipom. cap. 16. vers. 6.*] Iam aliquid dicit Grammaticus, sed turbat. Verum quidem est, Hebræum ב significare interdum ex, de, vel ab: sed falsum est significare quoduis à vel ab, prout Latinis accipitur. Habent enim Latini à vel ab separandi significatione, vt quum Curioni scribebat Tullius, *ego te abfuisse tamdiu à nobis doleo*, item somnio Scipionis, *mentem à corpore sese abstrahere*: quo sensu verba Hieronymi Bellarminus iubet hoc loco accipi. Ego verò nego Hebræorum ב vsquam eo sensu in scripturis occurrere. Commoueat iste omnia sacra: nunquam aut locum in eam sententiam prolaturus est, aut Hebrææ particulæ inditurus hanc significationem auctoritate suæ Grammaticæ.

27 Ibid. *quoniam vox Hebræa ambigua est.*] Solere negamus: nam si solitus fuisset, nonne potiùs de improba illa consuetudine fuisset obiectum, quàm ...a vnius loci interpretatione? Fecisse interdum non negamus, velut ex relatione interpretationis alienæ, aut etiam pro commoditate oblata, vt ibidem dicit. Feruntur sancti in mortaleis liberaliter merita sua erogare: at hic vice versa in Hieronymum egregiè liberalis est. sic beamus cœlites.

28 Art. 27. *Dominum sanctum futurum esse prædixerunt.*] Hoc exemplum falsò apponitur, & Hieronymi torquentur loci. Etenim nusquam mutat interpretationem suam, sed eamdem constanter retinet: hoc tantùm ostendit, quod appellatiuè Hebræis dicitur flos, id singulariter significari voce Hebræa *Nezer*, vel Syra *Nozerath* siue Nazareth, & inde παρωνυμικῶς Nazaræi vel Nazareni appellatione: subesse

in vo-

in voce *Nezer* propheticam ὑπαίνιξιν, qua deſignetur Chriſtus. Itaque voces diſtinguit ſolùm ex proprio & figurato vocis *Nezer* vſu, quem Propheta per Spiritum Dei coniunxerat. Neque enim agit Hieronymus de Nazaræo vel potiùs Naziræo legali illo, de quo Num. 6. ſed de Nazaræo dicto à Nezer ſeu Nazareth: quæ duo hîc à Bellarmino inſcitè cõfunduntur. Ipſum audiamus Libro de optimo genere interpretandi, *Illud verò*, inquit, *quod in eodem Euangeliſta ſcribitur, Et veniens habitauit in ciuitate quæ dicitur Nazareth, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas, quia Nazaræus vocabitur; Reſpondeant* λογοδαίδαλοι *& faſtidioſi æſtimatores omnium tractatorum, vbi legerint, diſcantq́ue in Eſaia p[...]tum. Nam in eo loco vbi nos legimus atque transtuli[...]s, Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, in Hebræo iuxta linguæ illius* ἰδίωμα *ita ſcriptum eſt, Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius creſc[...]. Cur hoc omiſerunt Septuaginta? ſi non licet transferre verbum pro verbo, ſacrilegium eſt vel celaſſe, vel ignoraſſe myſterium.* ſic enim interpungendus locus. Illi nemp[e] verbum de verbo tranſtulerunt, minimè malè: ſed latet in linguæ idiomate myſterium, quod nobis Chriſtianis diſſimulare non licet. Profectò nihil mutat Hieronymus, ſed rem latentem aperit. Præfatione in Pentateuchum eadem omnia. Quid in Eſaiæ 11? omnia certè eadem: id tantùm accedit, quòd Nazaræum à *Nezer* dictum, & Nazaræum legalem diſtingui docet vel literarum ipſarum per quas ſcribuntur argumento. Mutatio nulla, ſed neceſſaria diſtinctio: poſt quam diſtinctionem illico ſubiicit, ne quis mutationem fingat, *Super hunc igitur florem, qui de trunco & radice Ieſſe*, &c. In Matthæum denique commentario, qui ab Hieronymo ex tempore fuſus, non meditatè ſcriptus eſt, non ſtatuitur mutatio, ſed vtraque ſimul

 refertur

refertur interpretatio. Itaque exemplum falsum.

29 Art. 28. *non videtur casu factum, sed iudicio posteritatis, vel potiùs ipsius Ecclesiæ.*] Vtramque interpretationem adfert eo in loco Hieronymus, & neutri præiudicium facit. neque hoc igitur verè à Bellarmino dicitur. Sed de ea voce quam festiuitatem exposuerat, errorem ingenuè agnoscit. Sed quid multis opus est? ex particulari concluditur, imò ex singulari: quæ argumentatio quàm sit arguta, ipse viderit.

30 Ibid. *& in Prouerb.*] Hæc cum ipsa propositione instituta pugnant. vide suprà nota 8.

31 Art. 29. *fouebat more auis.*] Hæc cum ipsis quoque pugnant Hieronymi verbis. Pius lector consulens locum iudicet.

IN CAPVT X.

1 Art. 1. *quantæ videlicet auctoritatis sit Latina vulgata editio.*] puta vtrùm diuinæ auctoritatis sit, an verò humanæ: si humanæ, vtrùm vniuersalis an particularis: si particularis, vtrùm ex necessitate, an verò ex commoditate & ordine, vsquedum meliora Deus per seruos suos suppeditauerit. Sic enim deteriora solùm, ac non meliora è publico excluduntur.

2 Ibid. *permulti subscripserunt.*] videlicet auctoritate humana, particulari, ex commoditate & ordine temporario: quam modestam cautionem vtinam omnes in causis similibus, etiam Pontificij, obseruarent.

3 Ibid. *Staphylum in 3. topico prædicamento Lutheranæ Theologiæ.*] de sinu testem scilicet idoneum: imò histrionem, non testem.

4 Art. 2. *nullam esse volunt authenticam versionem.*]

nem.] nempe diuinitus authenticam, vt quasi diuina, vniuersalis, & absolutè necessaria sine exceptione vlla habeatur. Sic fallit Bellarminus æquiuocatione: nam aliud est diuino instituto, aliud humano esse authenticum, vt sæpe diximus.

5 Art. 5. *quæ longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est.*] Sed duo hîc exprimi oportuit: vnum, quo gradu hanc editionem pronuncient authenticam, ne circumueniantur imperiti homo[...]miis: alterum, eam vt nunc quidem est, incorrupta[m] atque integram demonstrari. Nam adfirmare non e[st] satis. Sic de sequentibus.

6 Ibid. *omnia Concilia ex hac editione testi[mo]nia protulerunt ad confirmanda dogmata fid[ei].*] Contrà, Gregorius ipse in epistola ad Leandrum Ecclesiam Romanam vsam esse narrat duabus transl[a]tionibus, quarum illa vetus, hæc noua dicebatur. H[ic] in publico Ecclesia Latina vsa est: in priuato aliæ prætereà exstiterunt, accesseruntque ex eo tempore, vt Isi[-]dori Clarij, &c.

7 Ibid. *absurdum non esse videatur.*] Quid absurdi, obsecro, si authenticos fontes habuit Hebræos & Græcos diuinitus datos, & riuos humanitus ex eis fontibus deriuatos? an ergo nullus nobis riuorum vsus, si non adæquant puritatem fontium?

8 Ibid. *eam esse columnam & firmamentum veritatis.*] de hoc loco videbitur controu. 4. lib. 3. cap. 24.

9 Art. 8. *& lib. 2. contra Ruffinum.*] Hæc omnia vera sunt: sed nullum horum testimoniorum est, quo affirmetur versionem illam authenticam esse diuinitus, & diuino modo.

10 Art.

10 Art. 9. *igitur ista authentica censenda est.*] Argumentum quidem est à pari, sed de rebus imparibus. Propositio vera est, parium parem rationem esse: at falsa assumptio quæ hîc ponitur ex parte. Id enim solum diuinitus est authenticum, quod materia, forma, sermone, omnibus denique modis à Deo est per seruos ipsius traditum, παντελῶς θεόπνευστον. Sic vetus testamentum Hebraicè, nouum Græcè diuinitus est authenticum. Quod verò humana operâ seu Græcè, seu Latinè versum est, id diuinitus esse authenticum qui putant, religioni pariter & rationi aduersantur. Vtraque hæc negat humanam operam diuino dono æquari posse. Nec pariter authentici esse possunt diuini fontes & riui nostri, nec omnes riui pariter haberi debent. Riui nec sine impietate fontibus ipsorum, nec sine imprudentia & inscientia alij aliis æquari possunt. Quæ de Latina Ecclesia prædicantur, ea pòst excutientur controuersia 4.

11 Art. 10. *à Rabbinis hostibus suis veritatem.*] Absurda ex absurdo argumentatio: Prouisum esse Ecclesiæ oportuit de ea editione cui fidere posset in rebus grauibus: at Hebraicæ & Græcæ fidere non posset: ergo de Latina authentica prouisum oportuit. Assumptio falsa: imò nisi Hebraicæ & Græcæ fiditur, periit fides: nam illa est diuinitus authentica, quæ data diuinitus. Atqui, inquit, ne in generalibus quidem Conciliis inueniuntur qui Hebraicè & Græcè sciant. Hæc criminatio Ecclesiam petit, non Dei prouidentiam; ac si diceret, Deus quidem authenticam editionem dedit; sed nostra Ecclesia non studet, non studia suscitat; non grex Christianus, sed Arcadicus est nostrorum cœtus in ipsis Conciliis generalibus. Quid videtur, Bellarmine? nonne hoc absurdum ex accidente est?

te est? Deus prouidit Ecclesiæ: ergo prouisum bene. Prouidit cui fidere possimus: fidamus igitur. At non intelligimus: studeamus igitur & discamus. Non didicimus, inquies: vestra culpa, & communi damno. Ergo intereà non habebimus cui fidamus? habemus versionem hanc, illam; quæ satis est ad omnia principia exponenda, & principiis adhærentia coniunctaque plurima. Principiis diuinis modis omnibus fi[illegible]i-mus, quia ex fonte sunt: translationibus verò suo n[illegible]-do & gradu fidimus; nimirum hac cautione, vt à d[illegible]-terioribus caueamus, meliora ne impediamus. Qui[illegible] verò? an non idem Arabes, Aethiopes, Indi, Scyth[illegible] dicturi essent? Quid illi quorum meminit Iren[illegible] lib. 3. qui sine Scripturis sua lingua redditis credi[illegible]-runt Euangelio Christi? potuerunt illi fidere; hoc nostrum seculum non potest: infidelius igitur. Postremò si hæc his authentica est, & illis illa; quis non v[illegible]-det vnum & idem non fore authenticum?

12 Ibid. *se nolle ὁμοούσιον, sed Christum.*] Exemplum argumentatione instituta dignum. Nam cuiusmodi fuerit Ariminense Concilium quis nescit? & ex hoc tamen Bellarminus argumentatur de Rom. Ecclesiæ Conciliis: siquidem verè, at imprudenter tamen. nam quem honorem habet Conciliis hac sua comparatione, ipse viderit.

13 Art. 11. *nihil ferè certi ex eorum editionibus haberi poßit.*] Negatur: videntur sibi videre quod non vident.

14 Ibid. *ad ea confugiamus.*] Illudit ambiguo. Nam aliud est interpretari variè horum aut illorum locorum Scripturæ sententiam; aliud, nouas editiones innumerabileis moliri atque profundere. Non ad hoc respexit Lutherus, sed ad illud, quum ita scriberet.

Deinde

Deinde negatur hoc argumentum totum. Nos in re veritatem, in ſcribendo modum, in agendo ordinem cupimus, neque defugimus. Hæc vbi non tenent Pontificij, quo iure acquieſcamus, aut adſtringamur conditionibus ipſorum?

15 Art. 13 *aut etiam præter cæteras laudarunt.*] Fallit elenchi ignoratione. Agit enim Caluinus de eo q[illegible]d nunc fit hoc noſtro ſeculo; non de antecedente i[illegible] queritur multas pias & doctas tranſlationes hac [illegible]ſtra ætate prodiiſſe; & tamen tyrannicè Vulgatam [illegible]ptinere, extorqueri cæteras ex indoctorum manibus, [illegible] comparatione & perueſtigatione tranſlationum [illegible]cti fiant, cùm tamen principium eis ſcientiæ (vt c[illegible]n Auguſtino loquar) quærere futurum eſſet. Hoc non priſcorum crimen eſt, ſed Tridentinorũ Patrum.

16 Art. 14. *vnam multis inter ſe diſsidentibus, [illegible] pugnantibus prætulerunt.*] Atqui ſic ait Concilium diſertis verbis, ſeſſionis 4. decreto 2. vt hæc ipſa vetus & vulgata editio *pro authentica habeatur, & vt* [illegible]*am nemo reiicere quouis prætextu audeat vel præſumat.* quid ergo, mi homo, ſiquid ex fontibus diuinitus authenticis demonſtretur apertè pugnans?

17 Art. 15. *in tam apertis mendaciis refellendis immorari.*] De vulgata verſione, vt nunc eſt, Caluinus dicit, quia nec interpres omnia vidit; nec quæcunque ſunt interpretis, ad memoriam vſque noſtram librarij fideliter expreſſerunt. Caluinus autem deſtrinxit ſolùm, ac non pertexuit omnia; cui gratias hoc nomine agi à Bellarmino oportuit. Scilicet non potuit iſte animaduertere figuratum in Caluino loquendi modum.

18 Art. 16. *librariorum vitia ſuſcipienda pro Spiritus ſancti verbis?*] Hoc quidem expreſsè Concilium

cilium non dixit, puduisset enim; sed reipsa & in effe-ctu imperat sessio. 4. decreto 2. iis verbis quæ modò adduximus. Illud enim, *quouis prætextu*, quid aliud sibi vult, obsecro?

19 Ibid. *Biblia quàm emendatissimè fieri poterit imprimantur?*] Certè: sed tamen secundùm hanc editionem vulgatam; quæ post aliquot centurias annorum, & tenebricosum seculum, & barbariem incredibilem non potest non esse corruptissima.

20 Art. 17. *omnes aliæ permittuntur.*] At in illis editionibus non pauca translationis veteris errata corriguntur. Concludat itaque Bellarminus ipse: omnino exsurget quod Chemnicius adfirmabat, ergo editiones damnati in quibus errata illa corriguntur.

21 Art. 19. *modum & ordinem, quo Sacramenta administrari debeant.*] Mutat autem, quum mutat quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent: at Sacramentorum signa sunt de materia Sacramenti. Fucum ergo Concilium facit, & quod vna manu dat eripit altera, quum ait, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Signa enim sacramentalia de substantia Sacramentorum sunt, non de modo & ordine, quod hic nugatur: at ea mutat, & tollit Concilium de eis. Rectè itaque Chemnicius.

22 Ibid. *contra leges & mandata principis.*] Aequiuocatio ista nihil ad rem: agit enim Chemnicius ex propria dispensandi significatione. Cæterùm fit planè Tridentina constitutione contra hanc exceptionem, *modò nihil fiat contra leges*, &c.

23 Art.

23 Art. 20. *tota transformata eſt ad dogmata Pontificia.*] Nempe prout in dies nouæ corruptiones ei tranſlationi acciderunt (quod hoc & ſequente cap. non diffitetur Bellarminus) mutationibus vocum, & interpretationibus earum ſententiarumq́. variis, quas indiligentia, inſcientia, & audacia multorum multis ſeculis attulerunt. Quidni dicamus, cùm ſua ætate tranſlationi ſuæ idem Hieronymus queratur accidere? nam tempore mutantur omnia.

24 Ibid. *etiam ipſi fatentur eſſe vetuſtiſſimam.*] Negatur conſequens: nam aliud eſt de vulgata editione incorrupta, vt olim, quàm de corrupta, vt nunc e[illegible] dicere. Hæc autem corrupta eſſe & transformata vocibus, ſententiis, interpretationibus accommodatè ad Pontificia dogmata dicitur: De illa Chemnicius iudicauit ſecus. Sed heus Bellarmine, an non obſeruaueras Chemnicium ita ſcribere? *Non autem nulla eſt cauſa, quare tam acriter & pertinaciter eo modo, ſicut dictum eſt, pro erratis vulgatæ editionis dimicent. In multis enim locis transformata eſt ad dogmata Pontificia.* Totam eſſe transformatam non dicit vſquam.

25 Art. 21. *ſemper ſic fuiſſe in vulgata editione.*] Hanc ſponſionem quis præſtet? deinceps videbimus quàm bene euentus promiſſo reſpondeat.

26 Ibid. *ſed certè falluntur.*] Hunc ϛοχασμὸν criminoſum tam promptum eſt negari quàm adfirmatur, & negari iuſtum eſt: nouit Dominus, nouerunt boni. In Cochlæo charitatem & fidem meritò deſideramus: cuius mendax & impudens maledicentia ſatis eſt ſpectata bonis. Scilicet nouo iure Canonico hominis inimici & mendacis validum eſt & ſanctum teſtimonium. Quid enim non ſanctificet Pontifex, & bona Pontificiorum intentio?

27 Ibid.

27 Ibid. *Fides enim catholica non eget præsidiis mendaciorum, vt illorum figmenta.*] Verè dictum, sed malè à Bellarmino ipso exercitum, vt modò nota 24. ostendimus.

In Capvt xi.

1 Art. 1. *responsum suprà cap. 8.*] Et ibi [illegible] est à nobis confutatum.

2 Art. 4. *iam antè ostendimus.*] Et nos refel[illegible]mus inde à principio huius libri. Negatur minor.

3 Ibid. *in suis codicibus à corruptione defend[illegible]dis.*] At non in fontibus ipsis, id est Hebræa & G[illegible]ca veritate conseruanda: quarum linguarum Ecclesia Latina per multa secula fuit inscientissima, ipso etiam Bellarmino teste cap. 10. argumento 4. Quin & co[illegible]paratio falsa est: vnde enim probabitur hanc vigilantiorem fuisse in Latinis codicibus conseruãdis, quàm in Græcis Græcam?

4 Ibid. *apud Latinos tantùm incorruptam Patrum hæreditatem seruari.*] Exclusiua nec ab Hieronymo vsurpatur in causa illa, nec in hac à nobis conceditur. Tum ex particulari non sequitur: agit ille de vno fidei argumento, nos hîc de toto instrumento veritatis, cuius Ecclesia custos.

5 Art. 5. *errare non potuisse.*] Paradoxum.

6 Ibid. *eum non errasse in illa versione, quam Ecclesia approbauit.*] Nempe si & diuino canoni respondet versio diuinitus, & Ecclesia ex diuino canone diuinum iudicium fecit. At neque humanum opus diuino canoni planè respondere diuina perfectione potest, neque Ecclesia diuinum iudicium perfectione

diuina ex eo facere, præsertim in tãta inscientia quam hic antè non est infitiari ausus, cap. 10.

7 Art. 6. *alio interprete innominato.*] Satis pro auctoritate. negamus hoc verum esse. vide cap. 9. nota 8.

8 Ibid. *interpretum errata.*] Negatur.

9 Art. 12. *mutatum sit Daleth in Resch.*] Et hoc negamus factum.

10 Art. 13. *referri ad homines & ad pacem;*] semper si Græcè legeris εὐδοκίας.

11 Art. 14. *quàm vt possit homo capere.*] At hæc barbara est, eoque sensu inaudita Latinis auribus versio.

12 Ibid. *quàm vt scientia comprehendi possit.*] Hactenus materia quadruplex ad fontes adiri iubens: nempe error librariorum, librorum varietas (quæ duo idem sunt fermè) vocum ambiguitas, & earumdem vocum, sententiarum, & phraseôn proprietas. Hæc omnia de signis: tacetur verò substantia, cuius symbolum est oratio & scriptura ipsa; id est doctrinæ veritas cum fide & reuelatione diuina ἀνάλογος, & aliis scripturæ locis. nam diuina veritas diuinitus vbique vna est: hæc autem perfectè diuinitusque fontibus solùm exponitur. Quamobrem nos ad fontes riuis oportet ascendere, vt in luce Domini puram fontium videamus lucem.

IN CAPVT XII.

1 Art. 1. *non esse contra vulgatam editionem, si conuincatur debere legi, ipse, vel ipsum.*] Ergo si variat, aut ab auctore est variatio, aut à librario: non autem

tem ab auctore: à librario igitur est corruptus locus. Quòd si ab Ecclesia Rom. verum igitur Chemnicius affirmauit. Sed nonne hoc tergiuersari est? vtram lectionem Tridentini Patres authenticam fecerint, videamus. Profectò sic habet Biblica editio ex decreto illorum restituta, sic Antuerpiana, sic & Breuiarium Romanum feria 4. infra hebdomadam Septuagesimæ. hanc multis modis authenticam, vt narrant, cur ad varietatem lectionum reuocant? Postremò si Hieronymus auctor est, vt Bellarmino & aliis placet, hic certè genere masculino legit, & de Christo interpretatur ex verbis Apostoli Rom. 16. quum ait, *quà nostri gressus præpediuntur à colubro, & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter*, quæstionibus in Genes. nec aliter LXX. Ne plura, si varietas lectionis est, ergo consuli fontes & eis credi oportuit; non eis inconsultis aliquid temere statui. id enim præcedenti cap. traditur.

2 Art. 2. *debere legi, ipsa.*] Nos contrà affirmamus.

3 Ibid. *legi vnum in quo erat scriptum* הוא *id est, ipsa.*] Illud vnum de tam multis incorruptis, quod, quale, qua fide, vbi sit, petimus: ex particulari vitio non solent boni concludere contra receptam lectionem bonam.

4 Ibid. *posse interpretari ipsam, nimis rudis est qui nescit.*] At primùm qua auctoritate remoueas puncta? secundò vt demus remoueri, nonne est litera ו, & integra permanet, nisi adiuncta secus postulauerint? Hîc autem in Hebræo ita est: nimis ergo rudis & audax in veritatem & in Hebræam linguam, qui mutare audet, scriptura pariter & adiunctis reclamantibus. Non sic autem duo se habent loci, qui ex-

empli causa adducuntur: nam & punctum fœmininum est vtrobique adscriptum, & vocem fœmininam esse adiuncta clamitant. Dispar igitur est omnino ratio.

5 Ibid. *mendacium est quod Kemnitius dicit, omnes veteres legere ipsum.*] Duo reprehendit Chemnitius: vnum, quod vox Hebræa vertatur *ipsa*; alterum, quòd de beata virgine exponatur. Hebræum, Chaldæum, totam antiquitatem de semine dicit accepisse. Hic negat, cauillaturque. Atqui de Hebræo & Chaldæo constat. Antiquitatem priscam, non nouitiam non ignorat à Chemnicio intelligi; & totam antiquitatem non vniuersè, sed communiter, secundùm rationem totius in modo (vt vocant Scholastici) nominatam esse. Quid cauillis opus? Sed vt de antiquitate illa videamus, quæ hîc adducitur, negamus priscos illos Patres relatiuum istud de alio quàm de semine mulieris accepisse propriè: negamus intellexisse de Maria virgine, nisi inclinante seculo. Vt rem euidenter exponamus, age, verba Mosis adferamus, & interpretationis variantis modos. Dixit Deus, *inimicitiam ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: hoc conteret tibi caput*, &c. Relatiuum הוּא hoc, vel ipsum, alij ad semen mulieris, velut propinquius, alij ad mulierem, alij ad vtrumque retulerunt. Nos ad semen referimus freti authentica veritate, & priscorum Hebraicè scientium testimonio, & proprietate linguæ. Qui ad mulierem, aut secundùm carnem de specie muliebri, ac proinde humano genere, cuius Eua mater; aut anagogicè de Ecclesia; aut allegoricè de ratione inferiore acceperunt. Harum prima sententia explosa est: secunda est Marij Victoris, Alcimi, Chrysostomi homil. 17. in Genesin, Ambrosij, &c. denique

denique interlinearis ipsius glossæ: tertia Augustini & Lyrani, certè per se diffluit. Qui ad vtrumque, de Ecclesia simul & Christo intellexerunt. Tandem noua soboles eorum accessit qui allegoriam priscis illis Patribus inauditam commenti sunt, de virgine Maria exponentes, vt Bernardus facit, & notat Lyranus dicens, *Alij autem sancti exponunt de beata virgine, ab illis verbis, Inimicitias ponam*, &c. Hic ergo quid dicturi sumus? tria dicam, quæ nemo bonus negaturus est: 1. vbi commodè fluit propria verborum interpretatio, iniquum esse si ea omissa ad figuratam deflexeris: est autem propria horum verborum interpretatio, vt accipiatur de semine. 2. vbi figurata interpretatio assumitur, non tolli propriam, quæ primaria & genuina est, sed figuratam adsui: ac proinde vsuuenire plurimùm, vt demonstratiua & relatiua pronomina modò hoc, modò illo genere enuncientur secundùm vtramuis interpretationem, vtraque integra permanente. Nam iniquum est alteram alteri præiudicare, præsertim verò figuratam propriæ; id est, filiam, eamque non germanam, sed supposititiam, matri. 3. iniquissimè verò extrudi propriam, vt emendicatæ, falsæ, & cum ratione, fide, ac veritate religionis pugnanti paretur locus. Eiusmodi autem est planè ista de virgine Maria interpretatio. Quid hîc Chemnicius? primam interpretationem affirmat: nam veritatis est. Secundam non damnat simpliciter, sed vt figuratam relinquit suo loco; damnat autem secundùm quid, nempe quà ex ea moliuntur istam absurdam interpretationem. Equidem ita statuo, iniquè aut ex figuratis & tropologicis interpretationibus Patrum, aut ex rhetoricis & demegoricis dicendi modis iudicium fieri de propria sensus, aut etiam orationis & vocum interpretatione: quod hîc Bellarminus facit. Frustra au-

tem est, quum aut propriam illam in dubium vocat; aut figuratis prædicationibus Patrum conatur eam conuellere, aut eorum testimoniis qui nesciuerũt Hebraicè, nec vtriusuis translationis, Græcæ aut Latinæ veteris, auctoritate fulti sunt. Id enim nec à LXX. nec à versione priore, nec ab Hieronymiana est, vt antè ostendimus.

6 Art. 3. *quæ est fœminini.*] Prætereà relatiuum masculinum est in membro sequente, *tu conteres ei* [fœmini] *calcaneum.* Hoc non vidisse plerosque Patres, viros sanctissimos, non miror in summa illa Hebræi sermonis inscientia, quam hic confessus est c. 10. Bellarminum dissimulare miror.

7 Ibid. *& alia huiusmodi plurima reperiuntur.*] Sed hæc figuratè, quemadmodum res ipsa loquitur: cùm ediuerso voces proprias hoc in loco esse Bellarminus non neget. Sunt itaque exempla dissimilia. Nam primo exemplo διὰ σχήματος virile fœminarum enunciatur factum: duo autem posteriora vix deputari generi figurato debent, quia tertia & secunda eiusmodi persona pluralis in futuris promiscuè fœminino generi tribuitur διακειτικῶς propter alterius fœmininæ vocis homonymiam. hoc Grammaticum hominem nescire non oportuit.

8 Art. 5. *id est, cogitatio cordis non est nisi malum.*] Negamus idem esse: nam qui dicit, *figmentum hominis est tantummodò malum*, exponit habitum & conditionem cordis humani in sese; qui verò dicit, *intentum est ad malum tantummodò*, exponit actum & affectionem eius ad intentum finem, etiamsi boni aliquid inesse in eo possit. Illud longè ἐμφατικώτερον.

9 Ibidem, *quæ sæpe vtitur ad rem aliquam extollendam.*] Negamus vniuersalem exclusiuam hîc

esse hyperbolicam: nec probari potest. Sed de toto hoc argumento in tomo 3. dicturi sumus.

10 Ibid. *& tamen ibidem dicitur, Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis.*] Exemplum dissimile. Nam disertè antithesin statuit Moses inter Noë & omnem carnem: antithesis autem vnum oppositum ab altero excipit necessariò: non ergo comprehenditur in eo loco Noë *omnis carnis* appellatione. In hoc verò nulla est planè antithesis, aut ... quens exceptio. Deinde vt nulla esset antithesis, ei ... totum in modo siue commune quis nescit, & vocem *omnis* eo sensu frequenter accipi? Exclusiua aut ... negans propriè & per se vniuersalis est. ita conuenienter naturæ Logica præcipit.

11 Art. 6. *qui occiderit hominē, occidetur etiam ipse.*] Non falsus quidem sensus, sed imperfectus est. *Nihil est,* inquit Basilius ad Amphilochium, *quod non sit momenti magni in Scripturis sacris, vtcunque nobis parum aut nihil esse videatur.* Hoc ergo membrum desideratur, quia in fonte est, & interpretis officium est singula quæ in fonte sunt exponere. Alia est laudantis locum vel allegantis ratio: liberior enim est.

12 Art. 8. *Nec enim legimus, obtulit, sed protulit panem & vinum.*] Sunt tamen exemplaria in quibus sic legitur, vt quæst. 109. in libro quæstionum ex vtroque testamento, qui Augustino falsò tribuitur. Deinde vno consensu ab illis sic exponitur. Quamobrem quorsum λογομαχεῖν eos qui de veritate demonstranda laborant?

13 Ibid. *eiusmodi loca plurima in Hebræorum codicibus reperiuntur.*] Coniunctionem quidem habet, sed quam eo in loco negamus rationalem esse. At

est homonyma, inquit, siue æquiuoca. Respondeo, propriè copulatiua est, figuratè interdum fit rationalis. Nos hîc propriam tuemur, Bellarminus figuratam. Non ergo id agitur, vtrùm copula nonnunquam sit rationalis, neque exemplis ad rem confessam opus est, sed potiùs vtra sit in hoc loco significatio. Quorsum ergo, inquies, hoc membrum, nisi particula rati[illegible]alis est antecedentis dicti? Respondeo, si vulga[illegible] ipsam interpretationem sequamur, tamen expe[illegible]a ratio futura est. Sic igitur illa: *At verò Melchisedech [illegible]x Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos [illegible]i altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram,* &c. [illegible]n Bibliis, & in Breuiario restituto in feria 3. infra h[illegible]domadam Quadragesimæ. Quid videtur, Bellarmine? illámne parenthesin rationem reddere vocum antecedentium, an verò totius enunciati indicatiuo [illegible]bo sequente, nimirum *benedixit ei*, &c? hoc certè [illegible]atura, & interpretationis modus (pendet enim ante[illegible]cedens membrum) & parenthesis addita postulat. [illegible]uòd si hanc interpretationem negas, audi Hieronymum aliter interpretantem, & disertis verbis declarantem nec translationem illam, nec interpretationem vestram probari sibi. Nam ita vertit Hieronymus quæst. in Genesin: *Et Melchisedek rex Salem protulit panem & vinum, & ipse Sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei*, &c. Ne putes obscuram, ellipticam, ineptam interpretationem esse: splendida est, plena, conueniens, etiam ad verbum sententiam Mosis repræsentans: Quum autem dicit, *& ipse Sac.* comparatè dicit, pro eo quod est, qui ipse quoque Sacerdos erat Dei excelsi vt erat Abraham: quam rem innuere videtur Apostolus Hebr. 7. 6. dicens, *habenti promissiones benedixit.* Nam Deus Gen. 20. eum prophetam vocat, & pro Abimeleco orare iubet, Psaltes verò vn-

ctum

ctum & prophetam dicit Psal. 105. 15. Hæc genuina loci interpretatio verbis conueniens & sententiæ Mosis: quam Hieronymus sic profert, vt eâdem opera Vulgatam illam lectionem vestram à se profectam neget: qua de re cap. 9. diximus.

14 Ibid. *hic seipsum in specie panis & vini.*] Negamus totam istam interpretationem. sed de his tom. 2. controu. 3. erit dicendi locus, ne actum (quod aiunt) agi oporteat.

15 Art. 14. *patet ex fine legis.*] Addo etiam, & ex hypothesi illius historiæ quæ huic legi occasionem dedit.

16 Art. 15. *lex data mulieribus, in textu Hebræo clara est, vt etiam in Latino.*] Quamquam in Latino desiderantur quædam, & mutila est interpretatio.

17 Ibid. *adhærebunt possessioni, id est, manebunt in possessione tribus suæ.*] Ita est ordinaria verbi Hebræi constructio: quod amplius Bellarminus dicit, id ex consequente, non autem primariò vi horum verborum conficitur.

18 Ibid. *Damascenus lib. 4. cap. 15.*] Nos verò legem negamus esse in verbis illis positam, sed hypothesis est cum antecedentibus coniungenda. Etsi non refert magni, nec opus fuit vt propterea falsò adducerentur testimonia: nam de fœmina, non autem de viro agunt Eusebius, Epiphanius, &c. Hæc leuicula est obiectio, nec digna quæ tanto apparatu ageretur.

19 Art. 16. *multi Latini codices habent paxillus.*] Ad fontes igitur, vt suprà c. 11. recurrendum.

20 Art. 17. *fuisse ebrium, cùm hoc scripsit, Kemnitium.*] Bona verba, quæso. Atqui, vir bone, Chemnicius de sententia loci agit, non de vocis interpreta-

tione. Sed de hoc loco infrà contro. 7. lib. 1. cap. 19. videbimus ζωῶ θεῷ.

21 Art. 20. *sed omnia ante faciem ipsorum.*] Et vbi comparet aduersatiuum, *sed*? profectò in Hebræo nusquam.

22 Ibid. *sed omnia in futurum seruantur incerta.*] Mutila hîc referuntur verba Hieronymi: hoc primùm. Secundò, alia mente afferuntur quàm Hieronymus dixerit. Nam Hieronymus non agit de iudicio & sensu quem pij de seipsis habent; sed de iudicio alieno: affirmat enim, ex præsente rerum specie neminem facere iudicium posse, vtrùm sint in gratia Dei, nécne. Dicit enim in hanc sententiam, *nunc eos scire non posse*, puta homines in specie, non ipsos qui affliguntur: & concludit in hanc sententiam: *In futuro igitur scient, & in vultu eorum sunt omnia, id est, antecedit* [illegible] *quum de vita hac decesserint, notitia istius rei* (puta [illegible]cuum ipsos alij in gloria visuri sunt) *quia tunc est iudicium, nunc certamen; & quicunque aduersa sustinent, vtrùm per amorem Dei sustineant vt Iob, an per odium vt plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Hæc ipsa Hieronymi verba, quæ Bellarminus dissimulat. Postremò ista Bellarmini interpretatio neq. verbis Ecclesiastæ conuenit, neque sententiæ. Præcessit γνώμη, *iustos & sapienteis, operáque ipsorum esse in manu Dei*: sequitur expositio, *tum amorem, tum odium nemo homo nouit, quicquam non est expositum ipsis.* Sensus est, vsque adeò sunt omnia in manu Dei, vt nullus planè mortalium de eo quod amat aut odit queat cognoscere, id est, disponere arbitratu & auctoritate sua. Quid, obsecro, euidentius? nam amor & odium pro re amata & exosa familiare est: itemque nosse vel cognoscere, pro eo quod est ex auctoritate & potestate disponere: vt Iob. 38. & 39 Con-

39. Contrà verò; quid istis additamentis durius? *dignus*, *sed*, *seruantur incerta*. quæ omnia nec habet Hebræa veritas, nec agnoscit Hieronymus. Quòd si in scripturis sacris ita licebit supplere, liceat quod lubet.

23 Art. 21. *odio vel amore digni sint.*] Hanc distinctionem subuertunt postrema Hieronymi verba, nobis tacentibus.

24 Art. 22. μὴ ἄφοβος γένου.] Imò neutra p[illegible]ba, quia fallacia diuisionis committitur: dicit enim [illegible]acides, *de expiatione securus ne esto in abundantia*: q. [illegible]e confidas opibus tuis, fore vt eis redimas peccat[illegible] & maleficia tua. Non ergo fidelem & piam secur[illegible]tem prohibuit, sed fiduciam impiam in diuiti[illegible]m incerto, vt Christus loquitur.

25 Art. 23. *sed de his suo loco.*] Negamur ista. de his autem tomo 3. videbitur.

26 Art. 24. *quin* κατὰ ἔργα *significet Latinè* [illegible] *meritis operum.*] Negamus isthæc inter se ἰσοδυναμεῖν. Quam enim dicimus, *secundùm opera*, notat[illegible] plerumque solùm ordo antecedentium & consequ[illegible]tium: quum autem dicitur, *secundùm meritum operum*, notatur ordo causæ & effectus ex ea causa consequentis. Hæc autem differre quis nescit? vt illud taceam, quòd ab editione Græca Complutensi, Romana, &c. toto (quod aiunt) cælo aberrat hæc interpretatio: quam tamen Hieronymi non esse, suprà cap. 9. confessus est.

27 Art. 25. *cui pati debet Kemnitius, vt plus tribuamus quàm sibi.*] Quid ergo? an eo minùs obscurum est, quòd Hieronymus vtitur? at hic certè non vbique submouit nubem; sed interdum ex sua obscuritate laborat, dum studet grauitati.

28 Ibid. *vnquam superetur.*] Hanc subtilitatem

nec

nec sibi Spiritus sanctus in eo loco voluit, nec Hieronymus cogitauit. Consulatur locus.

29. Art. 26. *non rectè cohæret cum superioribus, nisi dicatur, parum est &c.*] Si peritior fuisset Osiander, aliter sensisset. Hæc interpretatio singularis est illius: nihil ad nos.

IN CAPVT. XIII.

Art. 3. *sensum eius loci rectißimè versum per, Apprehendite disciplinam.*] Nempe vt recta est formicæ anserísve semita, quod vulgo dici solet. An igitur hic rectissimus & optimus interpretandi modus, si res clara per obscuras nubes, recta per mæandros λόξους, & determinata per ἀπεράντους atque indeterminatas consequutiones exponatur? si species, aut ipsam indiuiduum, vt hic, per summum genus atque generalissimum enuncietur? Ita enim est hæc interpretatio. Quòd si Chaldæus nescius Christi, si Græci, si alij Græcorum auctoritate freti hoc modo reddiderunt, at non sic tamen Hieronymus in versione & commentario suo. Non sic igitur omnes, quod hic ausus est affirmare; sed ij demum qui auctoritatem LXX. sequuti sunt.

2 Art. 5. *quoniã aliter legit, vertit, inclyti mei.*] Et nos negamus esse versimile: nam (vt Augustinum argumentatum legimus suprà cap. 2.) vtrùm credibilius, aliquot viros aberrauisse, an totam gentem in libris omnibus? Illis enim procliue fuit in literarum similitudine & punctorum defectu (vt vulgo erant Scripturæ) alucinari; omnibus non item. At illos orthodoxi Patres plerique ignoratione linguæ sequuti sunt.

3 Ibid.

3 Ibid. *quòd neglectis æternis diligant temporalia:*] Imò Propheta Dauid inimicos increpat, quòd regno ipsius obnitantur: quemadmodum sequentis versus oppositio docet, quo ad agnitionem consilij & electionis Dei reuocantur. Sequentia ergo λῃρώδη.

4 Ibid. *vel nomen verbale.*] Hem miseram Grammaticam. Non vides, Bellarmine, illud gloriæ nomen ab Hieronymo accipi quasi δι' ὑπαλλαγῆς dictum, pro eo quod est, gloriosi, inclyti? quid opus torqueri participia, aut nomina confingi insolenter, in tanta frequentia τῶν δι' ὑπαλλαγῆς λεγομένων in linguis omnibus? Etsi nos vocem illam negamus vocandi casu accipi oportere. Nam quid aliud est Hebræis, *filij viri?* inepta foret Prophetæ tautologia. tum oppositum nomen ignominiæ, & sequentia adiuncta impedimento sunt. postremò prosodia aduersatur, & argumentum loci.

5 Art. 7. *sensus nostræ editionis.*] Negamus at errorem esse, vt cap. 2. & proximè nota 2. dictu aut mutari quicquam à nobis oportere.

6 Ibid. *versatus sum in miseria mea.*] Nempe vocem Hebræam accipiebat Hieronymus pro participio, non pro præterito: quam rem hic noster non animaduertens putauit augendam vocem vt fieret præteritum personæ primæ, accessione minimè necessaria.

7 Ibid. *dum configitur mihi spina.*] O populares, ferte linguæ Hebrææ auxilium. Grammaticorum est informare, iste deformat linguam miserabiliter. Excutiantur literæ, euentilentur apices: nihil in tota Hebræa lingua deprehendetur eiusmodi. Nec prior vox, nec phrasis Hebræa est.

8 Art.

8 Art. 8. *textum esse immutatum?* Negatur, ex capitis 2. argumentis.

9 Art. 9. *sic possunt commodissimè exponi.*] Scilicet huic mutare licebit verba translationis, vt Caluinum grauet: habet enim translatio, *approximant*, & ita Caluinus refert. Hic artificiosè mutat verbum qu d Caluinus mutari voluit, & Caluino affingit impu ntiā. Atqui sacrum illud & religiosum verbum, *ap ximant*, est in Bibliis decreto Concilij Tridentini r itutis, est in Breuiario feria 2. ad matutinum. Non e igitur verū quod Bellarminus dicit, omnes Patres l sse *appropinquant*. Deinde quæcunq. sentētia huius lo dferatur, viderint qui hunc locum defendunt, quàm appositè hæc verba sententiæ respondeant: viderit Grammaticorum triuialium chorus.

10 Art. 10. *neque mirum cuiquam videri debet.*] ec interpretatio facit Dauidi iniuriam, & adiunctis mnibus aduersatur. *Illusionibus* autem accipe μετωνυ- ῶς, pro eo quod est, rebus quarum causa illudatur mihi. Dura loquutio profectò, nec à Caluino temere agitata.

11 Art. 12. *optimè recipere plureis sensus, & omnes veros.*] Nos verò multos non cupimus, sed eum qui genuinus sit & loci proprius. Quorsum enim silua interpretationum, nisi vt oberret mens? nos mentem in veritate (quæ semper vna est) stare, non in vanitate multiplicis cogitationis volumus diuagari. Deinde violentæ sunt aliæ omnes huius loci interpretationes (quam ad rem percipiendam non admodum acri est opus iudicij humani sensu) & à veritate Hebræa remotissimæ.

12 Art. 13. *& alij fecerunt.*] Addatur (si cui placet) quinta: *facit vt solitarij*, id est, homines à pro-

proprio

prio omnibusque perspicuo sensu ac interpretatione locorum, & à communi doctrina Dei aberrantes in cogitationes vagas, *habitent in familia*, id est, greges discipulorum cæcorumque societates colligant duces cæci, atque in eis ceruiculam iactent, vt Iesuitarum manipulus.

13 Art. 14. *sepulchra Iudæorum nominauit.*] Omnino igitur interpres exposuerit obscuriùs: quod vitiosum est. vide notam 1.

14 Art. 16. *quod in Græco reperit.*] Non ergo in Hebræo est, aut Hieronymi emendatione, prout hic sibi velle videbatur suprà cap. 9.

15 Art. 17. *vbi dicitur canticum dilecti.*] Nempe fluent ista planè, si corrumpi omnia licuerit, literas, vocaleis, accentus, voces, sententias, vt hîc Bellarminus facit. Nam harum deprauationum (quas iste emendationes putat) nulli cum ratione Grammatica & linguæ proprietate vel in speciem conuenit. Nonne sic etiam Turci facilimè Alcoranum suum in Testamento vetere inuenerint?

16 Ibid. *non habitatrices, vt malè vertit Caluinus.*] Hem argutias: tamquam si δι' ἐναλλαγῆς singulare pro plurali poni inauditum esset.

17 Art. 18. *lectionem nostram non esse alienam à textu Hebræo*] Atqui ad euidentiam Caluinus respexit, quum ita redderet. Nam lapidum focariorum vsus non est tam in vulgo cognitus, quàm ollarum quæ lapidibus illis aut fulcris ferreis adnituntur. Quapropter synecdochicè rem maluit perspicuam facere, quàm in obscuro relinquere, seruata angustiùs proprietate vocis. Etsi quid vetat, vt etiam propriè Hebræum nomen pro ollis accipiamus ad focarios lapides vtrimque ordinatis? Nodus (quod aiunt) in sirpo.

18 Ibid.

18 Ibid. *& idem valet quod, ad speciem.*] Pia quidem sunt hæc Augustini verba, & verè dicta; sed non sunt istius loci. Nec mirum: nam primùm valde obscurum esse in versione vtraque hunc locum omnes vident, & agnoscit Bellarminus ipse: præthereà inscientes constat Hebrææ linguæ fuisse Patres, cuius vnius ope sese potuerant (vt fatentur omnes) ex hac obscuritate euoluere: postremò ipse Hieronymus, qui in hoc genere ferme vnus aliquid potuit vt Augustino atque aliis prælucerer, nec omnia potuit (nam Iudæis erat vsus pessimis præceptoribus, & per alios sic occupatur vt cursim tantùm ei & carptim pleraque vaca[illegible] destringere) nec si potuisset voluit, vt odium in se & offensam multorum, de qua passim queritur, alleuaret. Nam hoc consilium animumque fuisse illius etiam Bellarminus ipse demonstrat posteà sub finem capitis ex epistola ipsius ad Suniam & Fretellam. vide suprà in caput 6. nota 10.

19 Ibid. *& dorsum deauratum, &c.*] En πολυπραγμοσύνην, non Apostolicam, sed Iesuiticam. Et quis, obsecro, militans Domino, vel aliqua ex parte, bona fide se implicet negotiis & curis secularibus? 2. Tim. 2. noluit Apostolus scire inter pios quicquam, nisi Christum eumque crucifixum, 1. Cor. 2. nam (vt idem inquit 2. Cor. 2.) ad hæc quis idoneus? isti homines, sapientiores Daniele & Paulo modum excogitauerunt, quo vtramque curam, Christi nempe & mundi, vtiliter compingerent. Nam præ his Apostoli ἄφρονα νηπία, fungi.

20 Art. 20. *tam longo vsu approbauerit?*] Hic locus bifariam falsus est: nam & falsa est translatio vetus, quæ verbum ὑπολαμβάνετε significans eo in loco *suscipitis*, exponit *suspicamini*, & falsò tribuitur Caluino

uino interpretatio quam ex Campensi posuit, ac si eam sibi vindicaret. Nam interpretationem Paraphrastæ Chaldæi in translatione sua planè sequutus est: in Antidoto non suam attulit, sed satis ipsi fuit vt ineptum Vulgatæ modum in eo loco ostenderet.

21 Art. 21. *non credentes inhabitare Dominum Deum.*] Negamus eam esse aut vocis, aut loci totius sententiam: & verò (quod nec vulgus, nec Bellarminus vidit) illud *non credentes* Hieronymus pro vna voce posuit; id est, ἀπειθοῦντας. De loci interpretatione alibi diximus.

22 Art. 22. *posse rectè ex Hebr. verti, in profundum, testatur R. Dauid.*] Negatur: nec vsquam R. Dauid hanc interpretationem probat istius loci. Non sequitur autem, si dixit particulam Hebræam interdum eo sensu vsurpari, ergo hîc accipi in eum modum oportere.

23 Ibid. מִסִּינַי *in Sinai.*] Nec auctoritas D. Kimchi, nec locus Deuter. 33. verè adducitur. Nam Kimchi ex aliorum sententia illam interpretationem adfert in sua Grammatica, sed idem mox docet de sententia sua Hebræam particulam מִן propria significatione exponi meliùs posse: & in loco Deuteronomij, vel ipso teste, propria est illius præpositionis significatio.

24 Ibid. *alij, in profundis.*] Non quid possit, quid fiat quæritur; sed quid debeat hoc loco fieri.

25 Art. 23. *spiritualis Ecclesiæ Gentium.*] Expositio hæc est tota falsa: nam & aliena est à Prophetæ consilio, naturaque loci, & allegorica prorsus, idque licentiosissimo genere allegoriæ.

26 Art. 25. *alii in hunc locum.*] Hæc Caluinus

enunciauit de sacrificulis hoc nostro tempore sic cantillantibus: nam adhuc ita canunt vulgo, vt habent restituta ex decreto Patrum Tridentinorum Biblia, & nouum Breuiarium feria 4. ad vesperas. Non igitur mendacium.

27 Ibid, *χήραν, id est, viduam.*] Hæc altera coniectura: & tamen nihil nisi coniectura. Et quidni v[illegible]uque coniectura variis vario tempore potuerit c[illegible]sse? Rem dignam scilicet, cuius causa alij ab aliis [illegible]litari contumelia vapulemus.

28 Art. 26. *in commentariis huius loci.*] Nem-[illegible] Græcè æquè ac Latinè erratum: nam vera lectio est [illegible]ραν, ex Hebræo fonte & Hieronymo.

29 Art. 27. *vt aliud planè Psalterium fecerit.*] Aliud quidem à translatione Vulgata, at non aliud planè ab Hebræa veritate, quam Vulgata minimè expressit omnium.

30 Art. 28. *Hæc ille.*] Hoc testimonium quid aliud est, quàm iudicium particulare viri boni quidem & pro suo illo seculo eruditi; sed in quo tum maiorem cognitionem veritatis & linguæ, vt in homine, tum minorem in coniecturis iudiciisque libertatem optimo iure desideres. Quid, quòd de interprete Græco & Latino idem prædicat? inter quos tamen ea est diuersitas, vt tantùm hoc testimonium vel sola illorum inter se comparatione elidi possit. Etenim Latinam translationem nec Hebræo planè, nec Græco, nec versioni Hieronymi omnino respondere, ipse Bellarminus antè est testatus cap. 9. Quid tanto nisu propugnant eam versionem, quam ipsi agnoscunt non omnino vacare mendis?

IN

IN CAPVT XIIII.

1 Art. 2. *in quibusdam Latinis inueniri illam particulam.*] At in plerisque Græcis inuenitur, abest in pauculis: legit Chrysostomus, Theophylactus, alij Græci.

2 Ibid. *exemplo medici illustrauerat.*] Su[illegible]r-fluam esse negamus: nam omnium consensu leg[illegible]r Marc. 2. 17. & Luc. 5. 32. quid autem in eis supe[illegible]-fluum? Non esse necessariam, falsum: nam cur ap[illegible]d illos legeretur? tum an non est necessarium, vt in[illegible]o-catione terminus ad quem (vt vocant) exprima[illegible]r? Intelligitur, inquies. Atqui & necessaria res, si intelligitur necessariò; quàm conuenientiùs ergo exprimitur? Quòd autem ex particulari loco Hieronymi, addo etiam Augustini, concludit ab auctoritate negatiue, non facit Logicè. Non enim sequitur; illi non expresserunt, non est igitur verum.

3 Art. 3. *reuocabit, & explicabit.*] Probamus interpretationem dicti: quapropter videant ne deinceps in istam sententiam hic locus adducatur.

4 Ibid. *de quibus posteà.*] controuersiæ generalis 4. lib. 1. & 2.

5 Art. 5. *optimè reddidisse.*] Negatur.

6 Ibid. *ne ipsi quidem aduersarii significare volunt, declarauit.*] Aliud est ὁρίζειν, definire, determinare, destinare; aliud προορίζειν, præfinire, prædestinare: hoc enim circumscriptum præpositione, illud generale & incircumscriptum est. Tum nota est illa Patrum orthodoxorum regula ex Scripturis, Res dicuntur fieri, quum manifestantur, aut incipiunt manifestari,

nifestari, κατὰ μετάληψιν. Vtrumque verò est ὁρίζειν, & significatione vtraque dicitur, destinandi, & destinatum declarandi aperiendíque. Priore accipitur Luc. 22. 22. & Act. 2. 23. posteriore, Act. 17. 26. Prior autem significationis modus huic loco propter adiuncta non potest competere: posterior igitur. Non posse, res ipsa clamat. Christus enim non est prædestinatus Filius Dei secundùm eam rationem quam dicit Apostolus, nempe potentiâ secundùm Spiritum sanctitatis ex resurrectione vel per resurrectionem ex mortuis; id nobis & respectu nostri determinatus & definitus est Filius Dei, ἀποδειχθεὶς (vt dicitur Act. 2. 22.) demonstratus, definitus, declaratus, & probatus à Deo. Hæc germana (vt vident omnes) interpretatio. In reliquis autem locis quos Bellarminus adducit, non ὁρίζειν, sed προορίζειν legitur: quamobrem huc adducantur frustrà.

7 Art. 6. *interpres noster videns Apostolum loqui de æterna destinatione.*] At non bene videbat interpres, sed hoc videre sibi videbatur: nam contrà esse docet euidenter locus adiunctis omnibus & argumentatione tota, vt modò ostendimus.

8 Ibid. *& in Ioan. tract.* 105.] At Græcè Irenæus scripsit: quid nobis interpres, & quidem corruptissimus? Cæteri translatione vetere vsi sunt, quòd recepta in vulgo esset, non quò per omnia ipsis probaretur.

9 Ibid. *Concilium Toletanum* XI. *quod & legit & exponit prædestinatus.*] Nusquam hic locus in Toletano Concilio adducitur. Eius hæc verba sunt: *Per hoc quòd de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantùm (nam neque factus, neque prædestinatus accipitur) per hoc tamen quòd de virgine Maria natus est, & natus & factus & prædestinatus esse credendus est.* Non hîc adfertur au-

ctoritas,

ctoritas, ſed infertur ex conſequente veritas prædeſtinationis de Chriſto ſecundùm naturam humanam enunciatæ ex natiuitate ipſius.

10 Ibid. *vt Paulus loquitur, ſit filius Dei.*] Non hoc tantummodò agit Paulus, ſed de eo agit quòd nobis definitus & deſignatus eſt ex ſumma illa potentia, quam ſecundùm ſpiritum ſanctitatis expl[ic]auit per reſurrectionem ex mortuis, vt ſeſe notum [f]aceret opere illo admirabili.

11 Ibid. *explicant Auguſtinus & Concili[um] Toletanum.*] Hæſit enim Auguſtinus Vulgatæ inte[r]pretationi, nec conſuluit accuratè Græcam veritat[em]. De Concilio Toletano, falſum.

12 Art. 8. *noſtram lectionem omnino eſſe meliorem:*] Negatur.

13 Ibid. *nam ſecundùm Græcam ſenſus eſt, pe[iu]s eſſe conſentire malè agenti, quàm malum agere:* [ ] Falſum: nam copulantur Græca lectione hæc duo crimina ad exaggerationem, malefacere & malefacien[ti]bus acclamare; non autem comparantur oppoſitè, vt rectè monet Oecumenius: Latina ergo in vitio eſt. Deinde etiamſi opponas, plus eſt malè agentes ſermone confirmare, & malefactis eorum applaudere, quàm ſi malè ipſe duntaxat egeris: quod tubicinis exemplo fabulæ affirmarunt. Quamobrem, ſequentia οἴχεται. Nimis eleuatur verbi συνευδοκεῖν ſignificatio, quum per conſentire ſimpliciter exponitur: quod & vocis etymo, & Græcorum vſu ac interpretatione confirmatur. Nam, inquit Oecumenius, δύο τίθησιν ἐγκλήματα, τὸ ποιεῖν τε, καὶ συμπαρατάττειν τοῖς ποιοῦσι, καὶ εἰς τὸ κακὸν παρακαλεῖν τὸν πλησίον.

14 Art. 9. *id eſt, non intellexerunt.*] Sed hanc ipſam lectionem quam Titelmanus à ſe confirmat viſam,

ſam, & nos apud Oecumenium vidimus; ſed eam idem auctor vel ſuis vel Iſidori verbis reprehendit grauiſſimè, & manifeſtè oſtendit quàm ſit falſa & iniqua lectio iſta quæ Paulo adfingitur, noſtramque confirmat vehementiſſimè.

15 Art. 10. *contra Anaſtaſium Imp.*] Nempe al[...]ro illo exemplaris genere vſi ſunt, quod Iſidorus a[...]d Oecumenium reprehendit. Sed eſto ſanè: de [...]lo igitur videamus.

16 Art. 11. *quum dicit, non intellexerunt, loqui[...]r de practica.*] Arguta ſanè diſtinctio, ſed vitrea, [...]iudice Batto. Atqui ſi hanc diſtinctionem ſerues, id [...]otiùs receptum eſt vt intelligendi verbum theoricæ cognitioni tribuatur; cognoſcendi verò, practicæ: vt in libro Iobi centies, & 1. Cor. 8. & paſſim. Non poteſt igitur ſtare hæc interpretatio.

17 Ibid. *quod ipſi Philoſophi faciebant.*] Hunc interpretationis modum διὰ συγχύσεως prohibent Grammatici: nam ſynchyſis inaudita eſt. Valeat igitur.

18 Art. 12. *vel fere omnes non habent illud, legis.*] Satis eſt quòd Bellarminus dicit *ferè omnes*, probandæ fidei Chemnicij.

19 Ibid *factis viribus propriis.*] At fidei ſimpliciter Paulus opponit opera indiſtinctè; & agit de operibus Abrahami, non vt infidelis fuerat, ſed vt erat vocatus in fedus gratiæ: nam vocatio eius facta fuiſſe narratur cap. 12. iuſtificatus fide dicitur cap. 15. cuius hiſtoria aliquot annis poſt vocationẽ acciderat.

20 Ibid. *exponit de lege veteri.*] Planè hæc opera aut legis ſunt, aut gratiæ & fidei, vt diſtinguit Apoſtolus: nihil tertium. Et ita ſenſit Ambroſius: nam alterum

alterum necessarium est, aut nostris operibus nos iustificari (quæ opera sunt legis) aut operibus Christi, quæ fide percipiunt pij.

21 Art. 13. *lib. 2. de bono perseuer. cap. 18.*] Dictum audax: nam etsi Origenes prætersilit, quia propositum suum continuare voluerat (non sequitur autem ab auctoritate negatiuè) tamen legit Chrysostomus homil. 18. in caput 11. legunt Oecumenius, Photius, alij.

22 Ibid. *reiicit hanc additionem tamquam superfluam.*] Non adfirmatè Erasmus reiicit, sed abesse putat posse.

23 Art. 14 *semper vtuntur hac voce.*] Tollatur æquiuocatio, vt optimè Chemnicius monet; non erit de vocibus magna contentio. Sacramenti vox propriè, communitérve sumitur. Si propriè accipitur, quum Baptismum & Cœnam dicimus, negat Chemnicius rectè verti, & malè ex eo concludi ait quòd matrimonium sit Sacramentum: sin communiter, etiam mysterium meretricis in Apocalypsi Sacramentum dici. Non sequitur autem, Patres Sacramenta semper mysteria vocant, ergo è diuerso mysteria semper sunt Sacramenta. Nam latius aut æquale de angustiori & æquali prædicari potest; sed angustius aut inferius nunquam de latiore aut superiore potest. Sacramentum autem est mysterio angustius. Etsi quid tanto opere de vocibus dimicamus? ne secus accipiant quàm illi Patres: iam inter nos conuenerit.

24 Art. 15. *posßitis stare contra diabolum:*] Hæc constructio & interpretatio negatur: sunt enim detorta, ἑλικτὰ omnia in hac interpretatione, vel pueris è ludo testibus; illa verò est recta, & natura fluens, ac ve-

 ritati

ritati consentiens. Quis enim puer exponat ἅπαντα κατεργασάμενοι, in omnibus perfecti?

25 Art. 16. *rectè dicuntur ab illo esse exhausta.*] Speciosa quidem similitudo, sed sensus differens. Audiatur Oecumenius interpres idoneus, ἀνήνεγκε τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων τῷ πατρὶ, ἵνα αὐτὸς συγχωρήσῃ καὶ ἐξαλείψῃ αὐτάς. Quid plura? hoc fundamentum istius interpretationis: Quisquis exhaurit, sustollendo exhaurit: ergo exhaurire est sustollere. Perinde atque si dixeris: quisquis mergit, deiiciendo mergit: ergo mergere est deiicere, & καταβάλλειν est exponendum τοῦ βυθίζειν, ἢ καταποντίζειν verbo.

26 Art. 17. *bene mereri de aliquo eum qui facit rem illi gratam, nemo est qui nesciat.*] Nimirum de homine & apud hominem dictum, qui obstringitur beneficiis. apud Deum verò, & respectu Dei quis sanus parem rationem putet? hæc profectò crassa κατάχρησις est.

27 Ibid. *accepit enim interpres mereri in paßiua significatione.*] Ergo bonus interpres nec Grammaticè, nec Theologicè loquutus est: nam (vt ait Bernardus serm. 61. super Cant.) *meritum meum, miseratio Domini.*

28 Art. 18. *cùm nihil tale sonet verbum Græcum.*] Chemnicius nempe reprehẽdit, tum quia alleuiare vulgo legitur pro alleuandi verbo, quo fuerat vetus interpres vsus, tum quia eiusdem verbi argumento narrationem à Monachis confictam narrat de terriculamentis diaboli & mortis in extremo vitæ actu. Ad horum neutrum Bellarminus respondet, qui Chemnicium criminatur; sed agit de verbi Græci significatione, de qua nullum verbum Chemnicius fecerat, vt diligentissimè pugnare videatur. De Monachorum

chorum

chorum fabulis ne γρῦ quidem: has enim Bellarminus non audierat audiens. ſtrophæ.

29 Art. 19. *nimirum excito, erigo.*] De his omnibus ſecundo tomo videbitur.

30 Art. 20. *ſolet Kemnitius.*] Negamus redundare; nec ſuſpicatus fuiſſet Eraſmus, ſi Oecumenium conſuluiſſet.

31 Ibid. *quid enim erat opus monere, vt facer[ent] quod iam fecerant?*] Quorſum addatur, docet Oe[cu]menius ſua interpretatione, dicens, ἔγραψα ὑμῖν ταῦτα, ὡς κληρονόμοις τῆς αἰωνίου ζωῆς, id eſt, inquit, *hæc ſcripſi vo[bis], vt hæredibus vitæ æternæ*, cuius ſenſum videlicet [ha]bemus fide. Quaſi verò non ſolùm fides, ſed & incrementum perſeuerantiaque in fide non imperaretur paſſim ab illo duce & à celeuſtis noſtris, aut imperaretur fruſtrà.

32 Ibid. *vt nos habemus.*] At alij hoc modo; inprimis verò Oecumenius, qui ſynopſin ex Græcis auctoribus perſcripſit diligentiſſimè: vt taceam optim[a] exemplaria quæque.

IN CAPVT. XV.

1 Art. 2. *& can 9. ſtatuitur.*] Verſutos homines, qui non vulgareis tranſlationes, ſed euulgari prohibent. Et quorſum vulgares, amabò, niſi vt vulgentur & in commune prodeant? Propterea Deus vulgari vernaculaque lingua prædicari, & perſcribi, & in vulgus exire voluit olim, vt nunc quoque in populo ſuo lingua vulgari atq. vernacula Scripturam ſacram doceret habendam eſſe: ſic poſito in oculis cohæredum omnium teſtamento patris, non eſt tam facile falli &

 fallere.

fallere. Rem permittunt sermone Pontificij, præcludunt vsum: illudunt igitur.

2 Ibid. *titulo crucis suæ honorauit Ioannis 19.*] Hoc Pilati factum, non Domini: nihil sequitur.

3 Ibid. *omnibus aliis præstant;*] De his attributis Grammatici certant. Omnino Latinam linguam aliis præstare antiquitate, aut grauitate non dabunt, qui cum iudicio auctores probos legerint: ac proptereà vix fuit illi durabilis ad centum annos vnius modi institutio. longè aliter Hebræa & Græca.

4 Ibid. *Hebræa, Græca, & Latina.*] De Latina, vero quis auctor scripserit authenticus diuinitus? quid? vbi? quando? quomodo?

5 Ibid. *Christum esse præscriberet.*] De seculo illo suo verè loquitur Hilarius: sed fallit Bellarminus elenchi ignoratione, quum id quod tunc fiebat commodè, nunc etiam vult obseruari tempore dissimilimo.

6 Art. 4 *ex vsu Ecclesiæ veteris testamenti, quæ fuit à tempore Esdræ vsque ad Christum.*] Cur non ab ea quæ præcessit, durauitque ampliùs tria annorum millia? Nam semper à conditu mundi in Ecclesia obtinuerat vernacula.

7 Ibid. *à temporibus Esdræ desiit in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris.*] Negatur: nã Esdras, Aggæus, Zacharias, Malachias, Sacerdotes Hebraicè concionabantur atque prophetabant; vt Scriptura ipsa testis est, id est, illorum libri.

8 Ibid. *deinceps Chaldaica, seu Syriaca fuit illis materna.*] Negatur potuisse aut illos tam breui tempore, aut ipsum vulgus patrij sermonis obliuisci: id nec verum est, nec verisimile. Quis totam gentem

spatio

ſpatio non dico 70. ſed potiùs 59. aut etiam (ſi ad poſtremam deportationem reſpexeris) 55. annorum vernaculi ſermonis oblitam putet? fabulæ. Propheta Ezechiel anno adhuc quadrageſimo deportationis Hebraicè docebat ſcribebatque, Ezechiel 40. Daniel finito iam deportationis tempore. Cæterùm vt incertus homo eſt! *Chaldaica*, inquit, *ſeu Syriaca fuit illis materna.* Vtra, obſecro? nam ſi pro eadem ſu[illegible]s, quid opus tautologia? ſi pro duabus, dic, vtra? Chaldaica? negamus, vt modò oſtendimus. Syra? negamus: nam cur, quomodo, quando, eiurata Hebræa lingua in Syram tranſiuiſſent? λόγοι.

9 Ibid. *quia intellexerant verba Legis Eſdra interpretante.*] Legebant, inquit hiſtoria ſacra, & interpretabantur, non tranſlatione Grammatica, vt hic comminiſcitur, ſed concionali expoſitione & accommodatione populari, idque Hebraicè. Illudit ergo ſuauiter æquiuocatione, & nihil efficit. Quòd autem Nehemiam illum inter docentes & interpretantes numerat, dormitantis ſermo eſt, aut aliud agentis. Atque hæc de temporibus Eſdræ: pòſt enim aliud tempus confunditur cum illo ἀνιστορήτως.

10 Art. 5. *ex verbis Chriſti & Euangeliſtarum.*] Non ſequitur ex elenchi ignoratione: nam diuerſi temporis diuerſa planè ratio. Ad tempora Nehemiæ & Alexandri Macedonis durauit Hebrææ linguæ in vulgo vſus: nec antè inualuit corruptio illius apud Iudæos, quàm Reges Syriæ omnia conturbauiſſent diu, & commercio Præſidum, militum, gentilium denique omnium Iudæam gentem, legem, linguam pariter confudiſſent. Quo tempore Iudæi non Syram ſimpliciter, ſed mixtam quamdam, quæ Hieroſolymitana dicitur, vſurparunt, id eſt, Syræ dialectum

ctum quamdam: his enim Syri & Samaritani in odio erant adeò, vt vel à lingua ipsorum contentione summa abhorrerent.

11. Ibid. *Hebraicè solùm scripturas in templo aut synagogis publicè legebant aut canebant.*] Concedimus de posterioribus temporibus: de prioribus illis negamus, vt antè. Nam in rebus humanis in vulgo obtinuit Syra Hierosolymitana vniuersè, in diuini Hebræa communiter: hæc communis, vulgaris illa. Et quanta est, quæso, inter has duas linguas adfinitas? Itaque Hebræa quidem legebantur, sed interpretationes ac prophetiæ enunciabantur Syrè in synagogis ætate Christi, postquam textus Scripturæ lectus fuisset Hebraicè.

12 Ibid. *non intelligebat populus sine interprete.*] Nempe prisco illo seculo, vt proximè dictum, notis 9. & 10.

13 Ibid. *quæ non nouit legem.*] Ambiguitate fallit: non enim de verbis aut lingua, sed de mente sententiaq. Legis Pharisæi loquebãtur his verbis. Quamobrem nihil eò pertinent.

14 Art. 6. *Hebraicè legunt, cùm tamen nulli nationi hoc tempore lingua Hebraica sit vulgaris.*] Exemplum dissimile, & Christiano indignum: hoc faciũt Iudæorum synagogæ ignorantes Dei, & velum ante oculos habentes: faciat igitur Ecclesia nostra pariter. Nos verò contrà: illud fecit iusta Ecclesia, vt communi & vulgata lingua exponeret præberetque verbum Dei, nunc ergo faciat nostra cõsimiliter. Nam Hebræa Ecclesia scripturam Hebræam habuit, Syra Hebræam & Syram, Græca Hebræam & Græcam, Iudaica recentior Hebræam & Chaldaicam: etiam in Germania habet in vsu Germanicam. Quid ergo nisi tyrannis

tyrannis spiritualis vetat, ne idem in Christiana Ecclesia passim habeatur? vide quæ ex Iustino adferuntur cap. sequente.

15 Art. 7. *Euangelium prædicarunt, & Ecclesias constituerunt.*] Est autem duplex prædicandi modus, sermo & scriptio. Ergo sancti Apostoli vtrumque modum tenuerunt erga nostras gentes & a[...]s analogicè. At non peruenerunt ad nos, inquies, s[...]ptiones illæ. Certè: nihil enim ad nos quæcunq[...] gentibus tam multis scripserunt siue Apostoli, siue homines Apostolici: satis est, quòd vniuersalem habemus Scripturæ canonem, quam Deus per Prophe[...] & Apostolos Ecclesiæ dedit: cætera scripta non [...]ramur.

16 Ibid. *tantùm Hebraicè, aut Græcè, & vt quidam volunt, Latinè.*] Nempe sic procurauit prouidentia Dei sapientissimè. Nam canonem inuenerunt ex parte, atque ex parte tradiderunt. Inuenerunt canonem veteris testamenti factum, fecerunt Noui. E[...] auctoritate negatiuè statuit, non leguntur epistolas scripsisse (nam de Euangeliis nihil dicimus) linguis earum gentium quibus prædicabant: non igitur scripserunt. Logicè sanè. Deinde nonne Græcè scripserunt? atqui vel vnica gens proferatur Græcè nesciens, ad quam illi scripserint. Ad Hebræos, puta, aut Romanos. At Hebræi fuerunt Hellenistæ: Romanis communem fuisse Græcam linguam Cicero pro Archia poëta, omnes historiæ Rom. auctores docent, etiam poëtæ Satyrici. Hebraicè quidem scripsisse traditio vetus est; sed vix credibilis: Latinè scripsisse, ne credibile quidem est. A singulari verò prouidentia Dei profectum illud est, quòd canonica scriptura quæque altero tantùm sermone, Hebræo aut Græco, fuerit canonica

nonica. Nam quæ gens ſcripturæ auctoritatem canonicam fuiſſet alteri conceſſura? hæc altera fuiſſet futura ſementis contentionum, quam arripuiſſent ſinguli, vt ſuæ Scripturæ αὐθεντείαν ſibi adſcriberent, aliarumque gentium contemnerent, prout videmus fieri interpretatione illius. Quid? nonne videmus Pontifices in hunc modum cauere Eccleſiæ ſuæ voluiſſe, quum Latinam vulgatam ſolùm ex omnibus voluerunt facere authenticam? Gratias igitur Deo; quòd proſpexit ſapientiſſimè, vt vnius teſtamenti vnica ſcriptura diuinitus authentica vno ſermone haberetur.

17 Ibid. *annotat. 9. ad ſacram Scripturam.*] Hæc mera coniectura eſt, vix ratione aut ſpecie vlla probabilis. Nam quis præter Damaſum (ſi Damaſus eſt) traditionis iſtius auctor? fabulam verbis illius audiamus. *Hîc* (puta Romæ) *ſcripſit duas epiſtolas quæ catholicæ ac canonicæ nominantur; & Euangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, & filius, à baptiſmo.* En feſtiuum mendacium, non Marci, ſed Petri Euangelium eſſe, & duabus de cauſis, grauibus ſcilicet illis, adſcribi Marco. Subiungamus alteram fabulam, quæ cum hac eodem eſt contextu poſita. *Poſt omnem*, inquit, *quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem & teſtimonium eius (hoc eſt, Petri) firmata ſunt, dum alius Græcè, alius Hebraicè, alius Latinè ſcribentes conſonant, omnia eius teſtimonio ſunt firmata.* Grauem ſcriptorem, qui non poteſt præ vehementia ſpiritus quin idem bis dicat temere in comprehenſione vna. Prudentem & verum ſcriptorem, qui Petrum anno poſt paſſionem Domini xxxviij. martyrio coronatum ſcribat, & tamen quatuor Euangelia firmaſſe teſtimonio ſuo; cùm Ioannem Euangeliſtam poſt annos minimùm XXVIII. perhibeatur ſcripſiſſe, & anno demum ſexageſimo octauo à paſſione Chriſti, vt Euſebius,

sebius, Hieronymus, & alij reformat, obiisse. Quis fabulas istas à Damaso, ab infallibili Pontificis Rom. pectore, à plenitudine scientiæ profecta credat? Atque hæc causa est, cur Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Petro scribat de hac fabula, *dicitur*; in Marco verò diuersam historiam adferat, cui magis fidem videtur habuisse.

18 Art. 8. *potest multis modis ostendi.*] Ne[...]mus istud. Agnoscimus quidem libros diuinitus [ca]nonicos vniuersali Ecclesiæ datos non aliter quà[m] Græcè scripsisse: at non aliud scripsisse, nec alia lingua quàm his tribus, minimè credimus; sed Ecclesi[a]rum ædificationi quacunq. lingua tribuisse quicq[uid] vocationis ipsorum postulabat ratio.

19 Ibid. *nec vllus veterum tradit scripsisse nisi Hebraicè, aut Græcè, aut Latinè.*] Inconsequens: non est vestigium, non scripserunt igitur. ab auctoritate (vt loquntur) negatiuè. Veteres autem quum illud dicerent, de libris solùm agebant canonicis: nec tamen propterea quicquam ab illis ampliùs scriptum fuisse negauerunt. Hoc alterum est inconsequens.

20 Ibid. *Latina esset vulgaris.*] Neque hoc sequitur: nam Græca Romanis fuit communis, licet non vulgaris: vt nota 16. dictum.

12 Ibid. *ex omni natione quæ sub cælo est.*] Atqui hi Iudæi omnes fuerunt ἑλληνισταὶ, id est Græco sermone vernaculo apud gentes vtebantur: vix eorum quisquam sciebat Hebraicè. Erat igitur Græca materna ipsorum lingua, sed Hebraica gentilis, siue maiorum patria: quapropter verè dicunt, *ecce nos audiuimus loquentes linguis nostris*, &c.

22 Ibid. *Parthis Græca non esse materna.*] Imò verò omnibus Iudæis & Græcis, vt docet Oecume-

nius.

nius. Exsules autem dicebantur olim Parthi in vulgo, à sermone Scythico, prout meminit Iustinus lib. 41. histor. vel potiùs ab Hebræo *Pur*, diuidere. Et inde 1. Ioannis epistola ad Parthos fuit à quibusdam appellata, id est, ad pios exsules dispersos extra solum natale suum. Ex eo autem vulgata illa opinio est ignoratione profecta vocis.

23 Art. 9. *contra id quod vniuersa Ecclesia facit disputare, insolentißimæ insania est.*] Hæc verba quidem legi apud Augustinum. Verùm in ea epistola statuit Augustinus quæcunque regulæ fidei & bonis moribus conueniunt, ea ab omnibus vbique seruari oportere; quæ media sunt, non item; sed in eis consuetudinem Ecclesiæ, huius, illius, prout contigerit, sequendam esse. Hoc autem negamus esse medium siue indifferens: nam contrà præcepit Deus. Non sequitur à dicto secundùm quid, vt vocant. Propterea ediuerso ita concludimus, contra id quod Deus præcepit disputare, vel obducta auctoritate Ecclesiæ, id insolentissimæ insaniæ est.

24 Ibid. *desierint esse vulgares.*] Hæc negantur simpliciter dicta. Nam Hebræa primùm & Græca lingua, tamquam vulgatæ simul atque authenticæ obtinuerunt in Ecclesia Dei; ac posteà, licet in desuetudinem abeuntes in vulgo, authenticæ permanserunt: Latina verò vt vulgata obtinuit diu, nunquam vt diuino modo authentica. Dispar est itaque harum linguarum ratio. Nam illæ semper, vt authenticæ canonis authentici, & santificatæ à Deo linguæ habendæ sunt: hæc tãtisper dum vulgata fuit, vsum quidem, at non auctoritatem obtinuit apud eos quibus vulgaris exstitit; nunc apud multos communis est. Deinde verò falsa exclusiua est, his tantùm linguis

vsam

vsam Ecclesiam esse in communi & publico vsu Scripturarum: nam & aliarum apud suas gentes communis fuit vsus & publicus, prout & ratio diuinæ gratiæ postulat, & mandatum Christi de docendis omnibus gentibus, & exemplorum quæ exstant analogia: sed hac tamen cautione, vt Hebræa & Græca solæ pro authenticis diuinitus haberentur, ad eas verò examinarentur reliquæ. Qui secus tradunt, argumentantur ab auctoritate negatiuè, vt loquuntur scholæ; non legitur hoc, non fuit igitur, inconsequente argumentationis genere. Postremò falsum est, (vt nihil de Hebræa & Græca dicam) vniuersam Ecclesiam Latina vsam esse. si Occidentalem diceret, id foret tolerabilius: sed neque Aethiopica & Meridianæ aliæ, neque Orientales Persidis, &c. vnquam, neque Boreales Scythicæ, &c. Latinam in publico vsu habuerunt. Vides, Bellarmine, vniuersæ Ecclesiæ tuæ fines angustiùs circumscriptos, ac non vniuersaleis esse?

25 Art. 10. *Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, quia in illis linguis scriptura diuina legeretur.*] Imò authenticam, propriam, & per se, ex ipsis fontibus (nam hoc respectu Augustinus dixit) hauriri dicit cognitione duarum linguarum, Hebrææ & Græcæ: & illud est proprium totius cap. argumentum. de Latina nullum verbum, sed de Latinis solùm hominibus, quibus duas illas ait esse necessarias. Præterea illud, *tantùm*, non legitur vsquam in eo cap. Postremò & hoc accedit, quòd ibi Augustinus non informat vulgus, sed eum qui doctrinam sacram vulgo expositurus est, vt iusta haberet ad rationem docendi adiumenta. Hæc elenchi ignoratio.

26 Ibid. *aliæ erant linguæ vulgares.*] Ne longiùs abeamus, ipse Augustinus meminit euidentissimè

lib. 2. de doctr. Christ. cap. 5. falsa igitur consequentia.

27 Ibid. *sic semper fuisse meritò creditur.*] Adde, si non est legitimum, vel si (vt Augustinus loquitur epist. 118.) non aduersatur fidei bonísve moribus: hoc autem, alias linguas excludi, est illegitimum, 1. Cor. 14. notum est illud Iurecoss. quod ab initio est vitiosum, non posse id tractu temporis inualescere. Hæc propositio itaque particularis est: non sequitur ex particulari.

28 Ibid. *quis enim dicat quando cœperit iste vsus?*] Quid ergo? an his tantùm locis vniuersa Ecclesia definitur? Deinde hoc vis iniusta efficit, ex quo eæ linguæ vulgares esse desiuerunt, aut certè communes. Eius autem tyrannidis principium ab iis qui non sunt ἀνίστορες ostendi potest. Sed hoc agamus.

29 Art. 11. *lingua Græca non erat vulgaris à Constantinopoli vsque ad Antiochiam.*] Error multiplex. nam primùm hoc non de toto Oriente simpliciter, sed de Oriente imperij Rom. iugum ferente verum est: apud Parthos seu Persas & Orientaleis reliquos, in extimam Indiam & Taprobanam vsque, ita fuisse quis credat? Secundò Græcam tantùm fuisse in vsu non dicit Hieronymus, nec putauit sibi fore tam liberaleis interpretes, qui exclusiuam particulam suo sermoni adiicerent. Tertiò, non est consequutio hæc necessaria, obtinuit in istis locis hæc aut illa editio Græca, ergo in Ecclesia obtinuit apud vulgus: nā fieri potest, vt apud docenteis & doctos obtinuerit; in vulgo autem & in publico Ecclesiæ ibi obtinuerit demum, vbi capax fuit Ecclesia illius linguæ. Prætereà veritatem historiæ non sapit, quòd Græcam linguam inde à Constantinopoli vulgarem fuisse negat: an ergo ne-

go neſcit Bellarminus in minore Aſia trans Conſtantinopolin & Pontum fuiſſe Panionium, & linguam Ionicam & Aeolicam in Aſia minore tota ſecundùm mare mediterraneum ad Euphratem vſque ferme fuiſſe vulgarem; verſus Pontum verò, communem, licet non vulgarem exſtitiſſe? Poſtremò, quod modò attigimus, communem fuiſſe ſatis eſt, vbi non fuit vulgaris: fuit autem communis ad Euphratem vſque.

30 Ibid. *multo minùs in Syria & Aegypto.*] Et illic plurimùm communis fuit, vt vel Iudæorum ἑλληνιστῶν ratio ibi commorantium arguit, licet non vulgaris. Sed quorſum iſta, cùm non agat Hieronymus de eo quod in publico Eccleſiæ legebatur, ſed de eo tantùm quod publicè communiterque obtinebat? hæc ergo quæ Bellarminus adfert nihil ad rem.

31 Ibid. *præfatione libri 2. in epiſtolam ad Galatas.*] Nempe Galatica vulgaris fuit illis, communis Græca. Sic enim atteſtatur Hieronymus dicens; *Galatas, excepto ſermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem penè habere quàm Treuiros.* Græcam igitur cum toto Oriente communem, ſuam vulgarem habuerunt, vt antè. Atque hæc quoque adſequentia reſponſio.

32 Art. 12. *deinde Græcè, vt intelligerent Græci qui aderant.*] Hinc tantùm iſtud ſequitur, Græcos Syrè non intellexiſſe. hoc autem quid ad rem?

33 Art. 13. *quæ poſteà in Græcam linguam verſæ ſint.*] Nimirum nec Aegyptiacè ſciebant Græci, vt nec Syrè, quod modò diximus. Nam Græci communi operam dabant, Aegyptij & Græcæ communi & vulgari ſuæ: quemadmodum, exempli cauſa, hoc noſtro ſeculo Tranſſiluani communem habent Germanicam linguam, vulgarem Hungaricam.

34 Art. 14. *nulla est mentio apud vllum auctorem vllius translationis Punicæ.*] Solum fuisse falsum, vt ex Augustino lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. antè dicebamus nota 26. Nam illic communis fuit Latina propter colonias iurisdictionemq. Rom. propria vulgarisque Punica. Ex his ergo nihil conficitur e[...]um quæ hîc & deinceps adferuntur.

35 Ibid. *quæ ex præcipuis partibus sunt Missæ.*] Hoc scholion est Bellarmini, cùm ista appellatione Missæ neuter sit eo in loco vsus. Cæterùm Pœnis Latinam fuisse communem modò ostendimus.

36 Art. 15. *Punicè significare tria.*] ex Hebræo sermone atque Phœnicio.

37 Ibid. *tales fuisse penè omnes rusticos.*] Nam lingua fuit gentis propria atque vernacula, vt modò diximus; Latina communis. Hinc autem concludimus, ergo neglectam fuisse rusticorum salutem, si Punica lingua scripturam non habuerint. quam rem à sanctis illis Patribus neglectam quis credat?

38 Art. 16. *tunc Latinè consueuisse illa omnia legi, qui modus vsque ad hoc tempus seruatus est.*] Erat quippe Latina lingua in Hispania communis, prout de Africa dictum nota 34. Cæterùm in Concilio Toletano his locis omnibus quos Bellarminus adfert, de lingua Latina nullum verbum.

39 Art. 17. *desiit in Hispania lingua Latina esse vulgaris.*] Ea communis fuit Hispanis, nũquam vulgaris siue vernacula. Gothis autem & Mauris irruentibus non statim fuit abolita, sed magis magisq. corrupta successu temporis. Bene ergo tum quidem lingua vtraque, Latina & propria Hispanorum seu vernacula obtinebat; nunc verò Latina in vulgo malè.

40 Ibid.

40 Ibid. *in insulis Balearibus linguam Græcæ affinem fuisse tunc vulgarem.*] ex Strabone lib. 3. Geograph. vernacula enim sic fuit. sed ex his quid conficias?

41 Art. 18. *de sacramentalibus, tit. 3. & 4.*] Habuerunt ergo linguam vnam communem, alias vulgareis atque vernaculas, vt antè dictum. Non sequitur autem, si tum apud illos scripturæ in Latina lingua, velut communi, habebantur, non ergo lingua propria exstitisse. Ex auctoritate negatiuè (vt aiunt) concluditur hîc & deinceps, ἀσυλλογίστως.

42 Art. 19. *quando Gallis non erat vulgaris lingua Latina.*] sed erat communis tantùm.

43 Ibid. *in toto reliquo Occidente eodem modo celebrata fuisse diuina officia.*] prout videlicet Romani, ex quo rerum potiti sunt, procurauerant fieri.

44 Ibid. *fuisse linguam Gallorum diuersam à Latina, indicat B. Hieronymus præfat. lib. 2. in epist. ad Galat.*] Nempe aliud est maternam, id est, regionis propriam & vernaculam dicere; aliud communem. Antè enim Latina communis fuerat; tum planè desinebat esse, quum Carolus magnus regnaret: ac propterea Scripturas linguis vernaculis idem curauit reddi, vt populus intelligeret. Nam Latina, vbi communis esse desiit, ineptè & malè in Ecclesia vulgo fuit exercita; & ex antecedente vsu legitimo abusus impius exortus est.

45 Art. 20. *incommutabiliter seruatur, &c.*] Hæc ratione clericorum dicta Ecclesiæ ministrãtium, & publici apud ipsos officij diuini, vt vocant: nam illic clericos instituit, non vulgum, teste ipsa inscriptione libri. Quamobrem libro 3. cap. 9. ibidem inquit,

 Si au-

Si autem ipsius linguæ nostræ, id est, Latinæ aliqua verba loquutionesq; ignoramus, legendi consuetudine audiendiq; innotescunt. Non est autem Bellarminus nescius partem illam Germaniæ quæ trans Rhenum est, communiter olim cum Gallia à Rom. possessam & administratam esse. Fallit ergo à dicto secundum quid, cùm & ibi Latina communis exstiterit. Nequaquam verò e[illegible]o sequitur vulgus Scripturæ ἰδιογλώττῳ caruisse, ex a[illegible]toritate negatiuè, vt passim.

46 Art. 21. *Hispanica, atque Gallica.*] At huius Ruperti tempore iam abusus plurimùm in Ecclesia obtinebat, cuius exempla non faciunt legem: tum de o[illegible]icio sacerdotum agit, non de doctrinæ in vulgus communicatione vernacula: postremò diuersa est Germaniæ transrhenanæ & cisrhenanæ ratio, vt proximè dicebamus. Illudit ergo hic disputator elenchi ignoratione.

47 Art. 22. *vt ipsi postulauerant.*] Factum malè, seculo iam corrupto, & inualescente tyrannide: quam rem vel ipsa Boëmorum & Sclauorum arguit postulatio de sua institutione sibi meliùs prospici cupientium. Sic tyrannis Gregorij 7. hominis immanissimi, & simplicitas horum demonstratur. Aliud autem est de diuinis illis officiis, quæ clericorum sunt; aliud de scripturis, quæ omnium, dicere. Primùm ergo non probamus responsum istius Gregorij: secundò hoc diuersum est, non idem, nec simile.

48 Art. 23. *quo vtitur Ecclesia Romana:*] Non probat affirmationem suam.

49 Ibid. *ab ipso edito.*] Quidni? nam etiam Apostolorum & Christi ipsius instituta (si Deo placet) fiunt per Pontifices Rom. meliora; vt quæ deteriora fuerant. ô blasphemiam!

50 Ibid. *vt patet ex can. in die, de consecrat. distinct. 5.*] Dignus tam belli operis artifex, turpissimum Satanæ mancipium, & Christiani orbis incendiarius flagitiosissimus, res Ecclesiæ furenter agens, vt probant historiæ quæ de rebus gestis ipsius perscriptæ sunt. Consulatur Ottho Frisingensis.

51 Art. 24. *Gelasii celebrabat.*] Plus est in conclusione quàm in præmissis: quod pius Lector, me tacente, est animaduersurus.

52 Art. 25. *santo Pietro l'elegge.*] Hæc iam corrupto seculo, & abusu obtinente, quum Latina non solùm vulgaris, sed & communis esse desiisset. Eiusmodi autem exempla quid possunt? sic nota 46. & 47.

53 Ibid. *aliam fuisse in Italia linguam qua populus vtebatur, & aliam qua Scripturæ in Ecclesia legebantur.*] Non ideò negat Scripturam vernacula lingua exstitisse. Ex auctoritate negatiuè infert, & ab exemplo corrupti seculi.

54 Ibid. *vulgares non essent.*] Nempe id obseruatum (nec malè) in Ecclesiis, vbi hæ linguæ communes, aut vulgares erant: posteà verò inualescente abusu & tyrannide occupante est obseruatum, vbi communes esse desierant. Falsa igitur conclusio.

55 Art. 26. *vt publicus vsus Scripturarum sit in aliqua lingua communissima:*] Concedimus cum distinctione. Nam lingua communis variè dicitur. Communes authenticæ duæ sunt, Hebræa & Græca, in quibus fontes habentur authentici. Communes verò simpliciter dicuntur duobus modis: nam lingua communis habenda est primùm Ecclesiarum inter ipsas, id est, literatorúm qui præsunt Ecclesiis, atque hæc sanè apud nos Latina esto; secundò vernacula

Ecclesiæ vniuscuiusque, quæ inter Ecclesias vnius gentis & tractus ὁμογλώσσυ, interque membra ipsarum communis est; vt Germana Germanis, Itala Italis, &c. Hæc autem dum Bellarminus confundit, fucum facit. Sequentia igitur absurda nihil ad rem, ex ambiguo ducta.

56 Art. 27. *certè in ea Scripturæ diuinæ legendæ sunt.*] In scholis videlicet, apud eos qui Latinè sciunt: sed in Ecclesiis apud imperitam plebem, negatur consequens. non enim aliæ propterea linguæ ex grege Christi sunt exterminandæ.

57 Art. 28. *cùm Scripturæ eo sint obscuriores, quo magis in peregrinas linguas transferuntur.*] Negatur consequens: nam contrà populus responsurus est ἀναλόγως ex Rabani verbis quæ nota 45. adduximus: si aliqua verba, loquutionesque, & dogmata iam ignoramus, at legendi consuetudine audiendique innotescent. Nam pij hoc modo adolescunt, Hebr. 6. 14. At non continuò, inquies. Sat citò, si sat bene: aliquando præstat quàm nunquam, aliquid quàm nihil assequi. νήπιοι οἳ ὐκ ἴσασιν.

58 Art. 29 *ex Scriptura non intellecta natæ sunt omnes hæreses.*] Et quid, si ne lecta fuerit quidem? Non valet argumentatio à non causa vt causa posita, quemadmodum vulgo dici solet. Id enim nec per se, nec semper contingit, sed per accidens & rarò, quum pars Scripturæ solùm à legente arripitur: præcipuè verò silentio aut vitio eorum ad quos spectat docendi munus, quo malo diffluit Pontificiorum natio.

59 Ibid. *Lutherus agnouit, qui Scripturam librum hæreticorum vocauit.*] Sed & librum sanctorum idem appellauit propriè, cùm illa appellatio sit ex acci-

ex accidente. Sic tu, Bellarmine, culpaueris vinum, quia potus ebriosorum est.

60 Art. 30. *ex sola imperitia esse natos;*] Rectè: nam si periti fierent assidua cultura & institutione, certè non fuissent eò deuenturi. Hoc autem inter alia incommoda impedit Pontificia tyrannis in hoc tempore; quæ nec legi sinit, nec intelligi.

61 Ibid. *Basileenses.*] De his, vt nota 57. & 58. Cæterùm id Dauidem Georgium ex Scripturis collegisse, falsum.

62 Art. 31. *periculum esset, ne tandem nihil crederet.*] Non sequitur ex particulari, & ex accidente. Etsi id in publico Ecclesiæ ordine diligenter prospexit Ecclesia prisca, tum Iudæorum, vt vno ore omnes Hebræi testantur passim, tum Christianorum, vt Concilio Laodiceno factum notauimus lib. 1. cap. 9. nota 6.

63 Art. 32. *verbum Diaboli est.*] De hac fabula Bellarminus viderit. Quàm multæ possent eiusmodi proferri de Pontificiorum nugis! Sed hæc κρουνοχυτρολήραιοι homines narrent. Quid exsurget, quæso, a exemplo particulari vnius mulierculæ? tum exempla licet animarum innumerabilium opponere, quæ hac lectione informatæ sunt in fide. Non conuenit autem, vt propter eos qui abutuntur malè, præcludatur aut eripiatur Scriptura iis qui sunt vsuri bene: vt Apocalypseos vltimo docebat Ioannes sapientissimè.

64 Art. 33. *& experientia ipsa docet.*] Vide prouidentiam & sagacitatem hominis. Negamus vllam ætatem esse, in qua eiusmodi mutatio acciderit linguæ vlli, aut possit accidere, vt tam breui spatio desinat esse intelligibilis, nisi miraculosè acciderit, vt Genes. 11. hoc ne vniuersa quidem Romanorum potentia vsquam potuit efficere. Commentitiũ itaq. absurdũ est.

65 Art. 34. *si id commodè fieri posset.*] Falsum: quid enim maiestati Dei & scripturæ eius τὸ ἑτερόγλωσσον possit adiicere? laruæ. atqui hoc signum est infidelibus datum, 1. Cor. 14. 22. deinde qua in re digniorem per se Latinam linguam putemus esse, quàm hæc aut illa sit?

66 Ibid. *lib. 4. dialogorum, cap. 56.*] Exclama, o sancte Moses, at vtinam omnes Prophetæ essent, Num. 11. 29. Doctrinam fidei in Ecclesia nunquam oportet comprimi: sed res suo tempore & loco dispensari, quæ extra iustum tempus & locum secretæ habendæ sunt, vt fit consiliis, reprehensionibus, vocationibus, applicationibus, &c. ad quæ boni illi Patres respexerunt, quum de arcanis agerent.

67 Ibid. *hoc ipso esse grauiorem & magis reuerendam, quòd non est vulgaris.*] Eodem argumento Gothica & Americana plus habebit grauitatis, & reuerentiâ dignior erit quàm Latina.

68 Art. 35. *adhuc essent vulgares.*] Negatur hoc ab illis fuisse dictum.

69 Ibid. *Anabaptistas videret?*] Iniqua conclusio ex particulari. Temere enim de scriptura & verbo Dei, adeoque more planè barbaro coquus iste illiteratus Demosthenes (id homini nomen) blaterauerat; non reuerenter dixerat, vt Christianum decet. Denique de religione coquum non vetabat dicere (nam religio est omnium) sed malè religioni obloqui.

70 Ibid. *antequàm discant.*] Conclusio, ergo tollendus etiam vsus. An hoc sibi voluisse putas Hieronymum? an sequi ex illo dicto? atqui idem in tralatione scripturæ operam consumebat, & rusticos dilaudabat arua ad Bethlehem cum Psalmorum cantu exercentes, epistola ad Marcellam. De gentibus verò ibidem

dem inquit, *vox quidem dissona, sed vna religio: tot penè psallentium chori, quot gentium diuersitates.*

71 Art. 36. *Scripturas habent in manibus.*] quod omnibus mandauit Deus in testamento vetere & nouo. ô grauem querimoniam! Hæc abusum spectant, non vsum, quem Deus omnibus imperauit.

72 Ibid. *Ioannem Cochlæum in lib. de vita actis Lutheri, anni* M. D. XXII.] Dignus scilicet istis quicum in tenebris mices.

In Capvt XVI.

1 Art. 2. *non agi de lectione Scripturarum, nec officiis diuinis, sed de exhortatione spirituali, siue collatione.*] Negatur distinctio. Nam ipsa propositio Apostoli est generalis in principio capitis, *Ambite spiritualia: sed magis tamen vt prophetetis.* posteà verò percurrit species ad genus istud pertinentes, reliquo cap. modumque & finem præscribit illarum: modum, intelligi; finem, ædificationem Ecclesiæ Dei. In hoc autem genere Christiana collatio inter Prophetas recensetur sub finem cap. Deinde an ita nouus est Bellarminus in rebus Ecclesiasticis, vt exhortationem & collationem pro eodem accipiat? quas ipse tamē paulo pòst distinctas ponit: nam concio ipsa verbum exhortationis est, Act. 13. 15. & ab vno habetur solùm; collatio prophetica est plurium, vt exponit Apostolus disertis verbis.

2 Art. 3. *vt primus taceret, & secundus loqueretur.*] Negatur conclusio: tum quia procedit argumentatio à non distributo ad distributum, vt loquuntur, & quod est totius generis ad speciem solam restringitur:

ſtringitur: tum (quod eſt indignius) quia res de poſtrema ſpecie dictæ ad primam ſpeciem rapiuntur præpoſterè, tamquam ſi à ſpecie vna ad alteram valeret argumentatio.

3 Art. 4. *Oecumenius in hunc locum.*] Id non dicebant, aut volebant illi : negatur.

4 Ibid. *non niſi ad exhortationem referri poſſit.*] Falſum, vt nota 1. oſtendimus: nam hæc de [o]ratione, non de exhortatione dicuntur. Apoſtolus autem primùm generatim de modo agit, & ſuum illud generale dictum confirmat vnius ſpeciei, id eſt, orationis exemplo, ad verſum 17. vſque.

5 Art. 6. *hunc locum de precibus intelligunt.*] Nihil hic graue aut vſque adeò difficile eſt: nam de precibus agitur propriè, primò & per ſe; de exhortatione verò per ſynecdochen intelligitur analogicè.

6 Art. 9. *totum populum in Eccleſia reſpondere conſueuiſſe Amen, cùm Sacerdos terminabat orationem, vel gratiarum actionem.*] nempe quia vernaculo ſermone & ab omnibus intellecto pronunciabantur omnia.

7 Art. 11. *conſolationem & ædificationem.*] Falſa interpretatio, quam nec Paulus agnoſcit, nec iidem auctores quos modò laudabat Bellarminus. Nam & æquiuocatione fallit, & confundit res diuiſas. Aequiuocè tres voces ponuntur in hac interpretatione: duæ oppoſitæ, πνεῦμα καὶ νοῦς, ſpiritus & intelligentia, & prædicatum, ἄκαρπος, ſine fructu, vel infructuoſus. Nam ſpiritus quidem & intelligentia donum ſpirituale ſignificant, ſed modo differũt: quia ſpiritus rationẽ habet doni ſpiritualis agentis intus in ſingulis fidelibus; quo ſenſu dicitur verſu 12. *ſpiritus ambitis*: intelligentia verò

verò rationem doni mouentis foris, & ad alios transeuntis religiosa communicatione. Spiritu ergo orat fidelis anima in sermone quolibet; sed intelligentia eius qui orat lingua extera, id est, communicatum istud eloquium est sine fructu: sine fructu autem, quia *is qui audit quid dicas nescit*, inquit Apostolus versu 16. Hæc Pauli & veterum Patrum sententia, quam itaquè Bellarminus dissimulat, & ludicram substituit in locum illius: *spiritus meus*, inquit, *id est*, *affectus orat*, *mens tamen sine fructu est*, *id est*, *intellectus non eruditur*, *quia non intelligo quid dicam.* Falsò: nam pugnant adiuncta omnia, & Apostolus de aliena intelligentia interpretatur expresse; dicens, *nam quid dicas nescit. Nam tu quidem bene gratias agis*, *sed alius non ædificatur.* & quæ sequuntur. Hoc verò non est bene gratias agere, ἀνοήτως graculi more voces profundere. Quin illa ipsa pugnant quæ mox Bellarm. subiicit, *qui loquitur lingua*, *non hominibus loquitur*, &c. Res verò diuisas ab Apostolo confundit, & sermonem totum conturbat illius. Nam primùm de prophetando egit Apostolus vniuersè ad versum vsque 12. vbi sermonem concludit dicens, *Ita & vos*, *quandoquidem spiritus affectatis*, *ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt exundetis. Quapropter qui loquitur lingua* [quod non est ad ædificationem] *oret vt interpretetur*, id est, comprimat se, & conuersus ad Dominum postulet interpretationis donum, quo accepto prophetare possit: quemadmodum etiam posteà in argumento de collationibus præcipit versu 28. *quòd si non sit interpres*, *taceat in Ecclesia* qui loquitur lingua, *sibi ipsi verò loquatur & Deo.* Hac occasione instituit Apostolus prophetaturos Christianos, quomodo orare oporteat causa ædificationis, ad versum vsque 17. Sequente demum versu ad institutum de prophetia sermonem regreditur.

8 Ibid. *lingua peregrina aliqui in collationibus illis canebant.*] Ex falſo antecedente concluſio falſa. Nam loquitur Apoſtolus de diuinis officiis prophetiæ & doctrinæ, vt tetigerat verſu 6. & occaſione eiuſdem præſcribit orationem & orationis modum, ſine qua prophetiam in Eccleſia illotis (quod aiunt) manibus a[illegible]ctari nefas.

[illegible]9 Art. 12. *conſueuiſſe Chriſtianos cantica ſpiritualia componere, & canere in Eccleſia tempore collationum ſpiritualium, certiſſimum eſt.*] Ergo & intelligere, quod antè negatum eſt. Verùm Bellarminus hîc plurimùm fallitur. Nam quæ de agapis vel Chriſtianorum conuiuiis in priſca Eccleſia dicuntur, eadem inſcitè ad collationes ſpirituales transfert, & auctoribus ad eam rem abutitur. Chriſtianos olim cantica ſpiritualia à ſe compoſita canere in Eccleſia ſolitos tempore collationum aut prophetiarum, falſum eſt: tempore cœnæ illius publicæ, quum perfecta eſſet, ὑμνῳδῆσαι & gratias egiſſe, & inter ſe canticis ædificaſſe, verum. Demonſtrant Tertulliani verba dicentis: *non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicis eſt vtile: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi Deum eſſe: ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Aequè oratio conuiuium dirimit,* nempe prout præiuerat literarum diuinarum commemorationem, & quæ ſequuntur. Hæc de piorum officio per ſingulos diſcubitus à cœna dici, nō de publico Eccleſiæ actu, quis pius non videat ex Tertulliani verbis? Neque ſolùm Tertulliani auctoritate abutitur, ſed

etiam

etiam Pauli. hic enim de canticis quidem spiritualibus vel per ipsos priuatim compositis agit; sed officium notat priuatum singulorum in singulos; non publicum & ἄτακτον in Ecclesia Dei & toto cœtu ipsius. Dicit enim ad conuiuia piorum respiciens, Ephes. 5. 18. *ne inebriamini vino, in quo luxus est; sed implemini Spiritu, loquentes inter vos mutuò psalmis, & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in vestro corde Domino:* item Colos. 3. 16. *sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia, docendo & admonendo vos mutuò psalmis, & hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratia cauendo in vestro corde Domino.* de priuato singulorum officio agitur, non de publico & Ecclesiastico. Reliquæ auctoritates nihil in hac causa efficiunt. Philo de Essenis, ac non de Christianis agebat, vt libri ipsius & verba ostendunt. Eusebius interpretatione falsus Philonis verbis abutitur, quum inscitè ad Christianos traducit quæ ille de Essenis dixerat. Vel vnus Hieronymus in vita Pauli eremitæ principio ipso locuples testis futurus est quantum aberret à vero Eusebius. Dionysius ille νόθος probatur eo ipso quòd Hierotheum adducit: nam quis, quando, vbi fuit gentium iste Hierotheus? non agnouit adhuc Hieronymus ætate sua, non Sophronius Dionysium istum scriptorem, non Hierotheum melodum. Supposita igitur omnia.

10 Ibid. *confirmare dicendo, Amen.*] Falsa restrictio, vt antè ostendimus.

11 Art. 13. *Re negando consequentiam.*] Malè negatur consequentia: non enim est à pari argumentatio, vt putat; sed potiùs à genere, vt nota 1. docuimus: proinde necessaria.

12 Ibid. *multi de populo intelligebant, etsi non omnes.*]

omnes.] Falsum, vel Bellarmino teste proximè præcedente cap. enimuerò quisnam Corinthi nesciuisset Græcè? quid dici potest paradoxum magis? & omnium itaque erat responsio.

13 Ibid. *laudes in Ecclesia peragant.*] Ambiguitates venatur artifex, quas nos soluimus his modis. Primùm Ecclesia est populus Dei: oratio Ecclesiæ est quæ fit ab Ecclesia: ergo fit à populo Dei. Si qua non fit à populo Dei, non est oratio Ecclesiæ, etsi in Ecclesia fit. Sed Ecclesia, dixerit quispiam, est corpus cleri. Ergo æquiuoca est propositio, & quatuor habet terminos, vt loquuntur: itaque nihil efficit; cùm hactenus de toto corpore sit actum, & agat de eo disertè Paulus τ̃ ἰδιώτην in eodem corpore complexus 1. Cor. 14. Secundò autem fructus diuerso planè respectu dicitur. Etenim Apostolus agit de fructu ædificationis per sermonem eorum qui dicunt ad Ecclesiam peruenturo, vt antè monuimus; non autem de fructu illo exauditionis à Domino. Hæc elenchi fallacia.

14 Ibid. *fiebant enim in collationibus loco exhortationis.*] Hoc quomodo fuerit factum, Bellarminus viderit: certè in Romana Ecclesia ne vestigium quidem collationum istarum relictum est, etsi canticis reboant omnia.

15 Ibid. *diuinorum officiorum nec est finis præcipuus instructio vel cōsolatio populi, sed cultus Dei.*] Diuidit coniuncta: nam diuinorum officiorum omnium finis est cultus Dei ædificatione populi coniunctus, cultus inquam ab omnibus exhibitus cum omnium ædificatione iunctus. Est autem omnium colere Deum quos Christus suo sanguine comparauit.

16 Art. 14. *satis est si intelligat Deus.*] Illudit elenchi ignoratione: nam ex oratione sequitur vtili-

tas

tas ad orantem, ad audientes, ad alios absentes perueniens: sed Caluinus agit ex Paulo de intelligentia quam percipit ex oratione audiens. Cùm autem oratio non intelligatur aut ab ipso enunciante, aut ab audientibus; qui orat non intelligens, ne sibi quidem vtilis est; qui intelligens orat, sed aliis non intelligentibus, hic sibi orat, alienæ verò intelligentiæ nullam vtilitatem adfert. Hoc respectu Paulus, & Caluin ex Paulo loquutus est: nam propterea dicit, *Si or... spiritu, mens mea orat, sed intelligentia mea sine fructu est:* item, *nam tu quidem bene gratias agis, sed alius non ædificatur*, &c. Falsa igitur solutio, rapiens velut simpliciter dictum quod secundùm quid dictum est, vel potiùs quod vno respectu dictum est diuerso respectui accommodans. Aliud enim est agere de vtilitate audientium quà audiunt, id est, ex auditu percepta, quam ædificationem vocat Paulus; aliud, de vtilitate eorum pro quibus habetur oratio. Sic Bellarminus dum manum petitur, pedem porrigit.

17 Ibid. *etiamsi non intelligat orationem aduocati sui.*] Dissimile: nam tota Ecclesia reipsa orat, quamuis vnus in ea sermonem habeat, quia Christus omneis in se & secum effecit Sacerdotes coram Deo & Patre, Apoc. 1. tum agit Apostolus de communi oratione Ecclesiæ in cœtu illius. hæc igitur & sequentia nihil ad rem.

18 Art. 15. *qui dubitare potest, quin illa oratio populo prodesset?*] Elenchus idem, vt proximè nota 16. & 17. diximus: agitur enim de vtilitate audientium ex auditu in Ecclesia Dei, vbi ad ædificationem fieri oportet omnia; non de vtilitate ex orationis substantia & effectu. Extra curriculum, Bellarmine, ferris.

19 Ibid. *ex ipsa lectione multa nascitur sancti-*

M *monia.*]

monia.] Hæc de lectione vel auditione Scripturæ, non de oratione dixerunt Patres. Non decet hominem disputandi peritum ἐξοςχεῖαζ. diuersa non probant.

20 Art. 16. *minus intelligebant, quàm verba Latina nostri rustici.*] Dispar ratio: nam hæc imperata fuerunt à Deo, & imperatus modus. At in oratione imperatur intelligentia, velut ad ædificationem cœtus Ecclesiæ pertinens. Inconsequens. Tum negatur simile: intelligebant enim Iudæi olim pro suo modulo communeis de Christo locos, qui à Sacerdotibus, Leuitis, atque Prophetis tradebantur. Quòd si aliis id profuisse dicatur, quà auditum & non intellectum, hoc etiam negamus: principium petitur.

21 Art. 17. *putat se benedicere.*] nempe in eo ipso quod dicit malè, & per simplicem ignorantiam, non voluntariam, deceptus boni adiuncti specie.

22 Ibid. *precis vitium superat precantis affectus.*] Verùm non vi sua per se; sed per accidens, acceptatione gratiæ, vt fatetur sequentibus.

23 Ibid. *non intellectæ & malæ,*] Nempe secundùm quid: id est, quibus in precibus inest aliquid mali, & non animaduertitur simplicitate ignorantiæ. Est autem inconsequens argumentatio ex dissimili: nam in illo exemplo bonum intelligitur, malum non animaduertitur, quorum illud accipit, hoc ignoranter factum condonat Deus; hîc verò nihil intelligitur, nec bonum, nec malum.

24 Ibid. *etiamsi non intelligantur, proderunt?*] Dicendum fuit, etiamsi nihil earum intelligatur; nec simplice tantùm, sed voluntaria & crassa quadam ignorantia. Dispar itaque comparatio. Quod enim preces illæ fructuosæ sunt, non est ab ipsis, sed à gra-

tia Dei acceptante; qui ignorantiam simplicem tolerat excusatque, sed damnat voluntariam. Quid autem hæc ad institutum? agit enim Paulus de audientium, ac non de dicentium aut orantium tantùm intelligentia, & de auditorum fructu quà ædificantur auditis rebus: hæc Bellarminus terminis commutatis bellè dissimulat. De sequentibus omnibus iudicium idem est.

25 Art. 18. *ferre auxilium delectantur, &c.*] De lectione Scripturæ diuinæ loquebatur Origenes, non de oratione nostra. Est autem dispar omnino ratio: nam lectione Scripturæ sensum suum nobis exponit Deus, nos oratione Deo nostrum. Illum ex parte assequi possunt tantùm homines, dum hic viuunt; oratio verò, index sensus nostri, sine sensu nostro nulla est, ridicula, indigna nobis, indigna quæ offeratur Deo. Ex diuerso item nihil sequitur. Postremò quid ad rem? nam agimus de fructu ædificationis ex auditu ad alios perueniente, non de fructibus cæteris: & ita Paulus.

26 Ibid. *hæc ille.*] Mutilatum hîc est vtrumque simile: etsi οὐδὲν πρὸς ἔπος. diuersum esse iam satis ostendimus.

27 Art. 19. *scimus enim quicquid illud sit, ad Dei laudem pertinere.*] Aliud est, si vtcunque aliquid intelligas; aliud, si perfectè. Cognoscimus ex parte, 1. Cor. 13. ergo ex parte intelligimus, & ex parte intelligendo cùm ad ampliorem intelligentiam exercitatione contendimus, tum nos à Deo exaudiri scimus studentes verbo ipsius & sequentes illud. Quod nos paruulis nostris facimus in rebus quas non intelligunt exercentes eos, hoc Deus facit nobis. Sed hæc (vt antè diximus) οὐ κατὰ θύρας.

28 Ibid. *vt non intelligat ipse verba sua?*] Antoniana scilicet hyperbole.

29 Art. 20. *contra Faustum, cap. 55.*] Festiuè: quasi verò oratio non sit honoris diuini species maxima dignissimaque, ex Prophetarum testimonio; & professionis genus sanctissimum, vt Gen. 4. 26. & [...]ssim. An ergo oblitus est, quicquid est generis idem [...]oque speciei esse?

30 Ibid. *vagantur animo ad alia negotia.*] Hæc aliena à Pauli mente, vt docent sequentia. Etsi his & illos oportet addi, qui non intelligunt, nec operam dant vt intelligant; sed labiorum motu satis putant fecisse officio suo ex opere operato, vt vocāt, crassa ignorantia & supina persuasione sua.

31 Art. 21. *mens eorum sine fructu est, quia non eruditur.*] Negatur: elencho fallit. Nam de audientium intellectu ista est effatus Paulus, quæ hic torquet ad eius qui orat intellectum, vt sæpe diximus. nempe hîc pro amphora vrceus, vt est in prouerbio.

32 Ibid. *Et idem confirmat apertè Chrysostomus hoc loco.*] Quàm verè ista! atqui hæc ipsa sunt verba Chrysostomi: *tu quidem rectè gratias agis spiritu*, inquit, *scilicet concitatus sonas: sed ille nihil audiens, neque sciens quæ dicuntur, stat non magnam capiens vtilitatem.* Quid his verbis cum adfirmatione istius?

33 Ibid. *intelligere potest.*] Probari istud non potest.

34 Ibid. *id est, Latino assiduè leguntur.*] Negatur hæc circumscriptio, & affirmatio tota. Nam aliud est commune doctis, aliud commune in vulgo, vt sæpe ostendimus. in vnaquaque autem Ecclesia quotus quisque doctus est? Quod autem de fructu dicit, diuerso

uerso respectu dicit: nos verò de fructu ædificationis cum Paulo dicimus.

35 Art. 23. *inde sumptum est cap. quoniam in plerisque.*] Commenta sunt hæc. Nam primùm neque ex verbis Concilij Lateranensis, neque ex cap. probari potest ista restrictio: secundò etiam si expressa ibi exstaret restrictio, consequi tamen iuris eiusd[illegible] analogiam oporteret: postremò ipsa repugnant v[illegible]ba. Sic enim habet capitulum & canon Concil[illegible]: *Quoniam in plerisque partibus* (non Constantinopoli, aut in Græcia solùm) *intra eamdem ciuitatem atque diœcesin permisti sunt populi diuersarum linguarum* (non Græcæ, & Latinæ solùm). *habentes sub vna fide varios ritus & mores; districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitates rituum & linguarum diuina officia illis celebrent, & Ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo.* Euidentia omnia, & istam exceptionem euidenter refellentia.

36 Art. 24. *ex historia iam recitata.*] Falsum: quid enim sibi vellent ista? *instruendo eos verbo pariter & exemplo.*

37 Ibid. *non fuisse Latinam.*] Non pugnant ista: nam communis diu fuerat Latina lingua, vulgaris Italica, vt antè distinximus, & adhuc ex parte communis erat. Dispar igitur est ratio. Tum quanta ipsarum inter se affinitas?

38 Art. 26. *sed cultus Deo ab Ecclesia debitus.*] Negatur vt antè no. 15. hæc responsio, quia vitiosa est elencho, & homonymia. Elenchus est, quum de fine Brentius indefinitè agit, hic de præcipuo fine. Sunt autem coniuncti fines officiorum diuinorum, quà Deum, quà populum vel alios, quà nos respiciunt

qui exhibemus cultum. Finis ad Deum respiciens est cultus ipsius; ad alios, instructio, &c. Notum est autem in scholis illud, coordinata non pugnare, neque positionem vnius esse remotionem vel negationem alterius. Homonymia verò seu æquiuocatione illudit, quum vocem Ecclesiæ restringit ad clerum, cùm tamen Ecclesia vtrumque ordinem, κληρικῶν καὶ λαϊκῶν simul comprehendat. Ad vtrumque cultus diuinus pertinet, ad priorem ordinem ministerium cultus publici. Est enim cultus duplex, priuatus & publicus. Ac priuatus quidem, quo Deum colimus apud nos spiritu mentis nostræ, aliter se habet: nam priuatæ ædificationis est: qui autem publicus, is sine sacrilegio & rebellione indignissima ab ædificatione diuelli non potest, eamque necessariò & inseparabiliter coniunctam habet. Quod autem coniunxit Deus, homo ne separet.

39 Ibid. *vt ipse requirit Psal. 49.*] imò Christianorum omnium, ad quos locus ille Dauidis pertinet euidentissimè. vide nota 15.

40 Ibid. *in perpetuum non tacebunt.*] Proloquuntur ergo custodes quæ intelligantur: etenim si vocem incertam det tuba, quis se ad pugnam comparet? 1. Cor. 14. 8.

41 Ibid. *quæ in singulis Ecclesiis fieri debent.*] Hæc responsio ad assumptionem fallit bifariam. Primùm enim de officio & fine dicentium atque docentium agimus, hic verò de euentu: seruum autem Dei oportet officium hoc suum ad hunc finem facere vniuersè, & Deo euentum sinere. Deinde euentus ipse hìc falsò ponitur, quum haud secus de plebe quàm de pecude statuit experte omnis doctrinæ atque iudicij. vide nota 47. ô miseram plebem, & eo miseriorem,

rem, quòd indiligentes & desperantes de salute ipsius ductores habet!

42 Art. 27. *dum à concionatoribus explicantur.*] At si docti Latinè sciunt, indocti nesciunt (vt paulo antè dictum) cur doctos solùm malunt isti alloqui præsente magna indoctorum manu? Scilicet Christianæ plebi istic vellus non carpitur.

43 Ibid. *aut in doctrina?*] Falsum esse hoc interpretamentum *quinque verborum*, euincit omnino (vt alia taceam) illa antithesis *decem millium*, qua Paulus vtitur. Et quis, obsecro, sic interpretatur? argutiæ meræ.

44 Art. 28. *sed omnia ad vtilitatem & ædificationem.*] Quæ autem officia in Ecclesia fiunt ignotâ linguâ, nec fiunt ad hunc finem, nec rectè sunt ad eum comparata. Concludo Bellarmino iudice, ergo ad ostentationem.

45 Art. 29. *si non inquinatur verbum Dei si proferatur lingua vulgari, cur inquinabitur si scribatur lingua vulgari?*] Hæc argumentatio: Qua lingua prædicatur verbum Dei, scriptum quoque exstare eâdem opus est: prædicatur linguis vernaculis: eisdem ergo scriptum exstare opus est.

46 Art. 30. *cur Apostoli solùm scripserunt Græcè, cùm prædicauerint tam multis linguis?*] Maiorem Bellarminus negat ab exemplo Apostolorum. Atqui primùm id ipse negat quod antè tradiderat cap. 7. & 15. aliquid Hebraicè & Latinè ab eis fuisse scriptum. Secundò non dicimus oportuisse vt iidem & iisdem linguis scriberent quibus prædicauerant: Apostolos enim satis fuit Euangelij fundamentum ponere lingua communissima, canonemque perscri-

 bere,

bere, ex quo fideles Dei serui doctrinam salutis in linguas suas & populos transducerent. Tum & gloriæ Dei interfuit, vt hæ res ordine, & successu temporis, & per varios fierent; non autem velut fusæ impetu & momento vno haberentur. Postremò solutiones quotquot ab euentu adferuntur, sunt falsæ. Quid ergo ..c responsione facias?

47 Ibid. *quam omnes facilè capiunt.*] contrà ..ntiebat disputator suprà nota 41.

48 Ibid. *& lingua vulgari scriptum.*] Dissimile: nam etsi à substantia rei ad modum illius non valet consequutio, quod Chemnicius non ignorauit, tamen id Bellarmino venire in mentem oportuit, nec populos semper infantes esse, nec verbum Dei scriptum cum pane solùm, sed etiam cum lacte comparari, 1. Cor. 2. idque non magnis solùm, sed etiam paruulis verbum vitæ esse, Matth. 11. Ioan. 6. denique (vt cum Gregorio dicamus) in eo verè esse vbi formica transeat, & elephantus natet. Quid? nonne hoc proprium opus est sapientiæ Dei, vt perspicua obscuris, facilia difficilibus, virilia puerilibus misceat salutariter? Falsa igitur argumentatio.

49 Art. 31. *igitur nullum est piaculum eas vertere in linguas vulgareis.*] Inductio est Rhetorica: illi omnes fecerunt, & nos ergo debemus facere, puta transferre, legere, & legendam scripturam omnibus proponere.

50 Art. 32. *legendas Scripturas lingua vulgari.*] Responsio est per plura: possunt quidem scripturæ verti, sed non publicè legi & legendæ omnibus proponi. veteratoriè. Cur non legi? propter abusus incommodum. Contrà verò, cur oportet legi? propter commodum vsus à Deo imperati, & coniuncti pro-

missionibus

missionibus salutaribus ipsius. Iudicent pij, vtrùm vsus rei à Deo imperatæ, promissionibus coniunctæ, & omnibus natura sua salutaris, sit impediendus propter accidentarium abusus & infelicis euentus in aliquos incommodum? Quanto id iustius quod Ioanni dicitur Apoc. 22. 10? non esse obsignanda verba prophetiæ, quicunque tandem euentus consequatur: nam vtut iniusti iniustè agant, & sordescant sordidi, iustos tamen & sanctos eo ampliùs adhuc operam iustitiæ & sanctimoniæ daturos esse.

51 Ibid. *Hieronymũ, vel apud vllum veterem,*] Hanc sententiam hauserunt docti ex verbis Hieronymi Sophronio scribentis, *Nec hoc dico, quò præcessores meos mordeam, aut quicquam de his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissimè emendatam olim linguæ meæ hominibus dederim*, &c. erat autem Hieronymus Stridonensis Dalmata. Quamobrem hoc si verum est, de lingua Dalmatica, non Illyrica vel Sclauonica accipi oportebit: nã in Sclauonicam Methodius dicitur transtulisse, Chrysostomus in Armeniacam, Vlphilas Gothus in Gothicam, &c.

52 Ibid. *certis quibusdam hominibus conceditur.*] Negatur restrictio, & exemplum. Nam illis gentibus suâ linguâ Scriptura edebatur, vt barbarie posita, inquit Chrysostomus, melius philosophari discerent omnes; hîc certis hominibus pauculis conceditur, ne omnes philosophari discant, sed inter pauculos sint velut opertanea.

53 Ibid. *habuit auctoritatem.*] Satis est ad argumentum, quòd & vulgaris Chaldæorum genti, & communis finitimarum multarum Chaldaica versio exstiterit.

54 Art. 33 *non enim in linguam Græcam translatæ*

ſtatæ ſunt ſcripturæ, quia ea lingua eſſet quibuſdam vulgaris, ſed quia communiſsima erat.] Imò vtrumque: nam & vulgaris erat in Græcia tota & partibus Aſiæ non paucis, & communis in Aegypto maritima effecta plurimùm, ex quo Ionum coloniæ aliorumq. in Aegyptum immigrauerant, teſte Herodoto; & magis communis adhuc, poſtquam Alexander magnus eam occupauerat, vt omnes teſtantur hiſtoriæ.

55 Ibid. *non erat vulgaris lingua Græca.*] At communis erat, & ita quidem ipſi nota communiter, vt quædam Græco ſermone ſcripſerit.

56 Ibid. *paucis adhuc eſſet vulgaris.*] Nempe Latina facta communiter, vt doctorum operâ in vulgarem ſermonem & vſum diduceretur commodiùs.

57 Art. 34. *quæ certum eſt eſſe Hebraica.*] Rem quidem Matthæus expreſſit miſcella lingua, ſi quis vocem *Eli* ex vſu Hebræorum voluerit accipere; qua re nihil eſt opus, cùm & Syri contrahant: ſed Marc. 15. Syræ voces ipſæ, quibus Chriſtus videtur vſus, ponuntur ſimpliciſſimè, *Elohi Elohi, lema ſebaktani*? Nam quibus poſteà Bellarminus vtitur, eæ à Syriſmo recentiore ſunt, quo dicitur *Man* vel *Mana* pro *Ma*, quid. De libro autem Hieronymi quod affert, nihil probat. Meminiſſe enim hunc oportuerat, nihil ferme ſui in toto illo libro Hieronymum attuliſſe; ſed tantùm Philonis & Origenis fuiſſe interpretem, vt ipſe in prologo narrat. Sic autem Origenes Syram ſententiam ad Hebræos fontes reuocauerat.

58 Art. 35. *Hebraicis duriſsimis vocibus.*] Nobis ex vtroque Euangeliſta videtur ſecus.

59 Art. 37. *quibus ad ea dicenda adducebatur.*] At verba exprimunt fideliſſimè ipſius mentem, cuius ſunt ſymbola.

60 Ibid.

60 Ibid. *amplificationibus indigerent.*] Negatur ista restrictio. Deinde vt possint cum fructu legere, nonne habiles fieri oportet exercitatione legendi? vt cap. 15. demonstratum.

61 Art. 38. *hyperbolica ea locutio est, non propria.*] De habitu, non de actu dicuntur ista. Quamobrem nihil hyperbolicum: & ita scriptura passim de oratione loquitur, velut de subiecto habili & ratione ordinaria eius à piis obseruanda actu primo (vt loquuntur) licet non secundo. Sed quorsum effugia hæc aduersus sanctam illam exhortationem Chrysostomi? Audiatur idem homilia 16. in Ioannem, à Gentilium argumento Christianos docens, & Pontificios reprehendens: *si Gentiles,* inquit, *vt contra religionem nostram loquerentur, tantopere inuigilarunt: qua nos venia digni sumus, nisi huiusmodi contra nos insultus propulsare valeamus? Hoc nobis Petrus præcipit: inquit enim, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe: & Paulus, verbum Christi inhabitet in vobis abundanter. Sed quid ad hæc respondent fucis stultiores? benedicta omnis anima simplex, & qui simpliciter ambulat, in fiducia ambulat. Hoc namque omnium malorum causa est, quòd non multi scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere. Non enim in eo loco simplex pro stulto & pro eo qui nihil nouit intelligendus est; sed pro non malo, non versuto: nam si ita intelligeretur, superuacaneum fuisset dicere, estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Hæc non à theatrorum ludicris, sed ab vsu & necessitate publica ducuntur argumenta.

62 Art. 38. *& aliis locis eiusdem auctoris.*] Falsa interpretatio: non rhetoricè, sed verè simpliciterque, vt Christus, interdicit priuato omni iuramento,

respiciens

respiciens videlicet ad impiam eorum cõsuetudinem, qui præter necessitatem aut vocationem legitimam iuramenta priuatim præstabant ipsi, aut ab aliis exigebant. sic enim Christus cauet Matth. 5. Inanis itaque responsio.

63 Art. 40. *vt suprà est demonstratum.*] Responsio iniqua: nam in hoc saltem facto non sunt hæretici. Deinde non fit hoc loco argumentatio ab exemplo illorum simpliciter, sed ab exemplo concedentis & probantis factum illorum Pontificis.

64 Art. 41. *vt hoc tempore Moraui catholici faciunt.*] Hem sapientiam. Illyrij facti sunt eruditi sermone Illyrio ex rudibus; nunc meliùs est Latino fieri: certè, vt ex eruditis efficiantur rudes; idque non vtilitatis causa, sed consuetudinis. De Morauis iudicium idem. Omnia præposterè.

De verbi Dei interpretatione lib. 3.

IN CAPVT I.

1 Art. 2. *Superbis & infidelib. sit obscura ob eorum cæcitatem & prauum affectum.*] Hæc non effugia, sed vera sunt & certa dogmata, si bene intelligas. Nam Scriptura, velut sol quidã spiritualis mundi, clara est per se natura sua; nobis verò non est clara propter impedienteis tenebras, tum naturaleis nostras, tum aduentitias atque circumstanteis à tenebrarum principe. Nam, vt loquitur Paulus 2. Cor. 4. *tectum est Euangelium nostrum iis qui pereunt, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes ipsorum, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi.* Eadem verò fit clara nobis,

bis, si Deus dispellens tenebras nostras superiore luce gratiæ nobis eamdem reuelauerit, primùm intus luce interna spiritus, secundò foris luce externa verbi illius & scripturæ sacræ locum vnum altero explicantis & tenebras illustrantis. Quid hac re, obsecro, clarius? Prius dictum Bellarminus antè confessus est lib. 1. cap. 2. vbi nota 1. & seq. rem exposuimus: posteri[illegible] idem ipse agnoscit sequentibus.

2 Art. 3. *Scriptura ipsa de sua difficultate atque obscuritate testimonium perhibet.*] Negatur: & probationes sequentes nihil ad rem, quia diuerso respectu dicebantur ista. Nam desiderabat Dauid superiorem illam reuelationis lucem suæ menti indi, cuius incrementa fideles à Deo quotidie accipiunt, & de qua modò dicebamus: proinde Solem illum agnoscebat clarum (nam quid sole clarius?) sed oculum suum natura cæcum in tanta luce, & quamuis inchoata gratiæ luce tenebricosum adhuc querebatur. Sic & sequentia omnia. Atque hoc ipsum fatetur Bellarminus cap. seq.

3 Ibid. *tenebras ignorantiæ confitetur.*] puta in se, non autem in verbo: nam huius lucem non comprehendit nostra infirmitas, sed capit modulo suo.

4 Art. 5. *sed difficilia absolutè.*] Veruntamen ea ipsa nobis sunt difficilia, nō natura Scripturæ simpliciter, sed naturali infirmitate nostra, quæ non potest rectà intueri, nedum capere Solis illius lucem. Atque huc pertinent quæcunq. ex Patribus deinceps adducuntur. Vtrumque ergo verum est, sed respectu vario: quem diuersum respectum certo consilio hic disputator confundit elencho, vt Lutherum & Brentium inuidia oneret. Deinde verò fallitur Bellarminus, nec Petri verba rectè assequitur. Non enim dicit

in epi-

in epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu; sed hoc potiùs dicit in omnibus ferè epistolis Paulum de illis rebus quæ illic agũtur loqui, in quibus rebus sunt nonnulla difficilia intellectu, &c. Hoc autem vt intelligamus, de causis difficultatum dicamus paucis. Difficultas aut à rerum ipsarum natura est quæ percipiantur, aut ab ipsis percipientibus, aut ab iis quæ intercurrunt media. Res quæ percipiuntur, natura sua intellectu difficiles sunt aut per obscuritatem, vt res futuræ, aut per maiestatem ipsarum, vt mysterium S. Trinitatis, &c. Sic quid Sole clarius? quid difficilius aspectu? nam hebescit acies oculorum nostrorum vi radiorum illius. A percipientibus difficultatem esse quis sanus neget? nam res quæ sunt Spiritus, homo ψυχικὸς non potest capere; nouus intantum capit inquantum renouatus est; id autem est, inchoatione & ex parte. A mediis quæ Deus ipse Ecclesiæ obtulit, id est, à Scriptura, negamus difficultatem esse: Scripturam claram esse, & illuminare oculos piorum adfirmamus, nõ habere obscuritatem à se vllam. Atque hæc tria optimè coniunxit Christus Ioan. 3. dicens: *Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis.* hæc vniuersè. Subiungit, *Si terrena dixi vobis* (hæc de medio, id est, verbo & scriptura sacra planè, humiliter, conuenienter res nobis exponente) *& non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* hæc de rerum difficultate quæ percipiuntur. Pòst sequitur difficultas, ac potiùs impossibilitas eorum qui percepturi sunt. *Nullus enim ascendit in cœlum*, puta qui res diuinas videre & testari possit, *nisi qui descendit è cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*, res visas & percognitas eloquens & testificans; supple, & cuicunque Filius voluerit reuelare ex demenso ipsius, Matth. 11. 27. Meminerit

minerit ergo pius Lector nos hîc de perspicuitate medij, id est, Scripturæ sacræ; non autem de perspicuitate rerum singularum in se, aut nostra perspicientia in eis agere. Hæc tria multi imperitè, nonnulli artificiosè confundunt, vt decipiant imprudentes.

5 Ibid. *quæ B. Petrus monuit esse difficilia intellectu.*] Difficilem quidem esse Augustinus dicit: ex iis verò locis esse quos notauit Petrus non dicit. De hoc autem loco non satis verè argumentatur Bellarminus, duobus modis: nam siue dixerit, locus est difficilis Augustino, absolutè igitur difficilis, falsum est, & ipse Augustinus negat libro 2. de doctr. Christ. cap. 6. siue illud, locus est difficilis, ergo Scriptura difficilis, inepta est à parte integrali, & quæ minimè principalis est, de toto argumentatio.

6 Art. 6. *homo autem semper discat quæ sunt à Deo.*] Hæc de rebus difficilibus primi generis, quod nota 4. positum.

7 Art. 7. *multis locis obscura.*] Nimirum nobis, quà rerum naturâ, quà infirmitate nostra. At non continuò obscura est Scriptura atque difficilis; vt nec lux Solis difficilis propter excellentiam ipsius & infirmitatem nostram. sic sequens locus.

8 Art. 8. *obscuræ sint scripturæ.*] Obscuræ nobis nimirum ab infirmitate nostra, non autem ab ipsarum scripturarum modo. Sic omnia, vt nota 4. distinximus.

9 Art. 10. *facilè inuestigata plerumq; vilueruunt.*] Quæ ibidem sequuntur, addi hoc loco oportuit. Ait enim Augustinus: *Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia*

stidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. vide nota 5. antè.

10 Art. 11. *Scripturas esse difficiles.*] At non sua obscuritate, sed rerum obscuritate & infirmitate nostra: id est, non scripturas in se; sed res scripturæ pec natura sua notas esse, nec nobis peruestigabiles. Quamobrem inanis conclusio.

11 Art. 12. *& modus quo dicuntur.*] Tertium omittitur, ἀγνωμοσύνη nostra, indispositio & inhabilitas.

12 Ibid. *Scripturas esse obscurissimas.*] Nimirum nobis. Etenim (vt verbis Thomæ vtar sum. 1. p.q. 1. art. 2.) *principia cuiuslibet scientiæ nobis vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ: hæc autem procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scientia est Dei & beatorum, nobis à Deo reuelata & suscipienda per fidem.* Non ergo, si nobis est difficilis, continuò per se & in se difficilis est dicenda.

13 Ibid. *quomodo non obscurissima erit sacra Scriptura, quæ de rebus longè altioribus agit?*] Imò planè mysterium est absconditum, si ad hominem ψυχικὸν & naturalem respexeris, 1. Cor. 1. & 2. cæcus enim est. Sed hîc alia est ratio, quum de Christiano agitur: nam illuminatus est, licet ex parte solùm per inchoationem gratiæ.

14 Art. 13. *innumerabiles rationes difficultatis.*] Sed hæc omnis difficultas accidentaria est, non essentialis Scripturæ: vt sequentes rationes omnes demonstrant luculentissimè. Nam si essentiales fuissent, certè Hebræis quoque ipsis & Græcis secundùm illas Scriptura difficilis exstitisset.

15 Ibid. *anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*]
Hæc

Hæc videntur contraria, non sunt: ergo videntur nobis, & respectu nostri difficultatem habent, quamuis in se clara & facilia sint. Sic deinceps.

16 Ibid. *τὴν ἀρχήν.*] Imò ambiguitatem remouet Græca constructio: nam ex Latina interpretatione prouénit hæc ambiguitas.

17 Ibid. *in tota periodo non est verbum principale.*] Negatur quicquam extra vsum loquendi imperfectum esse: & huius Paulini loci non est imperfecta oratio, sed hyperbatica: quod hominem Grammaticum videre oportuit.

18 Ibid. *& sermonum eorumdem.*] At non omnes orationes præposteræ sunt vitiosæ: non enim est præposterum, si post factum narretur causa ipsius, vt Genes. 10. & 11. & passim.

19 Ibid. *& alia id genus sine vllo numero.*] Hæc lumina linguæ & orationis sunt: tantum abest vt offundant tenebras veritati.

20 Art. 14. *cur tam variè Scripturam explicarent?*] Id eo fit, quòd Scriptura est per se clara: nos autem nihil videmus per nos, per gratiam verò videmus parum, & ad breue; & alij hoc, alij illud, secundùm demensum donationis Christi.

21 Ibid. *atque ad ea confugiamus?*] Hæc iudicia hominum minimè malorum, sed in singularibus causis, vt fit, perturbato animo loquentium. Hæc autem iudicia quis probet bonus? quis, nisi perturbatus aut imprudens, adferat?

22 Ibid. *quòd in hac sententia ipsi secum mirificè pugnant?*] Non pugnant quæ diuerso dicuntur respectu & modo. Nihil enim videmus ipsi rerum spiritalium luce nostra; at videmus superiore luce, vbi

& quando illustrat Deus. In eamdem sententiam pertinent sequentia omnia.

23 Art. 15. *quem ipse non facilè interpretetur:*] Bona verba: negatur dictum inuidiosiùs.

24 Ibidem. *veram & germanam sententiam quærere.*] De Patribus Pontificiis & æui recentioris ..cit, quibus in monastica vita operam dederat frustrà: pœnitebat enim.

25 Art. 16. *Scriptura interpretatione non eget?*] Non pugnant ista, vt nota 22. dictum.

26 Art. 17. *Patrum commentarios scripsit esse carbones pro auro.*] Falsum. Consulatur locus. Priùs enim Lutherus dixerat, *vbicunque sine auro & argento & gemmis pretiosis, id est, sine Scriptura certa ædificant*, &c. posteà verò ex hac hypothesi subiicit; *non ergo patiamur nos ab illis nugacißimis vociferatoribus eò pertrahi aut cogi, vt credamus idem esse lignum & aurum*, &c. bonam fidem in Bellarmino referendis verbis desidero.

In Capvt II.

1 Art. 2. *de facilitate implendi mandata Decalogi, cùm adest gratiæ auxilium.*] Hanc responsionem adiuncta confutant, & Pauli auctoritas Rom. 10. Antecedentia enim toto cap. de doctrina sunt Euangelij, cuius veritatem à Deo præstari adfirmat Moses, & à nobis facilè percipi: quod illis verbis exprimitur, *non est occultum à te, neque longinquum.* Paulus verò ineptè argumentaretur, nisi hoc sensu diceret. Nam iustitiam operum siue legis, quæ est in præstando, opponit iustitiæ quæ est ex fide, & huic verba Mosis accommodat,

commodat, concludens, *hoc est verbum illud fidei quod prædicamus*, & quæ sequuntur.

2 Ibid. *responsione penultima.*] Nomina video, rem non video vsquam. Tertullianus de hac interpretatione lib. 5. aduersus Marcionem, nullum verbum: nec magis Origenes, neque Ambrosius, neque Chrysostomus, neque Oecumenius, neque Augustinus, eo retulerunt, sed ad doctrinam fidei & apprehensionem illius per fidem. Nescio quid Bellarmino in mentem venerit, quum hæc Patribus illis adfingeret.

3 Art. 3. *Scripturarum sanctarum, quæ tunc nullæ erant fortasse.*] Falsum, vel Mosis ipsius testimonia: erant enim perscripti mandato Dei & in Ecclesia asseruabantur quatuor libri Mosis & pars maxima Deuteronomij. nam ibidem testatur Moses Deuter. 30. 10.

4 Ibid. *te intellexisse.*] Hæc responsio, vel potiùs restrictio iisdem argumentis euincitur falsi, quæ modò adduximus.

5 Ibid. *odio habuerunt me gratis, Ioan.* 15.] vide suprà cap. 1. nota 2.

6 Art. 5. *dirigant hominem in operando.*] Negatur ista restrictio, quia angustior est, & adiunctis refellitur; & ipse disputator huius responsionis infirmitatem sentiens alteram subiicit.

7 Ibid. *omnium stellarum lumen.*] Id autem nihil aliud est, quàm quod dicebamus in caput 1. scripturas esse natura lucidas per se; nobis verò non lucere, nisi præditis interna luce, & pro modulo lucis illius nostræ intus accensæ ministerio lucernæ illius, & beneficio Dei. vide lib. 1. cap. 2. nota 1. &c.

8 Art. 7. *opera vestra bona.*] Et hæc negatur re-

strictio: nam æquè de doctrina ac de moribus vitaque agi ostendunt sequentia, vbi opera illa bona in bene viuendo recteque docendo statuuntur, versu 19. & seq. *quisquis igitur soluerit vnum ex mandatis istis, & ita docuerit homines*, &c.

9 Ibid. *lumen veritatis in mente accendit, & tenebras errorum depellit.*] Vtrumque verum ab eadem causa efficiente, Deo; & instrumentali, Scriptura: quæ hic iniquè disiunguntur. Nam Euangelium est potentia Dei; & Scriptura diuinum instrumentum est Euangelij. De hac responsione & sequentis argumenti diximus nota 7.

10 Art. 9. *ad Christum, qui est verus Sol iustitiæ.*] Ergo lucerna lucet, & lucernam nostram Deo docente illuminat, & illuminatam fouet, vt nota 7.

11 Art. 11. *Deum incarnatum, passum &c.*] Atqui relata simul sunt natura sua: cognitio & fides in Christum non potest consistere sine intelligentia Scripturarum: Scripturæ sunt instrumentum externum, cognitio & fides scriptura interna est: Loquitur ergo Apostolus de scripturarum intelligentia, vtut Bellarmino placeat distinguere. Ruunt igitur sequentiâ.

12 Art. 12. *contra Faustum, cap. 2.*] Sed hæc traiectio est dura: quam Chrysostomus adfirmat, Augustinus quorumdam esse dicit, Ambrosius reticet afferens duntaxat interpretationem loci indistinctè.

13 Art. 14. *principium & finis Ezechielis, &c.*] Augustinus ibi de dogmatis Christianæ doctrinæ agit, non autem de narrationibus siue historicis, siue propheticis. falsa itaque exceptio. vide suprà cap. 1. nota 4.

14 Ibid. *vbinam apertè dicatur.*] Negatur esse difficile,

difficile, ſiquidem (vt Auguſtinus loquitur) legentes nolint eſſe negligentes.

15 Ibid. *ſe plura neſcire, quàm ſcire in ſacris literis?*] Loquitur Auguſtinus de rebus cæleſtibus in Scriptura perſpicuè expreſſis, & infirma ſui ingenij humani acie: quis hoc de ſe negare audeat? at nō proptereà lux Scripturæ, vt neque Solis, obſcura eſt.

16 Ibid. *non igitur ſcriptura ſola ſufficit dirimere controuerſias.*] Neque ex accidente, neque ex particulari ſequitur.

17 Art. 15. *obſcura & figurata.*] Aliud eſt obſcurum, aliud figuratum: imò verò figurata multa ſæpe ſunt clariora, quàm ſi propriis verbis enunciaueris, vt dicit Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 6. & epiſt. 119. ad Ianuarium, cap. 11.

18 Ibid. *omnibus, vt ex calice Domini bibant.*] Nempe analogicè, vt intelligitur ex Paulo 1. Cor. 11. Hæc autem ratio analogiæ ſi bene intelligitur, ſequens tota concidit obiectio. ſed de hac re tomo 2.

19 Art. 16. *igitur tota Scriptura apertiſſima eſt.*] Et cuius hoc argumentum eſt?

20 Art. 17. *de Apocalypſi, &c.*] Has Scripturæ partes negamus in ſe obſcuras eſſe, nobis ex parte obſcuras eſſe concedimus, ob rerum quæ aguntur amplitudinem & infirmitatem noſtram. Aliud eſt notitia verborum & orationis ſenſusque Scripturæ, aliud notitia rerum, vt Bellarminus ipſe paulo pòſt diſtinguit ad obiectionem 10. Scriptura aperta eſt; res cœleſtes in ſe difficiles captu, in Scriptura facilitate ſumma & captui noſtro contemperata exponuntur.

21 Ibid. *inter ſe diſſideant*] Fallacia eſt à non cauſa, vt loquuntur: id enim accidit non obſcuri-

...ate Scripturæ, ſed tenebris mentis noſtræ.

22 Art. 19. *Scripturas eſſe difficiles.*] Nobis puta, licet in ſeſe clariſſimas.

23 Ibid. *naſcitur ſanctimonia.*] vide ſuprà cap. 1. nota 4.

24 Ibid. *ne iſta quidem eſſe omnibus clara & fa-...ia.*] Hoc non dicit Chryſoſtomus; ſed contrà po-...us enumeratione vtitur: & poſtquam de doctrina loquutus eſt, ſuo ordine de hiſtoria agit & narrationibus illius. Iniquè ergo Bellarminus res coniunctas diuidit. Prudens lector conſulat Chryſoſtomum (nam locus eſt longior quàm vt hîc apponatur) rem ita ſe habere vt dico deprehenſurus eſt.

25 Ibid. *& inania verba.*] Eadem ratio, vt modò diximus: nam hiſtorias adfert Chryſoſtomus, vt hominum inſcientiam arguat per comparationem minoris. Cætera minimè reticet, quæ hic diſſimulat, res coniunctas diuidens.

26 Ibid. *Scripturas eſſe obſcuras, vt ſuprà di-...um eſt.*] Obſcuras nobis, vt cap. 1. nota 4. & 8. dictum: non autem in ſe.

27 Art. 21. *quia omnia tecta erant figuris.*] de ſententiis ſcripturæ, negamus: de myſteriis rerum concedimus atque agnoſcimus, vt cap. 1. nota 4. dictum.

28 Ibid. *mirabilia de lege tua.*] nempe reſpectu amplitudinis rerum & tenuitatis noſtræ, non autem Scripturæ, quæ in ſe clara & luminoſa eſt. vide cap. 1. nota 2. & 4. Elenchus.

29 Art. 23. *vt quis intelligat id quod dicitur eſſe verum.*] Negatur diſtinctio: nam ſiue de vtrouis, ſiue de vtroque acceperis, vera eſt Lutheri argumentatio. Nam quòd perfectam in ſe claritatem habet verborum

borum aut ſententiarum,& rerum, diuino modo, id
per ſe notius eſt & clarius imperfecto, vt riuis ductis
clarior eſt fons purus: Scriptura perfectam diuinitus
claritatem habet: eſt igitur clarior & notior per ſe. At
nobis, dixerit quiſpiam, non eſt peræquè nota. Certè:
nam primùm homo cùm ſit imperfectus, non capit
id quod perfectum eſt, & quidem perfectione ſupra
naturam facultatesq́ue ipſius: ſecundò autem ſiquid
capit perfecti, id nec perfectè in ſe, nec modo perfecto
capit, ſed pro ſuo modulo imperfectis & proportionatis
ipſi (vt loquuntur) mediis. Huiuſmodi autem
media humana ſunt, quum ea illuſtrauit & diſpoſuit
Deus: & in hoc numero ſunt ſanctorum hominum
& orthodoxorum Patrum commentaria. Sequentia
itaque nihil ad rem.

30 Art. 25. *innumerabilia poßimus adferre.*] Lutherus ſecundùm quid dixit, ratione iſtorum commentariorum humanorumq. ſcriptorum quibus Eccleſia Rom. exundauit aliquot ſeculis. Alioquin Anabaptiſtarum, non Lutheri eſt argumentatio, ſi ſimpliciter acceperis. Tota itaque hæc reſponſio Anabaptiſtas, non Lutherum petit.

IN CAPVT III.

1 Art. 1 *obſcuram eſſe, & interprete indigere iam conſtiterit.*] Obſcuram eſſe nobis, non autem in ſe; & interprete indigere qui veram lucem illius oſtendat, non nouam adferre ſpondeat.

2 Ibid. *interpretatio ab vno aliquo viſibili & communi iudice petenda ſit.*] ac potiùs indice: nam lucem diuinam, id eſt, principium omnis lucis quis homo iudicet? Non lucem diuinam iudicas, ô homo

quisquis es; sed ex ea iudicas, aut ex eadem iudicaris. sed de hac re controu. 3. & 4.

3 Art. 2. *in cap. 2. Ezech.*] allegorica nimirum interpretatione.

4 Art. 5. *vt Apostolus explicat. Hebr. 4.*] Breuiter, hæc omnia sunt allegorica, siue ad dogmata, siue ad mores aut ordinem rerum pertineant: sed per anagogen ad proprium sensum literalemq. reuocantur. Ac propterea etiam hæc omnia orthodoxis Patribus item dicuntur allegorica, vt mox Bellarminus agnoscet. vide quæ Parallelorum sacrorum libro 1. exposuimus.

5 Art. 7. *nec est improbabile, interdum plures literales in eadem sententia reperiri.*] nempe humana accommodatione. Alioqui reuera vnica est veritatis vno in loco per se, propriaq. & constans sententia.

6 Art. 8. *ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia.*] Supple, nisi euidenter proprij & destinati sint typi & allegoriæ, quarum certa exstet interpretatio, siue ex auctoritate loci alterius, siue necessaria analogia, vt Parallelo 25. lib. 1. docuimus.

7 Art. 9. *an omnes Apostolos.*] Falsum: scimus enim primùm ex historia sacra, Christum ad omneis Apostolos qui aderant loquutum esse: tum sermonem illum ad omneis credentes in verbum illorum pertinere scitur ex analogia fidei, & auctoritate Christi, Ioan. 17. itemque Pauli 1. Cor. 11.

8 Ibid. *Catholici volunt accipi simpliciter secundùm verborum proprietatem.*] Negatur: nam statuunt illi vocem *hoc* tantumdem significare atque si dixeris, hæc species, aut *est* significare fit, aut aliquid eiusmodi. sed de hac re tom. 2.

9 Art.

9 Art. 12. *in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum.*] In Ecclesia esse & inueniri agnoscimus; nam domus Dei est, si propriè sumitur: sed in Ecclesia, prout hic definitur æquiuocè, semper esse & inueniri Spiritum negamus. Tum de iudicio distinguimus. Cùm enim Ecclesia subsistat in membris singularibus, & Spiritus sit in Ecclesia subsistente in membris singularibus, dicimus duo esse in Ecclesia iudiciorum genera: vnum priuatum, quod omnium fidelium est vniuersè & singulariter; alterum publicum, vocatione publica & auctoritate fultum: huius vtriusque iudicij legem & canonem, scripturam sacram; auctorem verò & ducem, Spiritum sanctum esse. Publicum iudicium esse aut particularis Ecclesiæ, aut plurium in vnum corpus coëuntium, aut omnium: quod corpus vocant σύνοδον, concilium, conuentum, &c. Cùm autem priuati iudicij (ex quo coagmentatur publicum) præses iudexque sit Dei Spiritus, & Scriptura sit lex, non posse alium iudicem aut legem publico Synodorũ iudicio statui sine atrocissima in Deum blasphemia, & in Ecclesiam contumelia. Præsides autem Synodis qui dantur, eos non rei imperium atque arbitrium, sed ordinis procurationem habere commissam, ad res illo vnico iudice ex lege illius terminandas.

10 Art. 13. *& ideò vnumquemque iudicem esse debere, siue spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, siue alicui alteri adhærendo quem eodem dono præditum viderit.*] Hic status controuersiæ aut malè intellectus est, aut falsò positus. Dicimus, interpretem Scripturæ eumdem esse qui condidit eam, videlicet Deum per Spiritum sanctum: pios esse Scripturæ inter se indices atque administros:

non autem iudices, pro demenso donationis Christi: hoc demensum cùm Prophetis ferè sit maius quàm priuatis attributum (licet non semper, aut necessariò) si ad lectionem & intelligentiam Scripturæ ex vocatione officioque attenderint, rectè ab eis iudicaturam peti qui dono & vocatione Prophetæ sunt: denique hanc iudicaturam examinari ab omnibus ad Lydium lapidem Scripturæ sacræ oportere, vt fide veritatis diuinæ, non specie auctoritatis humanæ singuli acquiescant.

11 Ibid. *in assertionibus art. 27. 28. & 29.*] Hæc Lutherus secundùm quid, respiciens ad hanc constitutionem Ecclesiæ quæ suo tempore apud Pontificios dicebatur esse. Etsi Cochlæus non satis bona fide refert Lutheri verba. sed ita fuit homo.

12 Art. 14. *in Ecclesia valet sententia congruens cum verbo Dei, & confessio piorum, siue sint plures, siue pauciores impiis.*] Negatur consequens: nam qui res necessariò coniunctas inter se coniungit, non confundit eas. Hoc autem Philippus fecit: nam duo coniungit, Ecclesiam & veritatem; id tantùm excipit, si pars Ecclesiæ veritatem propugnat, & pars oppugnat altera; pium cum veritate, etiam si pars minima ac fermè nulla adhæserit, facere tamen oportere. Quid? nonne veritas est fortissima? certè vel infirmitas Dei validior est hominibus, 1. Cor.1.25.

13 Art. 15. *non licet, inquit, in causa æternæ salutis alienæ sententiæ ita inhærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur.*] De aliena hominum sententia dicit: nam Dei sententiam fide percipimus; hominum verò sententiam probamus iudicio, vtrùm cum diuina conueniat, antequàm acquiescamus fide: singulis credentibus suus gustus est iudicij à

cij à Spiritu, vt hominibus à natura ſuus; quo diuin... credunt, & alienam probant.

14 Ibid. *ad fidem catholicam.*] Iſta nec dixit, nec ſenſit Brentius: falſa igitur conſequentia.

15 Art. 16. *nec vllum omnino relinquit Eccleſiæ commune iudicium.*] Falsò, & æquiuocè. Nam v...rum ſtatum qui ex Caluino eſt, antè expreſſimus n...ta 9. & 10. & æquiuocationem ibidem ſuſtulimus.

16 Ibid. *auctoritatem interpretandæ Scripturæ ab Epiſcoporum Conciliis ad priuatorum hominum ſpiritum deducunt.*] Item falsò & æquiuocè. Nam etiam priuati homines à Pontificiis appellantur quicunq. non ſunt participes chriſmatis ipſorum, quamuis donis à Deo, & vocatione item à Deo Eccleſiaque inſtructiſſimi. Hos verò priuatos homines negamus eſſe.

IN CAPVT IIII.

1 Art. 2. *cùm Aaron eſſet Pontifex ſummus.* Primus reſponſionis locus eſt, hoc particulare & extraordinarium exemplum eſſe, vtpote ad principium generationemque ordinis pertinens: ſecundus, legale eſſe, nec ad Euangelij tempora pertinere (quæ duo Bellarminus aut neſciuit, aut diſſimulauit) tertius, Moſem fuiſſe principem politicum, &c.

2 Ibid. *aliquo modo pertinere ad Reges.*] Hoc poſterius membrum temerè, nec ſine diſtinctione & interpretatione commoda dixerim.

3 Ibid. *Moſen fuiſſe Pontificem, & quidem ſummum.*] Negatur.

4 Ibid. *ſed extraordinarium à Deo ſpecialiter conſtitu-*

Constitutum.] nimirum in antecessum & ad tempus, vsquedum sacerdotium constitutum esset: hoc enim constituto, Moses nusquam Sacerdotis partes legitur obiuisse. Itaque exemplum & particulare & dissimile est, quia extraordinarium. Nam extraordinaria quo iure in exemplum trahas?

5 Ibid. *quibus non erat in illa potestate succedendum.*] Ergo non *pari consortio præditi & honoris & potestatis*: quod ibidem affirmat de omnibus Cyprianus, & Bellarminus hîc negat.

6 Ibid. *qui inuocant nomen Domini.*] Ex ambiguo fallit. Dauid enim hos non dicit hoc in loco fuisse Sacerdotes; sed hos *in Sacerdotibus*, id est, inter Sacerdotes vel Sacerdotibus iunctos inclamauisse Iehouam, atque exauditos esse. Itaque nec probat hic locus dictum, nec momentum adferunt sequentia.

7 Art. 3. *Mosen propriè sacerdotem fuisse docent omnes fere veteres.*] Sacerdotem nempe extra ordinem & ad tempus delegatum, vt ordinarium sacerdotiũ generaret in Ecclesia: hoc antè Bellarminus dedit. Est autem iniqua argumẽtatio ex particulari & extraordinario, id est, à rei generatione ad constitutionem illius, vt more Physicorum loquar.

8 Art. 4. *id est, summum sacerdotem.*] Adde, aut ad iudicem politicum, pro qualitate causarum: id enim disertè expressit Moses.

9 Art. 5. *Lutherani non recipiunt.*] Primus hic responsionis locus falsissimus est: nam illa ipsa verba immediatè (vt ita dicam) sequuntur in Hebræo textu, licet proximè sequente versu. itaque falsa & aliena omnia sunt ista.

10 Ibid. *nec sonare conditionem, sed assertionem*

siue

sive promißionem.] Secundus hic locus responsionis falsus est: quemadmodum ipsa Mosis verba, & natura Dei, & ius commune arguunt. Verba : nam sic ait disertè Moses, *secundùm legem quam docuerint te, & secundùm ius quod tibi dixerint, facito*, &c. Natura Dei: nam si promissio est Dei, & fidelis Deus; ergo promissionem præstat, vt euentus illi respondeat: non autem respondit semper euentus huic promissioni & assertioni quam Bellarminus adfingit. Ius commune: nam Ethnici ipsi Iurecoss. natura duce dixerunt, sententiam contra ius constitutionum latam esse ipso iure nullam. Et tantum iuris non habeat Dominus? ô tempora, ô mores. Quæ sequuntur absurda, sunt Lamiæ turres. Alia est iudicij priuati ratio quod priuatus apud se sentit, alia verò iudicij quod publica auctoritate, interdum etiam cogente, instructum est.

11 Art. 6. *posse hîc intelligit principem sacerdotum.*] Non hîc agitur quid possit, sed quid sit intellectum & intelligi à nobis oporteat. Hoc autem quod disputator vult, negamus intelligi.

12 Ibid. *eorum principem, summũ sacerdotem.*] Falsò hanc officiorum secundùm gradus solùm distinctionem à Mose fingitur statui. Nam primùm suæ causæ suaque cognitio iudici, & Sacerdoti sua tribuitur his verbis, *inter sanguinem & sanguinem, inter litem & litem, inter plagam & plagam*; vbi duobus primis nominibus cognitio criminalis & ciuilis iudicum, postremò Sacerdotum ceremonialis innuitur. Secundò falsò probatio adducitur ex æquiuocatione: nam coniunctio, non copulatiua, sed disiunctiua est, vbi Bellarminus vertit, *& ad iudicem*; prout Moses disiunctiuè exponit vers. 12. *nolens obedire sacerdoti aut iudici illi*, &c. sic enim passim accipitur, vt Exo. 21. 15. & 17.

13 Ibid.

13 Ibid. *ex decreto iudicis moriatur*] Hæc distinctio & expositio Mosis aduersatur verbis: sic enim ille ad verbum versu 12. de summo consilio tum Ecclesiastico, tum ciuili agens: *Vir autem ille qui fecerit per superbiam vt non auscultet Sacerdoti stanti ad ministrandum ibi Iehouæ Deo tuo, aut illi iudici; vtique morietur vir ille*, &c. quem locum peruertit Bellarminus falsa interpretatione.

14 Art. 7. *contra religionem est.*] Etsi nobis non probatur obiectio, quia verbis repugnat Mosis; tamen neutri solutionis modo possumus acquiescere: nam causæ cædium, litium, &c. quas nominat Moses, non nascuntur ex lege, quod Bellarminus affirmat, nesciens (opinor) quid dicat. tum negatur restrictio quæ hîc de occasione dicitur: nam si ita est, quidni ad sequentem etiam legem dicatur pertinere? præterea vt illam fuisse occasionem demus, tamen à speciali occasione lex generalis (vt solet Moses) fuerit per eum lata; cùm dicat vniuersè, non autem de hypothesi angustè, *Si occulta erit tibi res in iudicio ferendo inter cædem & cædem, inter litem & litem, inter plagam & plagam*, &c. quæ nihil cum idololatria commune habent.

15 Art. 8. *qui longè maiores promissiones à Deo accepit?*] Vnus autem ille Pastor vniuocè dictus, bonus & summus est Christus, Ioan. 10. Tum verba illa, *quæ per magistrorum consilium data sunt*, nusquam exstant in Hebræo textu: quæ autem exstant, hîc non obseruata constructione iusta vitiosè exponuntur per fallaciam (vt vocant) figuræ dictionis. Sic enim ad verbum Ecclesiastes 12. 11. *Verba sapientum sunt tamquam aculei, tamquam claui plantati* (id est, fixi) *domini collectionum* (id est, lectissima, Hebraismo elegantissimo)

tissimo) *tradita à Pastore vno*, id est eodem, Domino Iesu Christo. quis enim sapientum omnium Pastor per omneis ætates, præterquàm Christus?

16 Art. 9. *interroga sacerdotes legem.*] Nempe de hypothesi rerum ceremonialium quæ pòst adferuntur: idque vt ministerialiter, non authenticè (vt isti volunt,) respondeat. Ex particulari nihil sequitur vniuersè.

17 Ibid. *ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei.*] Hæc ἀδιακείτως omnia. Nos ita distinguimus. Priuatorum est sententiam legis Domini recognoscere priuato iudicio; Sacerdotum verò, vt Angelorum & interpretum Dei, auctoritate publica: sed authentica & definitiua (vt vocant) potestate iudicare non est Sacerdotis vllius. Iudicat enim Deus solus, vt iudex, qui præest conscientiis omnium: iudicat Sacerdos, vt præco, nuncius, index, & administer iudicis: iudicat Christianus quisque, vt discipulus cum magistro communicationem habens. Deus auctoritate publica absoluta iudicat: Sacerdos auctoritate publica limitata, vt præco Dei & internuncius: Christianus priuata conscientia ac veluti gustu fidei, auctoritati Dei certa fide, & auctoritati Sacerdotis certo modestoque iudicio acquiescens.

18 Art. 10. *& soli Pontifici tribuat iudicium de dubiis legis.*] Negatur restrictio: nam contrà Sacerdoti Ecclesiastica, Præfecto autem regio politica iudicia tributa sunt, vt ibi distinctè narrat historia sacra, de politicis versu 5. de Ecclesiasticis verò versu 8. & sequentibus.

IN CAPVT V.

1 Art. 1. *intrari in regnum cœlorum.*] Vno verbo, clauium nomine significatur potestas ministerij Euangelici in Ecclesia Dei.

2 Ibid. *à Petro, eiúsque successoribus solui posse.*] Glossema falsum: nam vocem istam, *quodcunque*, de peccato dici manifestè demonstratur Ioan. 20. quæ insuper adduntur, commenta sunt. De Petro item seorsim, falsum: nam communis fuit Apostolorum, & eorum qui succedunt ipsis, auctoritas.

3 Art. 2. *qui tamen iubet deferri adulterum ad Ecclesiæ iudicium, multo magis hæreticum.*] Ideò autem deferri ad cognitionem Ecclesiæ, vt ligetur & soluatur peccatum eius, id est, ligatum solutumque pronuncietur ministerio sacro diuini verbi. de hæretico distinctionem alibi adferemus.

4 Ibid. *Prælatorum congregatio.*] Atqui Prælatus idem est, & ita Chrysostomus intellexit, quamuis vius (vt fit) enallage numeri.

5 Ibid. *sequitur Pastorum esse vltimũ iudicium.*] Imò sequitur Dei esse iudicium; Pastorum verò, denunciationem iudicij ex verbo Dei, velut præconum & nunciorum, vel interpretum illius.

6 Art. 3. *toto illo cap. Dominum reprehendere vitia Scribarum & Pharisæorum.*] Iniquè diuisio fit rerum coniunctarum. Causam enim cum mandato coniunxit Christus in hanc sententiam: quia *in cathedra Mosis sedent*, id est, vocati sunt in successionem doctrinæ & functionis imperatæ lege; *quæcunque dixerint vobis* secundùm illam vocationem suam *vt seruetis, seruate & facite*: quæcunque secus, nolite facere,

secundùm

secundùm opera eorum nolite facere: nam hæc sunt eorum opera, non autem Mosis; siue ad doctrinam, in qua tradenda operarij sunt à Domino instituti, siue ad institutum vitæ respexeris. Sic enim accipiuntur opera, Matth. 5. 16. & operarij, Matth. 7. 23. Hanc mentem esse Christi demonstratur primùm ex analogia causæ quam Christus enunciat, *in cathedra Mosi sedent*: secundò ex mandati verbis, *seruate & facite*, quorum alterum doctrinam, alterum vitam propriè respicit: tertiò ex interpretatione, *ligant enim onera grauia*, &c. nam quis vsque adeò desipit, vt eadem onera imperari à Christo putet, eo quòd imperauissent illa Pharisæi? quartò exemplis doctrinæ, ac non tantùm morum, quæ pòst à Christo adferuntur: *clauditis regnum cœlorum*, inquit, &c. item, *dicitis, quisquis iurauerit per templum, nihil est*, & alia id genus.

7 Ibid. *non obstante mala vita Prælatorum sequendam esse eorum doctrinam.*] nimirum quà bona est, & doctrinæ ad cuius nuncium vocati sunt conformata: vt antecedentia commonstrant.

8 Ibid. *cùm Cypriano lib. 4. epist. 9.*] Ista Cypriano adscribuntur falsò. Consulatur locus. Quòd si Pontifices & Sacerdotes non nominauit Christus, at certè κατὰ τὸ ἰσοδυναμοῦν nominauit. Nam Scribæ plurimùm & Pharisæi erant illi.

9 Art. 4 *de cathedra Petri.*] Imò de cathedra Christi, vbicunque per verbum collegit Ecclesiam sibi.

10 Ibid. *facere nolite*] Augustini dictum accipimus, negamus restrictionem istius: nam si vel Vlubris, vel Eugubij continua Episcoporum series exstitisset descripta, omnino eodem iure Vlubrana & Eugubina successio atq. Rom. adferri potuisset. *Apostoli,*

inquit Tertullianus lib. de præscriptionibus, cap. 20. *in orbem profecti eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus prædicauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est: itaque tot ac tantæ Ecclesiæ vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem.*

11 Art. 5. *quod dicitur Petro, dici etiam successoribus.*] Dicendum, quod dicitur Petro, dici Apostolis omnibus, vt pari consortio præditis honoris & potestatis, Cypriano teste, eorumque successoribus. Sic deinceps.

12 Ibid. *pascent vos scientia & doctrina.*] eo videlicet pascuo solùm, quod acceperunt pastores à Domino, 1. Cor. 11.

13 Art. 6. *Petro & successoribus eius singulariter commissum esse, vt doceant omneis Christianos.*] imò communiter Apostolis ὁμοτίμοις & successoribus eorum, vt nota 11. & quidem singulis pro vocatione sua.

14 Ibid. *vt doceant omneis, quid circa doctrinam fidei tenendum sit.*]. Hoc singulare est officium Christi secundùm vim auctoritatemque ipsius; commune Apostolorum secundùm ministeriũ ipsis commissum; post ipsos verò nulli Episcopo, quamuis cœlestibus donis instructissimo, in eum modum, competens. Negamus ergo Bellarmini dictum hoc, & quæ exinde sequuntur.

15 Art. 7. *à pastore, inquit, præsidiũ ouis flagito.*]
Non

Non valet consequentia; à pastore flagitat Hieronymus, ergo à generali vel vniuersali Pastore. Nam à genere ad speciem sine vniuersali signo, vt vocant, argumenta negantia solùm duci possunt, sed affirmatiua nunquam.

16 Art. 8. *confirma fratres tuos.*] Inconsequens argumentatio ex particulari. Esse autem hoc particulare dictum demonstramus, primùm ex adiunctis omnibus in illo sermone Christi, secundò ex subsequente historia: agitur enim de Petri particulari lapsu. Hanc consequentiam nec auctores proximè sequentes (quorum partem Bellarminus afficit iniuria) nec alij vlli cum ratione probare possunt. Lucij I. epistolam supposititiam esse videbit certò, quisquis decreta quædam illius epist. cum historia temporum comparauerit; præsertim cùm se affirmet statuta illa à sanctis Apostolis eorumque successoribus decreta reperisse. Felicis epistola est ὁμοιοπάτακτος, in quam Lucij I. verba, quæ dicuntur, transsumpta sunt. Eadem quoque ratio epistolæ à Marco datæ, iisdem verbis: vnus architectator omnium. Sic sequentia. Hæc negamus consequi vlla ratione, vel auctoritate Scripturæ. Nec auctores sunt in rem suam, nec testes probi. Falsa igitur conclusio.

17 Art. 9. *Petrum omnium primum in Concilio loquutum.*] Hoc vtrumque negamus. Nam primùm Concilio huic præfuisse nusquam Petrus dicitur: contrà verò probabilius foret Iacobum præfuisse; cùm vltimus sententiam dixerit, quod solenne est sapientum præsidum in consiliis bene constitutis; & Episcopus fuerit (vt ipsi volunt) Hierosolymorum. Secundò, Petrum etiam primum esse in Concilio loquutum ipse Lucas negat dicendo, *Quum autem multa fuisset*

disceptatio, surgens Petrus, &c. Quòd si primus sententiam dixit, non continuò Præses Concilij fuerit appellandus, sed potiùs (vt Rom. more dicam) princeps sententiæ. Etsi quid de Hieronymo dicturi sumus? qui in epist. 89. ad Augustinum id magis videtur solitæ libertati audaciæque Petri adscribere.

18 Ibid. *sententiam Concilij, cui præest Petrus, sententiam esse Spiritus sancti.*] Hæc de sententia Concilij Apostolici sunt infallibiliter vera ac necessariò; de sententia Concilij cuiuscunque alterius non item, nisi quatenus conueniunt cum diuino canone. Petrum verò præfuisse Concilio illi, in præcedente nota negauimus.

19 Art. 10. *Ecclesiam non esse Paulo credituram, nisi eius Euangelium à Petro confirmatum fuisset.*] Hoc illi non adfirmāt vsquam, ac ne obscurè quidem indicant. Consulantur loci. Falsa igitur consequentia. Deinde verò, vt certum esse daremus de Petro, non tamen sequeretur quod asserit de successoribus eius, qui dicuntur esse, vt sæpe ostendimus.

20 Ibid. *interpretandi scripturas.*] Nempe ad auctoritatem publicam in Ecclesia: sed tamen vniuscuiusque Christiani est spiritus ille ad priuatam fidem probandam & diiudicandam in conscientia ipsius: nam *nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum*, ait ibidem Apostolus.

21 Ibid. *non esse iudicem veri sensus scripturæ vllum hominem priuatum.*] Imò ne cunctos quidem homines esse illius iudices, sed tantùm indices, vt cap. 3. adnotauimus. Siquidem eius est interpretari leges qui eas condidit.

22 Ibid. *non sciamus quibus detur.*] Respondeo, certus est credens: scimus enim dari omnibus in fi-

in fide petentibus, Matth. 7. 7. Luc. 11. 13.

23 Ibid. *iudicem agnoſcamus ſolam Eccleſiam.*] Non iudicem, ſed indicem & internunciam.

24 Ibid. *de qua dubium eſſe non poteſt, quin habeat ſpiritũ Dei.*] ſed ex demenſo donationis Christi, ſiue ex parte, tantiſper dum in terris agit. ſolus autem ſine errore docere poteſt, qui Spiritum ſine menſura habet.

25 Ibid. *cùm ſit columna & firmamentum veritatis.*] Non ſequitur ex ambiguo. ſed de ea re videbitur controuerſiæ generalis 4. lib. 3. cap. 14.

26 Ibid. *varius & inſtabilis fuit.*] Perſonalis criminatio, quæ nihil ad cauſam pertinet, & indigna reſponſo.

27 Ibid. *Eccleſia autem ipſa eſt, de qua dubitare non licet.*] Verum Lutherus dicit, ſed hic accipit æquiuocè. Nam de perſonis ſingularibus iudicium certum & indubitatum facere non poſſumus: de corpore autem Eccleſiæ in commune certum eſt ex promiſſione Dei.

28 Ibid. *ac præcipuè in generali Concilio congregatorum.*] Dentur ſanè legitimi, & agentes legitimè: eorum vocem, tamquam vocem Eccleſiæ, non iudicis, ſed indicis & internunciæ verborum Dei, audiemus.

29 Art. 12. *ſed de ſpiritu fidei, ſpei, charitatis, & ſapientiæ neceſſariæ ad ſalutem.*] Nihil ad rem iſta diſtinctio. Chriſtus enim loquitur vniuersè in toto contextu illo: qui autem totum ponit vniuersè, idem principales ponit totius partes. At huius cœleſtis ſapientiæ, quam nobiſcum Deus communicat, pars principalis eſt prophetia, id eſt, ſcripturæ ſacræ inter-

pretatio, 1. Cor. 14. 1. Itaque sic potius tenendum est: qui rem principio, natura, & fine iustam iustè petit per fidem in Deum, secundùm Deum, & cum vocationis suæ ac necessitatis conscientia, is impetraturus est. Quid autem magis iustum est, peti turque iustiùs, quàm spiritus interpretationis, per eos singulos maximè qui sunt interpretes voluntatis Dei? verumtamen successiuè obtinetur à Deo, ex demenso donationis Christi, lege vocationis, & modulo tenuitatis nostræ.

30 Ibid. *non impetrat oratio infallibiliter, nisi id quod est necessarium, vel vtile ad salutem ei qui orat.*] Elenchus. Agit Augustinus de iis qui sibi orant, id est, sua ipsorum singulari causa; non autem de iis qui aliena causa orant, vel publica. Orat autem aliena vel publica causa, qui donum interptetationis poscit. addendum ergo fuerat, vel ei pro quo orat.

31 Art. 13. *ita nec spiritum interpretationis.*] Vtrumque falsum. Possumus enim semper impetrare, quum indigentes à Deo petimus in fide; tamen non simul ac petimus plenè obtinemus, sed successiuè per incrementa ex demenso donationis Christi, pro modo vocationis & conditionis nostræ, quod nota 29. dicebamus.

32 Ibid. *contra Apostolum Rom.* 12. *&* 1. *Corin.* 12.] Non sequitur: nam hæc ad vocationes seu administrationes & operationes pertinent, quas distinxit Deus, & secundùm quas distribuit dona.

33 Ibid. *non accipitis, eo quòd malè petatis, Iacob.* 4.] Hic responsionis locus totus ex ambiguo conflatus est: nam quum Christus diceret, *dabit Spiritum bonum petentibus*, &c. primùm non dixit; dabit, quod, quale, quantum, quomodo, quando petunt: secundò

secundò non dixit; dat, sed *dabit*, nimirum quando ex vsu esse viderit cœlestis Pater. Quum verò ita concludit Bellarminus, *adhuc non esset certus quicunque petit, se illud habere*, elenchi ignoratione & homonymia fallit. Elenchus est, quòd Christus de certitudine respectu gratiæ & veritatis diuinæ loquitur, quia ex parte Dei verissima, perfectissima, certissimaque sunt omnia; Bellarminus verò de certitudinis nostræ modo in petendo, qui modus semper infirmus est ex parte nostra. Elenchus item est, quòd pij omnino certi sunt habere se aut ipsum postulatum suum, aut certè exaudiri à Deo, licet non statim postulatum assequantur; vt videmus exemplo Danielis Prophetæ, Dan. 10. 12. & Pauli 2. Cor. 12. & alibi: nam quicquid postulant, conditione postulant voluntatis Dei, cuius respectu docentur dicere, *fiat voluntas tua*. Fallacia verò est homonymiæ, quum *spiritum sanctum* interpretantur id quod pij postulant. Atqui non temere dicebat Christus, *spiritum sanctum*. Sic enim docemur, nos aut idipsum quod postulamus assequi, aut id quod magis expedit, & Deus expedire nouit, adeò vt semper acquiescamus voluntati Dei per communicationem Spiritus agentis in nobis pro admirabili sapientia, potentia, bonitate, & veritate paterna ipsius.

34 Ibid. *vnus & verus Spiritus sanctus?*] Et idem in Pontificios retorquetur argumentum, de quibus antecedens huius propositionis probari potest. Sed responsio est, hic esse alios qui non habent spiritum, alios habere quidem spiritum, sed ex parte, hunc hoc & illum illud, & imperfectè singulos; in quibus lucta est noui hominis cum vetere, spiritus cum carne. Itaque non mirum esse, si duo aut plures inter se differunt voluntatibus, quum vnus & idem à se voluntate discrepet.

35 Art. 14. *quomodo enim erit iudex, cùm de ipso adhuc iudicandum sit?*] Sic esto argumentatio: Qui spiritus probandus est, is non potest esse iudex: spiritus priuatorum probandus est: ergo non potest esse iudex. Concedo argumentationem totam: sed si exclusiuè dicatur, spiritus priuatorum solùm probandus est, assumptio falsa: omnis enim spiritus humanus probandus, solus Dei spiritus est quem homo probare non potest. Multis modis Bellarminus errat: primùm enim dicit Ioannes de omni spiritu, ac non de spiritu priuatorum solùm: ergo & de ipso Pontificum spiritu probando monet. Secundò probationem hanc religiosam non Pontifici mandat, aut Concilio solùm, sed piis omnibus. Tertiò non mandat hominibus vt iudicent, sed vt probent ad canonem iudicis & legislatoris nostri: nam iudicium Dei solius est. Hæc igitur probatio à nobis facit, & euertit huius disputatoris sententiam.

36 Art. 15. *hoc loco dubitamus.*] Negatur assumptio, vt & sequentes hypotheses ad libidinem animi febrefactæ: nam cum veritate pugnant.

37 Ibid. *quos constat verum spiritum habere.*] Negatur conclusio, qua aliud quàm quod in Scripturis est asseritur: nam omnes humanos spiritus, priuatos & publicos, probari oportet ex conuenientia & conformitate cum canone.

38 Ibid. *tales autem sunt Prælati in Concilio legitimè congregati.*] Quidam, non omnes; verum, non tamen perfectum; in Concilio aliquo, non autem in omni. quid ex particulari confeceris?

39 Ibid. *Visum est spiritui sancto, & nobis.*] Ex singulari concluditur vniuersale: per quam regulam?

40 Ibid. *dirigi vt errare non poßit.*] Et hoc negatur, vt antè dictum.

41 Ibid. *quos certum est spiritum sanctum habuisse.*] Hæc confunduntur falsò: nam aliter se habuerunt Apostoli quàm antiqui fideles cæteri: nam illi sine labe perfectè docti à Spiritu, sine labe docuerunt; cæteri non item.

42 Art. 16. *vt suprà ostendimus ex Actor. 15.*] id est, ad Apostolos communiter recurrebat, veritatis diuinæ testes omni exceptione maiores, ex documentis Spiritus sancti & scripturæ sacræ dicturos legitimè, vt legitimos interpretes voluntatis Dei, & Spiritu veritatis instructos supra hominum aliorum captum.

43 Ibid. *igitur spiritus istorum qui se iudicem constituit, non est spiritus bonus.*] Contrarium planè ex antecedentibus concludendum, in hunc modum: Noster autem spiritus se non constituit iudicem; sed Apostolos scripturásque, vt canonem Dei, appellat iudices; legitimos verò piorum Dei seruorum conuentus ad fundamentum illud hærentium appellat testes: est igitur bonus spiritus nostrorum hominum; & contrà, eorum non bonus est spiritus, qui alio iudicio, quàm Spiritus Dei & scripturæ, stare volunt.

IN CAPVT VI.

1 Art. 1. *in omnibus seculis in Ecclesia exorta sunt noua dubia & semper eodem modo terminata sunt, nimirum iudicio Pontificis Rom. & Episcoporum qui tunc erant.*] Negatur hæc circumscriptio, atq. distinguitur. Negatur prius membrum de Rom.

Pontifice, quà caput omnium seruorum Dei, & Ecclesiæ, & iudiciorum Conciliorumque omnium statuitur falsò. Distinguitur posterius, de Episcopis & Conciliis eorum. Nam Concilia ordinata ab inordinatis, vetera à nouis quantum distant? Episcopi verò (in quibus & Romanus fuit) non sunt, nisi donis instructi, & vocatione, & opere vocationis. Vocatio sine dono, simulacrum est: vocatio sine opere, est vocati condemnatio pernicie communi iuncta. Huiusmodi ferè sunt à multis annis plurimi Pontificiorũ Episcopi: qui tantisper obligant iudicio suo, dum veritati diuinæ ex vocatione hærent, cui veritati omnes communiter obligantur. sic cap. 5. nota 6. hæc autem omnia sequentibus probabuntur.

2 Art. 2. *per Pontificem & Episcopos qui tunc erant.*] Dicendum, per Episcopum Rom. (non Pontificem, vt nunc habetur) & alios legitimos Episcopos, agentes legitimè communi iure dignitatis & potestatis, vt Cyprianus loquitur.

3 Ibid. *sed hostes Euangelij.*] Respondent, quia Concilium illud nec personis, nec modo, nec substantia fuit legitimum. Personis: nam suos tantùm Episcopos, suarum partium, admiserunt, adeoque multos non Episcopos. Modo: nam inauditis nostris tulerunt sententiam. Substantia: nam multa contra canonem diuinum statuerunt, & præter canonem: quod nullo iure licet. Non ita Nicæna Synodus, quæ Episcopos Arianos habuit in suo consessu, audiuit coràm, conuicit auctoritate diuini verbi, & conuictos damnauit. Nam ex Patribus 318. orthodoxi 300. aut trecenti vnus comperti sunt.

4 Ibid. *de Episcopis sui temporis.*] Quòd hoc Arius dixerit, non memini legere. Tum vt fecerit Arius,

Arius, exemplum est dissimile, siue nos cum Arianis, siue hos Episcopos cum illis compares. De cæteris iudicium idem. Alioquin de Episcopis seu Presbyteris & Diaconis iustis legitimè in Concilium vocatis, legitimeq́. ipsum habentibus, hæc omnia agnoscimus.

5 Ibid. *qui secundùm ordinariam successione erant in Ecclesiis.*] Sed multi quo iure, qua iniuria, ζυγῷ ὑποτερβαθέντ@, quod aiunt.

6 Art. 3. *omnes acquieuerunt, Actor.* 15.] Hoc non solùm legitimum, habitum legitimè; sed & Apostolicum. Petrum verò præsedisse illi negatur, vt suprà cap. 5. nota 17.

7 Art. 4. *excommunicatæ fuerint, quòd adhuc in errore persisterent.*] Illegitimū Victoris factum, & verè schismaticum: quamobrem Irenæus, & alij multi ipsi restiterunt, Eusebio teste: quod hic artificiosè κρύπτεται. vide contro. 3. lib. 2. cap. 19.

8 Ibid. *inter hæreticos numerantur Quartodecimani.*] Negantur ista: nam neque excommunicati sunt in effectu, Ecclesia reclamante & improbante Victoris audaciam; sed ipsi resilierunt sua infirmitate & atrocitate iudiciorum alienorum commoti; quæ in Ecclesiis Christi est periculosissima: neque hæretici propriè, sed errantes habiti. Augustinus ibidem, *non omnis error hæresis est: quamuis omnis hæresis quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non poßit.* Hi enim vrgebant maiorum παράδοσιν, non autem obseruationem legis Mosaicæ. Qui verò legis obseruationem vrgebant, vt ille apud Tertullianum Blastus in fine libri de præscription. ij hæretici meritò appellati.

9 Art. 5. *ex versione Ruffini lib. hist. cap.* 33.] Eusebius non dicit Cornelium præfuisse, hist. Eccl.

lib. 6.

lib. 6. cap. 43. aut certus auctor quisquam: Rufinus quàm incertus sit interpres, omnia ipsius scripta clamant cum Hieronymo. Tum si Cornelius præfuit, vt Episcopus Ecclesiæ præfuit illius in qua Synodus habebatur: postremò ordinis causa præfuerit, non iure illius imperij aut potestatis quam isti sibi arrogant.

10 Ibid. *lib. 7. hist. cap. 2.*] De Cornelio, in hac causa apud Eusebium ne μῦ quidem; de Concilio, apud neminem auctorem idoneum. Cæterùm vt symmysta amicè Cypriano scripsit; non præscripsit vt auctoritate præualens: quemadmodum ex Cypriano lib. 2. epist. constat.

11 Ibid. *Lirinensis in suo commonitorio.*] Scripsit fratribus per alias Ecclesias fraterno officio, vt Dionysius apud Eusebium narrat; *præcepit* verò Ecclesiæ suæ obseruandum de communi Presbyterij sententia: id enim sibi Augustinus voluit libro 5. de baptismo, cuius hæc verba duo sunt Nam si Ecclesiis aliis Stephanus ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος præcipere instituisset, præstò est Cypriani responsum ad Stephanum lib. 2. epist. 1. *Cæterùm scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare; sed saluo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint vsurpata, retinere. Qua in re nec nos cuiquam facimus, aut legem damus, cùm habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum vnusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Domino inquit, non Rom. Pontifici.

12 Art. 6. *Theodoreto lib. 1. hist. Eccles.*] Fuerunt quidem 318. Episcopi, sed cum Presbyteris & Diaconis quàm plurimis: Duo verò negantur: vnum, Siluestrum præfuisse; alterum, confirmationem ab eo petitam esse: neutrum idoneo auctore vllo probari potest.

test. Epistolam Concilij ad Siluestrum, quæ postremis demum Conciliorum editionibus ex Bibliotheca Prædicatorum Coloniensium fuit addita, suppositã esse stilus ipse clamat, & acta ipsius Concilij Græcè scripta probant: inprimis verò quòd ille ipse scribendi modus & confirmationis postulatum pugnat cum canone 6. eiusdem Concilij, siquis diligentiùs ad rem attenderit.

13. Art. 7. *primi tomi Conciliorum.*] Nec conuocationem iussu Damasi fuisse factam, nec Concilium sub præsidio eius fuisse habitum legimus apud veteres vsquam: quod probare intendit Bellarminus, & hîc dissimulatum est. Confirmatum verò fuisse ab eo dicit quidem Photius, τὰ αὐτῷ βεβαιώσας, sed hic accipit æquiuocè. Confirmant enim alij aliorum iudicia aut singulari consensu vt fratres, aut communi suffragio, vt collegæ, aut denique summa auctoritate, vt caput aut princeps. De hoc autem postremo significationis modo Photius ne somniauit quidem, vt qui τὰ πρωτεῖα istius auctoritatis ad Episcopum Rom pertinere passim & constanter neget. Si accipis, Bellarmine, vt ille facit, concedimus: sin aliter, vt facis, hoc torquere, ac non probare est.

14 Art. 8. *Euagrius testatur lib. 1. cap. 4.*] Falsum, ex falsa loci interpretatione. Sic enim Euagrius ad verbũ, μετὰ πολλῶ χρόνου τριβὴν ἀλίζονται, Κυρίλλου τοῦ θεσπεσίου διέποντος καὶ τὸν Κελεστίνου τόπον, τὴν ἐπισκοπὴν (ὡς εἴρηται) τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πρυτανεύοντος, id est, *post multum tempus consumptum conueniunt, diuino illo viro Cyrillo obeunte etiam Cœlestini locum, qui (vt dictum est) episcopatum Romæ veteris administrabat.* Dicit ergo Euagrius Cyrillum tum suo ipsius nomine interfuisse, tum Cœlestini Rom. locum obiuisse: non vt Concilio nomine il-

... illius præsideret (vt Bellarmino placet) sed potius vt suffragium commune cismarinorum Episcoporum qui intererant (nam pauculi erant) colligeret, proferretque Rom. Episcopi & Romanæ Synodi nomine, tamquam si illi adfuissent coràm. Hoc enim suffra...um iudiciumque Cælestinus antè exposuerat literis a. Nestorium datis, vt eodem & præcedente cap. narrat Euagrius. vide notam 18. Sed cur hîc τὰ πρακτικὰ τῆς συνόδου, quæ exstant, reticentur? in quibus certè nihil occurrit eiusmodi, nec apud Photium.

15 Ibid. *huius etiam Synodi petita est à Pontifice Rom. confirmatio.*] Negatur: nam vices quidem Leonis dicuntur legati isti obiisse; at Concilio præfuisse ipsos, aut petitam in hunc modum, vt Bellarminus putat, à Leone actorum synodalium cōfirmationem, ne minimo quidem indicio ex Euagrio colligitur, nec adfirmat Liberatus; etsi tam diligens Ecclesiæ Rom. propugnator, vt in gratiam Rom. Pontificis ipsis actis Synodalibus quæ in tomo 2. Conciliorum exstant, contradicat sub finem cap. 13.

16 Art. 9. *conuicta atque damnata est.*] Sensus est, æquè transmarinarum Ecclesiarum (in quibus primas Romana obtinebat) ac cismarinarum calculo, quæ priores damnauerāt Pelagium, doctrina eius fuit improbata: quod Prosper figuratè dicit, *in toto mundo.* Id autem quis negat? aut quid ad πρωτεῖα καθολικὰ Rom. Pontificis? nullo certè iusto syllogismo ex horum auctorum verbis consequentia ista doceri potest. sed de hac re alibi dicturi sumus, controu. 3.

17 Art. 10. *soli Episcopi fuerunt iudices.*] Deus solus ex Scriptura iudex indicio & consensione Episcoporum, vt antè: hoc enim demum legitimum. & sic vbique.

18 Art.

18 Art. 11. *sed tantùm consentiendo.*] Falsum: nam plures præfuerunt, & suo ordine. Synodus œcumenica (vt res intelligatur) ex nationalibus synodis erat constituta, prout ex subscriptionibus Episcoporum constat: delegatis autem à nationali Synodo ad œcumenicam sui præerant Archiepiscopi siue metropolitani, aut qui gerebant eorum vicem. Sic plures præerant suo loco (ex quo Episcopi primæ, secundæ, tertiæ sedis, &c. appellati) vnus verò communiter de suffragiis Synodi totius electus actionis totius ordinabat & moderabatur modum. Romanus ergo Episcopus synodali suo conuentui præerat, Antiochenus suo, Alexandrinus, Ierosolymitanus, itemque Cæsariensis suo: toti verò actioni huic communiter in ista Synodo Georgius Constantinopolitanus præfuit, vt narrat Photius, prout actioni Concilij Nicæni 1. Hosius præfuerat. Photij autem verba, ne quis malignè oppugnet, conferant lectores pij & veritatis amantes cum sacra Constantini Imp. ad Georgium Constantinopolitanum scripta, tomo 2. Conciliorum.

19 Art. 12. *subscriptio laïcorum.*] Ambiguè, vt antè. Hi enim præfuerunt, non toti Synodo, sed suorum ordini loco suo, vt modò diximus. Quapropter in Actis Synodi illius Tharasium Constantinopolitanum & initium totius actionis fecisse legimus, & omnia fermè peregisse quæ ad œconomiam Synodi illius pertinebant. Hanc autem communem προστασίαν huius Tharasii in tota hac Synodo, & particularem aliorum suo ordine & loco obseruatam demonstrat Photius dicendo: *Trecenti sexaginta septem interfuerunt Episcopi; qui ordinum sacræ & magnæ phalangis suæ duces ac præsides constituerunt Tharasium inter Episcopos celeberrimum (diuinus hic vir erat, &c.) & Petrum religiosissimum Protopresbyterum Ecclesiæ Rom. & alterum Petrum Pres-*

Presbyterum ipsum quoque, & illius mansionis præfectum sancti Sabæ (hi sedis Apostolicæ sortiti sunt locum, Adriano tunc Pontificiam dignitatem obtinente) & Ioannem ac Thomam solitaria viuendi ratione celebreis (hi in sedis Constantinopolitanæ loco) *& sacro honore insigneis, ac totius Orientis diœceseis Apostolicarum magnarumq́; sedium gubernanteis, nempe Apollinarium, & Theodoritum, & Eliam: quorum primus Alexandriæ, alter Antiochiæ, tertius Hierosolymorum erat antistes.* Quid his verbis, obsecro, euidentius? Præest omnibus Tharasius: secundùm illum primæ sedis, id est, Romanæ locum tenent vicarij Adriani Rom. Episcopi; secundæ sedis primas tenent Ioannes & Thomas monachi: tertiæ Apollinarius Alexandrinus, quartæ Theodoritus Antiochenus, quintæ denique Elias Hierosolymitanus Præsul. Etsi (vt semel absoluam) quid tantopere necesse fuerit huius Synodi & sequentium causa laborare? cùm inde ab isto tempore ἡ φιλοπρωτεία & spiritualis tyrannis in Ecclesia plus satis inoleuerit; in qua non exemplis quibuscunque viuitur, sed certis & sanctis legibus. Sequentibus ergo exemplis omnibus principium petitur: nam quæ sunt eiusmodi, ea illegitima esse confirmamus. Ad summam, aut non præfuit Rom. Episcopus, nec imperauit Synodis, aut præfuit. Si non præfuit (vt in aliquot antecedentibus Synodis factum ostendimus) iniquè fallunt. Si præfuit, aut legitimè præfuit, aut illegitimè. Legitimè præfuit aut vocatione, aut actione tota. Vocatio legitima ad προστασίαν aut ordinaria sit oportet, aut extra ordinem. Si ordinaria, aut fuit instituto Dei, atque hoc negamus veritate freti; aut instituto humano, atque hoc reprehendimus, vt imprudens factum, ex quo abusus & damnum Ecclesiæ animaduersum est. Si extraordinaria, aut fuit electione libera Synodi,

quæ

quæ via ſemper eſt legitima in legitima iuſtaque Synodo; aut fuit datiua, auctoritate Cæſarum; aut denique vſurpata ambitione Pontificum: quarum viarum illa πρόδρομος tyrannidis, hæc ſpiritualis tyrannis & ſacrilega eſt. De actione eorum qui præfuerunt, nobis tacentibus ipſa loquuntur Synodorum acta. Quòd ſi illegitimè ſecundùm vtrumque modum præfuerunt, prout ex illo tempore vſuueniſſe affirmamus, quid apud Chriſtianos hæc exempla poſſunt? Atque hæc in commune de ſequentibus omnibus.

20 Art. 20. *non continuò hæretici ab Eccleſia catholica habiti ſint.*] Ex falſis antecedentibus conſequens falſum, ex iniuſtis iniuſtum. Nos verò damnari errorem à Deo dicimus ex Scripturis per cœtum Eccleſiæ legitimum, non per Pontificem; & prioribus exemplis ſententiam noſtram ſatis confirmauimus. Quæ autem hîc de Pontifice affirmantur, ea potentiſſimè actis Baſileenſis Concilij, & Panormitani in illud Concilium commentariis confutantur.

IN CAPVT VII.

1 Art. 1. *ad iudicium ſedis Apoſtolicæ pertinere.*] Negamus verum eſſe hoc dictum, aut vera teſtimonia. De dicto, vide ſuprà cap. 3. nota. 9. & 10. In teſtimoniis verò, Deus bone, quàm multa παρακεχαραγμένα ſunt? Exemplo eſto Damaſi epiſtola: in qua ſanctiſſima illa Domini verba Matth. 16. 19. παραφράζων ſcilicet inter alia his verbis vtitur, *tibi claues regni cœlorum commiſi, atque ligare & ſoluere poteſtatem quæ in cœlis ſunt & quæ in terris promulgaui.* Quàm bene compoſitæ λέξεις, aiebat ille: quàm verbis Chriſti analogæ! Hæc & ſimilia aut non ſcripſit Damaſus, aut

impius hac in re sacrilegusque fuit. Et his armis defendi, aut probari veritatem Dei? Sic epistolarum sequentium aliæ falsò his auctoribus adscribuntur; aliæ falsum dicunt, quamuis auctore certo. Nam epistolis Innocentij quid infantius? vt rectè Erasmus censuit. Leonis quid arrogantius? & sic de cæteris. Ne plura, hæc testimonia & substantiâ falsa sunt, aduersantur enim veritati; & modo sunt illegitima; nam à partibus ipsis contendentibus, de domo, de sinu, conficta adferuntur. Nobis Christus auctor, nobis Prophetæ & Apostoli testes sunt idonei: de istis verò testimoniis equidem cum illo dixero, *Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui* est, si ista lege testimoniorum edendorum quiduis non vicero.

2 Ibid. *decretum Nicæni Concilij.*] Nam obliti fuerant scilicet commentum istud proferre antecessores illius: cùm tamen nec in actis canonibusque Nicænæ Synodi, nec in multis repetitionibus eius apud optimos auctores vllum de hac re verbum compareat. O audaciam!

3 Art. 2. *Imperatores idem senserunt.*] Nempe causas fidei & Ecclesiasticas ad cognitionem iusti ordinis Ecclesiastici pertinere: quod damus atque affirmamus. Sed in ratione iusti ordinis Impp. multi fuerunt falsi.

4 Ibid. *lib. 7. hist. cap. 26.*] Hæc verba, *nimirum edoctus à suis*, &c. sunt glossema Bellarmini, nec ab Eusebio sunt, nec sunt verisimilia. Locus est in editione Græca cap. 30. lib. 7. hist. Eccles. Quid ergo in causa fuit? nempe quòd omneis Orientis Episcopos iudicio in Samosatenum lato implicatos esse hac contentione cognosceret: propterea politicè alium delegari censuit oportere, qui à cõtentionibus illis abfuisset.

ſet. Quid, quòd exemplum Synodi ipſius contra Paulum Samoſatenum habitæ euertit hanc Bellarmini affirmationem? fuit enim Synodus Epiſcoporum Orientis ſolùm, prout ex Euſebio conſtat; & grauis cauſa, cauſa fidei ſine iudicio ſedis Apoſtolicæ iſtius, quam Bellarminus vocat, definita.

5 Art. 3. *diuinæ voluntati debet attribui.*] Euſebius lib. 3. de vita Constant. cap. 20. τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφορὰν, *id ad diuinam voluntatem relationem habet.* quid ex hac propoſitione, amabò, confeceris?

6 Art. 4. *ad ſuum iudicem proprium, id eſt, Melciadem Papam.*] Si iuridicè loquitur Bellarminus, negatur dictum. Nam delegatus iudex non eſt proprius & ſuus: Melciades autem & alij fuerunt delegati (vt Auguſtinus ibidem teſtis eſt) reorum poſtulatione. *Iudicante*, ait ille, *Melciade tunc Rom. vrbis Epiſcopo cum collegis ſuis, quos ad preces Donatiſtarum miſerat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuiſſe*, &c. Falsò igitur refert hiſtoriam, & veritatem oppugnat facti, quiſquis hoc modo narrat.

7 Art. 5. *interpretes conſtituit Epiſcopos.*] Sic legitimum eſſe diximus in nota 3. Sed vbi præſidium Rom. Pontificis? Idem & ſequentia.

8 Art. 7. *reuoluere & diſputare contendat.*] De Chalcedonenſi agit, non de quouis Concilio promiſcuè. Fallacia indigna eſt, à ſingulari ad totum vniuerſale.

9 Art. 9. *qui ligari vel à ligamento ſolui egemus.*] Hoc Baſilij teſtimonium agnoſcimus de legitimo Conciliorum ordine, vt antè. Sed nonne Bellarminus videt nullam hîc mentionem eſſe Rom. Pontificis? Tres enim ſtatuit gradus in ordine Eccleſiaſtico,

iastico, nec plures quàm Nicæno Concilio fuerunt approbati: primum Patriarcharum; secundum Pontificum, siue Episcoporum; tertium denique sacerdotum. Episcopos autem Pontifices olim fuisse dictos constat vel ex innumeris Gratiani in Decreto locis. Exempla habentur aliquot 2. c. 7. q. 1. per totum, & apud Cyprianum passim.

In Capvt viii.

1 Art. 1. *controuersias non posse finiri ex solis Scripturis, quia variè ab hæreticis exponuntur.*] Distinguendi hæretici: Nam quidam auctoritatem Scripturæ respuunt; quidam accipiunt, velut principium commune. Oleum & operam perdit qui cum prioribus ex Scripturis disputat: posteriorum diuersa ratio. De prioribus illis prisci Patres egerunt plurimùm.

2 Ibid. *quæ est ab Apostolis traditio.*] Fallacia multiplex. nam 1. agitur illic secundùm quid, nempe de hæreticis principia noua comminiscentibus, non accipiẽtibus diuina. 2. vt demus agi de Ecclesia Rom. tamen de ea agit Irenæus vt tunc fuit, non autem vt nunc est. νῦν δ' ἔργα πολλὰ μεταξὺ. 3. non agitur de Ecclesia Rom. propriè & solùm illis Irenæi verbis; sed de Ecclesia qualibet, in qua doctrina Apostolorum semper fuerit conseruata. Demonstratur illud antecedentibus Irenæi verbis: dixerat enim principio capitis, *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire: & habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab*

his

his deliratur. Agit ergo de Ecclesia catholica, & exempli causa de singularibus in ea Ecclesiis. Atque in eamdem sententiam paulo pòst subiicit, *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ Ecclesiæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ Romæ & constitutæ traditionem eam quam habet ab Apostolis & annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquomodo vel per* αὐταρεσκείαν *malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem &* κακόνοιαν *præterquàm quod oportet colligunt.* Tum demum Irenæus subdit, prolato singulari Ecclesiæ Rom. exemplo, *Ad hanc enim Ecclesiam*, nempe catholicam quidem propriè, Romanam verò (vt Scholastici loquuntur) exemplariter, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, id est, omnes qui sunt vndique fideles*, &c. 4. æquiuoca sunt illa Irenæi verba, διὰ τὴν ἱκανωτέραν ἀρχὴν, quæ interpres vertit, *propter potentiorem principalitatem*, aliena voce atque sententia, pro eo quod est, propter illud principium dignius: vt paulo post ἱκανωτάτην γραφὴν, idem interpres transtulit *potentissimas literas*, vt legimus Irenæi verba apud Eusebium lib. 5. hist. Eccles. cap. 6. Id enim sibi vult Irenæus, quod & Tertullianus libro de præscript. & Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. tradiderunt, potentius principium esse quod Apostoli ipsi in Ecclesiis quàm quod alij posuerunt: cùm itaque Romana ab ipsis Apostolis fuerit constituta, ipsius principium principio aliarum multarum esse ἱκανώτερον, & ipsam quoque ἱκανωτέραν dum suo illi principio hæret. Nunc verò ita Romæ esse quis homo probet?

3 Art. 2. *qui acta Concilii Ariminensis dissoluerent.*] Athanasii locus iuris est ordinarij, quod agnoscimus: de Pontifice nullum verbum. Basilius verò fide non satis bona adducitur. Nam quia Synodi Ariminensis auctoritas Ecclesiis nocebat plurimùm in Oriente toto, Romanus autem Episcopus à Nicæna Synodo non summus Pontifex (vt nunc gloriatur) sed Patriarcha cis mare & Metropolitanus Italiæ, eoque Arimini agnitus fuerat; prudenter Basilius consilium dabat, vt Rom. ille Episcopus pios aliquot Dei seruos in Orientem de sententia Ecclesiarum cismarinarum ablegaret, per quos illud vulnus periculosè ab Ariminensi Synodo impositum commodis interpretationibus & sacris monitis curaretur. Hoc officium omnes omnibus debent, fratres fratribus, & Ecclesiæ Ecclesiis charitatis iure, non auctoritatis dominatusque arrogatione. Consulatur locus.

4 Art. 3. *nec legem feratis legislatoribus.*] id est, præconibus & interpretibus legum iudiciorumque Dei. Catachresis est ῥητορικὴ à Nazianzeno frequentata, cothurno poëtico. Ex figurato dicendi modo proprium Bellarminus facit hoc & sequente Nazianzeni loco: inscitè.

5 Ibid. *Petrum toti orbi magistrum à Christo præpositum.*] Rectè, sed communi iure atque consortio honoris & potestatis cum Apostolis cæteris: proinde Chrysostomus hoc ipsum magisterium aliis Apostolis hoc suo dicto non adimit. Non est nescius Bellarminus à particulari ad commune argumentationes negatiuas fieri non posse.

6 Ibid. *orat. pro imaginibus.*] Hæc apud Cyrillum Græcum aut Latinum non exstant. Quid si B. Cyrillo istud fuerit suppositum, & Thomæ impositum?

situm? enimuerò quid istud ad laudati illius & locupletis Thesauri argumentum? De Damasceno, naribus trahatur oportet, qui credet hominem Syrum & Patriarchæ Antiocheno ac Constantinopolitano obstrictum, auctoritatem Rom. Pontificis ita prædicare fuisse ausum, aut etiam voluisse. Et quid ille, obsecro, in hanc sententiam? Oratione 1. sic ait, *Non paternam pietatem, sed latronum sæuitiam arguunt quæ per vim imperantur, non autem persuadentur verbis. Testimonio sit Concilium secundum Ephesi celebratum, quod ad hunc vsq; diem* λῃστρικῆς *cognomen obtinet: quippe cui tyranni manus vim attulit, quum beatus martyr Flauianus interfectus est. His de rebus statuere atque decernere non ad Reges pertinet, sed ad Concilia. Nam vbi duo vel tres, inquit Dominus, congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Ligandi soluendiq; potestatem non Regibus, sed Apostolis eorumq; successoribus, Pastoribus ac Doctoribus dedit Christus.* Hæc profectò vera, & ad illa τεθρυλλημένα πρωτεῖα Rom. Episcopi nihil facientia. In oratione verò secunda idem planè enunciat grauiùs καὶ παθητικώτερον. Nos verò idem adfirmamus, vt suprà cap. nota 9. & 10. Ecce, his cancellis se Bellarminus circumcludi nunquam patietur: & non pudet hunc laudare auctorem?

7 Art. 4. *Hæc ille in summa.*] Vtrumque falsum, propositio & ratio. Propositio Tertulliani est secundùm quid (vt loquuntur) ista, non debere disputari ex scripturis cum iis hæreticis qui negant scripturas: ratio, scripturas principium esse auctoritate diuina in Ecclesia constitutum: conclusio, proinde aduersus negantes principia, & alia impiè supponentes non esse ex Scripturis disputandum; sed principia ab auctoritate diuina stabiliri oportere, auctoritatemque diuinam successione, consensione, & vniuersitate demon-

ari, quam successionem hæretici illi nescio qui ter- filij à suis partibus probare non possint: huius autem successionis non caput, sed exemplum Ecclesiam Rom. esse, de cuius successione constaret maximè testimonio & consensu omnium. Hoc commune est m Irenæo argumentum, vt suprà nota 2. Illud enim uod supponit Bellarminus, *quarum præcipua est Romana*, non est ex Tertulliani mente: qui Ecclesias Apostolicas distinguens ordine affirmat dici, primùm vniuersè quæcunque doctrinam Apostolorum retinent, secundò in quibus prædicauerunt Apostoli, tertiò in quibus hæserunt & ad quas scripserunt. Postremò autem exemplum Romanæ subiicit (cui & Smyrnensem trans mare copulat) quæ tum fide operibusque fidei inter alias mundo prælucebat.

8 Ibid. *fiunt hæretici*] Quid hæc, amabo te, ad celebrata illa πρωτεῖα Rom. Pontificis? Fortunatus Episcopus fuerat per schisma institutus in Ecclesia, quum iam alter legitimè vocatus & ordinatus esset. Indignitatem facti Cyprianus cùm aliis verbis, tum : sententia explicat, quam de Ecclesia qualibet atque Episcopo eius, non de Rom. enunciat. Hic bonus interpres ex iure communi facit singulare; & quod Pastorum est seu Episcoporum omnium (quos Pontifices dicebat antiquitas, vt suprà cap. 7. nota 9. diximus) atque singulorum in Ecclesia sua, id vni Rom. vindicat, vt ex pastore particulari faciat prædonem vniuersalem. Tu verò sic, Bellarmine, solus currens viceris, quod aiunt.

9 Art. 9. *Hieronymus totum iudicium tribuit Damaso Pontifici.*] Argumentantur ex particulari, & elenchi ignoratione peccat. Hieronymus diu in Syria agens videbat Orientaleis Ecclesias in argumento de sancta

de sancta Trinitate omneis fluctuare, dissentire plerasque, & suas ipsius voces à singulis obseruari, à multis carpi. Propterea cùm in Occidente maior Ecclesiarum consensus esset, petebat à Damaso vt se faceret certiorem de iis formulis & vocibus quæ in Occidente obtinebant, nequando ex verbis ipsius ansam excitandis rixis captarent hæretici. Hoc autem quis etiam ab inferiore vir bonus & prudens non esset petiturus? non ergo sequitur, Damasum vt iudicem aut summum Pontificem ab Hieronymo appellari; sed vt pastorem ab eo qui ouis Romæ fuerat diu, siue vt fratrem, de ratione Ecclesiarum Occidentalium consuli, quibus in doctrina & verbo fidei maximè tunc interfuit Orientaleis conformari, & Pastores Doctoresque illarum. Itaque nihil Bellarminus agit.

10 Art. 7. *Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura demonstrat.*] Quidni verò Ecclesiam? nam index est voluntatis diuinæ ex canone. Non sequitur autem, ergo Romanam hanc nostram: imò non sequitur, ergo Romanam, vt Ecclesiarum semper caput & principem.

11 Ibid. *Apostolicæ sedis antistitem respondere.*] Epistolas quæ apud Augustinum exstant nomine Innocentij, nothas esse viderunt iamdiu & monuerunt multi. Tum vt detur iudicium de rebus fidei ad sedem Apostolicam pertinere, non dixit Innocentius summum iudicium, non ad sedem istam solam, nec sequi ex eo potest. Disputator denique æquiuocatione fallit. Sedes Apostolica si dicitur vbi sedit Apostolus Christi, agnoscimus; & hoc sibi Augustinus voluit, vt nota 2. diximus. Sin dicitur sedes Apostolica vbi sedet vicarius Christi, successor Petri Apostolorum Principis, instructus vocatione & auctoritate

Apostolica; negamus: hoc noluit Augustinus, Bellarminus voluit: probet igitur.

12 Art. 8. *nisi me commoueret auctoritas Ecclesiæ.*] Negatur: fallacia est figuræ dictionis, qua Bellarminus vtitur. Nam frequens est Afrorum vsus, & in flaritia temporum istorum enallage. *Crederem* & *commoueret* dicit Augustinus pro credidissem, commouisset. Augustinus idem lib. de beata vita, *Sic exarsi*, inquit, *vt omneis illas anchoras vellem rumpere, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoueret.* Sic Tertullianus sæpe. Deinde esto sanè: at Augustinus loquitur ex hypothesi pro ratione eorum in quos scribebat, vt euincunt verba proximè præcedentia, *Si ergo inuenires aliquem qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicente tibi, non credo? Ego verò Euangelio non crederem*, &c. Prætereà optimè dicit *commoueret*, vt causam hanc efficientem, non principalem, sed adiuuantem; non essentialem, sed accidentariam, non per se necessariam, sed concurrentem nostro commodo ostenderet. Nam mouet sapientia Dei in scripturis expressa per Spiritum, commouet Ecclesiæ auctoritas: quas res anteà cap. 4. iunxerat Augustinus dicens, *Vt hanc omittam sapientiam quam in Ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata*, &c. sed hæc plurimùm disiungunt Pontificij præter Augustini mentem, vt hoc veluti fracto tibicine Ecclesiam suam statuminent.

13 Ibid. *imperium tribuit Ecclesiæ.*] Certè: sed ministeriale solùm, vt præconum, interpretum, & administrorum est, 2. Cor. 1. 24.

14 Art. 9. *Bonifacio, Cælestino.*] Non aliter? falsum. Nam priùs à Concilio Carthaginiensi & Mile-

uitano damnatus fuerat Pelagius: ſed quum trãs mare profectus veniſſet Romam, vbi ſe inſinuabat adeò ſubdolè vt pergrauis metus eſſet ne Romæ vulnus grauius in Eccleſia infligeret; prudenter & piè Africani Epiſcopi certiorem binis literis fecerunt Innocentium tum de Conciliorum ſuorum ſententia, tum de impendente in Romanam Eccleſiam periculo, niſi Afrorum exemplo ſaluti publicæ proſpiceretur. Quin eouſque Pelagij res factionibus perductæ ſunt, vt purgatus fuerit in conuentu quodam, & dignitati ſacerdotij reſtitutus; donec tertiò Epiſcopi Africæ reſcripſiſſent, & fraudes hominis retexiſſent. Ac tum demum Pelagius trans mare ab Afris prædamnatus, eamdem cis mare ſubiit condemnationem. Exſtant apud Auguſtinum de hac re epiſtolæ 90. 92. & 95. Hæc Proſper non reticuit planè: ſed agens in ciſmarina Eccleſia de Pelagij cõdemnatione, quorſum Africana Concilia & hiſtoriam totam adduxiſſet? Ex auctoritate negatiuè placuit Bellarmino concludere, vel potiùs σεϕίζειν. ſed hic funis nihil attrahit.

15 Ibid. *conſenſionem Patrum & ſimilia.*] Cur ſcriptura ipſa, id eſt, lex & canon ſcripturæ per ſe interpretandæ omittitur? at hoc fundamentum Vincentius poſuerat. Hæc igitur omnia damus vltrò, & religioſè adſerimus: nam alius eſt ſenſus verè Eccleſiaſticus atque canonicus in rebus multis, alius Pontificius: de quo hîc per æquiuocationem concluditur.

16 Art. 10. *vt eius auctoritate corrigatur, &c.*] Hoc teſtimonium & ſequentia, vt corrupto ſeculo & tyrannide iam plus ſatis obtinente ſcripta, non auctoritatis commendatione opus habent, ſed neceſſitate excuſationis. Hi degeneres filij Patrum næuos ventilant, quos tegi ab ipſis oportebat, vt excuſent ſordeis

tas; nos verò quam maximè possumus, propter seculi illius tenebras & tyrannidis istius spiritualis vim atque speciem, sanctos illos Patres excusamus. Quæ verè ab eis dicta sunt, accipimus; quæ secus, iis minimè obstringimur: nam lex suprema nobis est veritas Dei, & salus populi.

In Caput IX.

1 Art. 1. *at iste iudex non potest esse scriptura, neque Spiritus reuelans priuatus, neque princeps secularis.*] Propositio falsa. Nam primùm aut insufficiens est enumeratio, aut æquiuoca. Insufficiens, quia omittitur Spiritus Dei & Christi, quem ipse Christus doctorem & iudicem pronunciauit Ioan. 14. & 15. & 16. vt qui omnia in omnibus operetur. Quòd si hunc Spiritum Bellarminus dixerit comprehendi eo quem spiritum reuelantem priuatum vocat, fallit homonymia: imò falsa est eius restrictio, & odiosè conficta; cùm idem ille sit Spiritus qui omnia operatur in omnibus, 1. Cor. 12. lucem vniuersalem vniuersalis Ecclesiæ, priuatamque omnium & singulorum efficiens communiter & singulariter; ac proinde iudex sit omnium. Secundò, si de instrumentali iudice vel ministeriali à se agi dixerit, negatur propositio: nam iudex incorruptus est Scriptura sacra, diuinus planè omnium iudiciorum canon, vt cap. 1. dictum. huius verò canonis non iudices, sed indices & administri sunt serui Dei in Ecclesia eius, tantisper audiendi dū scripturæ hærent, quia homines sunt mutabiles & aberrare possunt à canone. Rectè Tullius lib. 3. de legib. *Vt magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus: vereq; dici potest, magistratum legem esse loquentem; legem autem,*

autem, mutum magistratum. Similiter & nos, vt seru Dei scriptura, ita gregi Christi præsunt serui eius: vereque dici potest, Dei seruum scripturam loquentem esse; scripturam autem, mutum Dei seruum. Sed illi auctoritatem cum imperio habent; hi cum ministerio. 1. Cor. 2. & 3. & 2. Cor. 1. & 5. Itaque negatur consequens.

2 Ibid. *varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere quis sit verus.*] Falsum: nam omnino dicit, & apertè dicit illa, quid sit sentiendum, quid non; siue ibidem dicat, siue alibi & diuersis locis: quod Augustinus optimè confirmat lib. 2. de doctr. Christ. & sequutus eum Rabanus lib. 3. de institut. clericor. nam & illius sunt in Ecclesia interpretes, & ab illa est interpretatio. Sed ineptè vitium hominum canoni diuino, qui rectissimus est & incorruptissimus, adscribitur, vt in sequente exemplo factum. Perinde faciunt isti, ac si testamentum perscriptum accuratissimè propter vtentium hominum inscientiam vitiosum esse arguerent.

3 Ibid. *secundùm eam homines dirigit.*] Hic autem est Spiritus Christi in Ecclesia iudicans per seruos ipsius secundùm Scripturas.

4 Ibid. *non à se ipsa interpretari potest.*] Falsum: & se interpretatur ipsa per se, & per suos interpretes atque administros.

5 Art. 2. *quis tum erit iudex?*] Spiritus Dei per Scripturas, vt nota 1. & 3. dictum. quòd si nondum idem sentiant, ferent alij alios, donec Deus hoc reuelauerit, Philip. 3. 15. intereà in eo ad quod vsque peruenerũt eadem incedentes via, & idem sapientes.

6 Art. 3. *Quòd autẽ Spiritus reuelans vnicuiq;*

priuato

Priuato homini iudex esse non poßit, facilè demonstratur.] Incommodè dictum, vt nota 1. ostendimus: nam vnus est & idem Spiritus, qui priuato reuelat & publico, vt iudex omnium. Sed Bellarminus intelligit de priuata reuelatione, quæ ab vnoquoque etiam priuato homine & auctoritate priuata prædicari potest æquiuocè. hoc ἐνθουσιαστῶν & quorumdam Anabaptistarum est. Sic ergo nomine Spiritus abutitur æquiuocè, vt lib. 1. cap. 2. & sequentibus demonstratum. Quid his argumentis facias?

7 Ibid. *iudex debet videri & audiri ab vtraque parte litigante.*] Negatur: nam etiam breuiculo iudex respondere potest, vt Deus per scripturam dedit responsa sua; potest etiam per quemuis interpretem, & facit Deus.

8 Ibid. *ad eam rectè intelligendam?*] Hoc ἐνθουσιασταὶ præstent: à nobis enim minimè dicitur. Quod dicimus, huiusmodi est: Spiritus Dei iudex est omnium; & Scriptura, lex seu canon Ecclesiæ à spiritu: singulorum verò, tum priuatorum hominum, tum eorum qui publica auctoritate sunt, iudex est idem Spiritus per Prophetas & seruos suos secundùm Scripturas legitimè docens: nam spiritus Prophetarum est Prophetis subditus, 1. Cor. 14.

9 Art. 4. *iudex debet habere auctoritatem coactiuam.*] sed eam limitatam, vt vocant, & circumscriptam pro modo vocationis vniuscuiusque. Etsi hoc argumentum nihil ad nos, qui ordinem iudiciorum auctoritatemq́. agnoscimus in Ecclesia Dei; licet non tyrannicam aut despoticam istam, quam hi affectant, & exercent illi in hoc tempore.

10 Ibid. *nō est igitur necesse vt omnes iudicent.*] Aequiuoca omnia. Nam iudicium aliud est commune om-

ne omnium (vt cap. 3. nota 9. diximus) tamquā ouium Christi discernentiū pabulum ipsius ex communi sensu in seipsis; aliud eorum qui pastores dati, aut donis & vocatione publica instructi sunt. Secundùm prius illud necesse est vt omnes aliquatenus iudicent, non enim stipites sunt; secundùm posterius non item, sed ij demum qui publicè vocati sunt ad auctoritatem, & τῷ ἀρχιποιμένι summoque Pastori rationem sunt redditури administrationis suæ. Sequentia itidem æquiuocè.

11 Art. 7. *tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Matth. 16.*] Hæc perpetua fallacia, quòd mandatum commune Pastorum omnium in Ecclesia Dei ad vnum restringitur; & ex vniuersali propositione pura fit particularis personæ & loci. Per quam regulam, obsecro, Logicæ illius vestræ? sed de his, posteà controu. 3.

12 Art. 8. *nec sine his esse potest Ecclesia.*] Verus Pontifex est Christus, Hebr. 2. & 5. veri sacerdotes, administri eius. hoc sensu, dictum verissimum, diuerso, falsum.

13 Ibid. *sed ad spiritualem & Ecclesiasticum pertinet.*] id est, ad Deum & Dominnm Iesum Christum primò & per se: hic enim rex magnus est, Psalm. 48. 3. Matth. 5. 35. secundariò verò ad seruos & administros illius legitimos, agentesque legitimè secundùm voluntatem Regis sui expressam in Scripturis eius, & potestatem ipsorum ab eo limitatam sapientissimé.

In

IN CAPVT X.

1 Art. 1. *vt exponit hoc loco Cyrillus.*] Aut alio exemplari Bellarminus vsus est, aut non assequutus Cyrilli mentem. hic enim certè alia omnia. De sequentibus iam satis dictum lib. 1. cap. 1. & 2.

2 Ibid. *omneis Christianos intellecturos diuina reuelatione omnia arcana scripturarum.*] Neque verò id à nobis contenditur; sed illud tantùm, Deum doctorem iudicemque fidelium esse per Spiritum ex scripturis sacris. Ista igitur non nostra, sed Schwenckfeldii & Anabaptistarum ἐνθουσιαζομένων sunt argumenta.

3 Art. 3. *sed etiam impleamus diuina mandata.*] Plus satis dictum. Sic malim ad Augustini mentem, *sed etiam vltro in fide* mandatis diuinis obsequamur. Augustinus enim Ierem. 31. præsentem piorum constitutionem, versu 33. futuram, versu 34. voluit intelligi.

4 Art. 4. *ipsi etiam Iudæi & Turcæ, licet impij sint, tamen vnum Deum colunt.*] Quid autem ista ad promissiones Euangelij? at hæc potiùs solutio vera, anteponi simplicem hunc Euangelicum docendi & cognoscendi modum Legali illi circumfluenti vmbraculis: tantam enim esse illustrationem Euangelij gloriæ Christi, vt pij citra ambages veritatem Dei fidemque doceantur, & percipiant eam. κατά τι dictum.

5 Art. 5. *affectum erga parentes.*] De hoc argumento Anabaptistæ viderint.

6 Art. 7. *ac germana intelligentia.*] Ergo propriè loquendo, non Scriptura eget, sed nos egemus testimonio. Neque verò negatur à nobis Ecclesiæ testimonium,

nium, modò pericula præcaueantur duo: vnum, ne istud Ecclesiæ testimonium superiore loco quàm par est habeatur, sed subordinatum diuini Spiritus testimonio, quod vnicum per se est αὐταρκέστατον. Nam caussarum, vt vocant, subordinatarum ratio est huiusmodi, vt inferiores nunquam obtineant superiorum efficaciam, sed ministrent eis dispositione sua. Alterum, ne Ecclesiæ nomen accipiatur æquiuocè, sed propria significatione ipsius. Atque hunc in modum sequentia pleraq. ex certo causarũ ordine intelligenda sunt.

7 Art. 10. *alienum autem non sequuntur. Et, non audiunt vocem alienorum.*] Duo hæc argumenta Anabaptistæ afferunt.

8 Art. 11. *an hæc ita se habeant.*] Distinguimus Ecclesiæ nomen: nam est æquiuocum. Aliud est Ecclesia sancta catholica, nimirum corpus Christi viuens in ipso de spiritu eius, & habens membra sua essentialia in cœlo & in terra adunata ipsi per Spiritum; aliud Ecclesia in terris militans cum imperfectione sua, habens cum essentialibus adnata membra, quæ impietate diffluunt, licet in Ecclesia sint, quia de Ecclesia non sunt, 1. Ioan. 2. Illa vniuersitas perfecta est, eoque errare non potest: hæc verò imperfecta est, ac proinde errare potest etiam in doctrina fidei explicanda. Alioquin ab imperfecta arbore fructus perfectus, ab imperfecta causa effectus etiam perfectus procederet: quod est παραδοξότατον. Nam effectus nunquam superat causam, interdum adæquat, plurimùm minor est. Quòd si Ecclesia militans errare potest, certè & Ecclesiæ particulares possunt, & Synedria Synodique ipsarum: in primis autem fungi illi ac παραφυάδες quæ ab Ecclesia Rom. subolescunt. Sed de hac re dicetur controu. 3. & 4.

9 Art. 12. *non calumniandi.*] Quid ergo? annon licebit Christiano cuique conuenientiam regulæ & regulati (vt vocant) obseruare? non probare omnia, quod præcepit Paulus? non probare spiritus, quod Ioannes, si ex Deo sunt?

10 Art. 14. *nec Papa, vt docet ex cathedra, nec Concilium in fide errare possit*] Principium petitur: negamus, vt nota 8.

11 Ibid. *& Chrysostomus in 1. Cor. 12.*] Negatur hæc restrictio: pugnat enim planè cum sequente determinatione, *secundùm analogiam fidei,* quæ analogia ad res futuras restringi nec debet, nec potest. De Patribus quos adfert, ipse meliùs viderit. Plerique certè non ita sunt interpretati, ne ex iis quidem qui hîc nominati sunt. Nam quid Ambrosius, quid Theodoretus eiusmodi? nobis non placet τὸ βεργαΐζειν. Chrysostomus verò prophetiam quum ita distinguit, non agit de hoc loco, sed de illius 1. Cor. 12. interpretatione.

12 Ibid. *vt hæretici plerumque faciunt.*] Non sum nescius illum Pauli locum variè ab interpretibus fuisse redditum, ἐλλειπτικῶς, aut sine ellipsi; & qui ellipsin statuunt, eos verbum hoc aut illud suppleuisse, vt Bellarminus facit. Sed cur hîc à Vulgata illa translatione discedit, quam Tridentini Patres authenticam pronunciauerunt, & quam Missale Breuiariumque ipsum Rom. constanter retinent? Agedum, sequamur verba ipsa translationis illius, & nihil supplendum ostendamus, si modò parentheseos notula apponatur. Sic ergo Apostolus: *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; & vnicuique sapere sicut Deus diuisit mensuram fidei (Sicut enim*

in vno

in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes autem donationes secundùm gratiam quæ data est nobis, differentes) siue prophetiam, secundùm rationem fidei, siue minist. &c. sensus est, siue prophetiam diuinam aut est admensus Deus, sapere edico secundùm rationem seu proportionem fidei; siue ministerium, sapere in ministrando, & quæ sequuntur. Huic interpretationi Græcus textus etiam respondet, idque sine ellipsi, sensu percommodo. Quamobrem non satis conuenit sequens loci interpretatio, & cõsequentia illius.

13 Art. 15. *negamus tamen ad eos pertinere iudicium definitiuum controuersiarum fidei, duplici de causa.*] Et nos quoque negamus iudicium ab eis apud alios ferri posse, nisi vocatione aut ordinaria aut extra ordinem instructi sint, & singulari Spiritus testificatione ex Scripturis sanctis. Atque his duabus conditionibus sequentes Bellarmini exceptiones euertuntur.

14 Ibid. *regi videlicet à spiritu sancto.*] Hoc negamus certum esse de Papa & Concilio; & controuersia 3. & 4. confutabitur.

15 Ibid. *non indicauit mihi.*] Idem de Papa & Concilio dicendum, licet maximè spirituales essent.

16 Art. 18. *non dari omnibus hominibus passim donum interpretandi.*] Solutionem hanc negamus: Apostolus enim de omnibus donis, administrationibus, & operationibus quæ in Ecclesia sunt loquutus est, quas res quis intelligens ad priuatos restringat? deinde omnia simul ἀνακεφαλαιώσας dicit, *hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus,* &c. Species itaque à Paulo adductas in superiore voce signo vniuersali coniuncta

cuncta comprehensas, *hæc omnia*, Bellarminus comprehendi negat, fallacia diuisionis (vt vocant) manifestissima. Proinde sequentia nihil ad rē: agitur enim de donis, administrationibus, & operationibus consanctis vocatione Dei, siue ordinaria, siue extra ordinem in Ecclesia eius.

17 Art. 19. *datum est asinæ Balaam.*] Atqui non est disputator nescius, Prophetarum alios fuisse ordinarios ordinariè in scholis institutos vt Prophetarum filios, quamuis non essent de tribu Leuitica, vt de Samuele, Elia, Elisæo, aliisque legimus filios Prophetarum cateruatim docentibus; alios extra ordinem à Deo institutos, vt fuerunt Amos, Debora, &c. Hæc igitur responsio, quamuis speciosa & ad posterius genus Prophetarum spectans, tamen non refellit generaliter, vt debuit, obiectionem allatam. Nam Prophetas Deus alios ordine, alios extra ordinem excitauit: Non autem ab his, sed ab illis ducitur argumentatio, & vtrorumque exempla promiscuè adducuntur.

18 Ibid. *explicatio doctrinæ acceptæ & iudicium de dogmatibus semper spectauit ad Pontifices, vt suprà ostendimus.*] Primùm aliena est responsio: nam Apostolus de omnibus vniuersè agit, vt nota 16. dictum. Secundò autem hanc distinctionem obuiis vlnis accipimus, vt quæ à nobis facit, & veritatis est. Nam doctrinam & dogmata solùm accepta à Domino Pontifex non explicat & sequitur simpliciter, sed nouat innumera, & opplet traditionibus: vt ostendunt multæ Conciliorum Decretorumque inter se & cum verbo Dei expressæ antilogiæ: atque hæ non explicationes, sed reuelationes dicendæ sunt. Non sunt autem reuelationes, Bellarmino teste, Pontificibus alligatæ. Ergo nec pro explicationibus, cùm reuera non

non sint, nec pro reuelationibus habendæ sunt.

19 Art. 21. *de qua liber ille tractat.*] Negatur restrictio: nam quæcunque antè & pòst adiūcta sunt, ea non ad publicum solùm, sed vniuersè ad singulos quoque pertinent: ergo & ista. Deinde iudicij & probationis huius causæ ad singulos pertinent necessariò: puta ad incrementum spiritualis boni, & præcautionem mali: cui rei publicos quidem administros oportet dare operam de causa publica, sed & de priuata sua singulos. Postremò autem distinguenda est iudicij huius & probationis ratio, vt antè cap. 3. nota 9. & 10. & cap. 9. nota 8. ostendimus. Iniquè disputator ea quæ simpliciter mādata sunt iubet secundùm quid accipi. Simile Academiæ est dissimile: nam Academia ciuitas literatorum est, & de iis qui præsunt dicitur æquiuocè: Ecclesia literatorum & illiteratorum est, & Apostoli ad eam vniuocè dictam scripserunt ista vniuersè.

20 Ibid *sed apertè bona.*] Hæ propositiones duæ indefinitæ sunt, partim veræ, partimque falsæ. Nam ex causis bonis generantur effectus boni, ex malis mali. Examina autem, iudicia, & Concilia quædam bona sunt, vt Act. 15. quædam mala, vt Ariminense, Seleucianum, Sirmiense, &c. Doctrina ergo librorum prohibitorum mala est, si bene examinati atque damnati sunt; sin secus, non eo fit mala: de Conciliis eadem ratio. Falsa igitur argumentatio.

21 Art. 22. *non confundamur in aduentu eius.*] Hoc argumentum lymphaticorum est: nihil ad nos. Simile autem quod declarandæ rei adfertur, in quosuis alios torqueri potest.

22 Art. 24. *verbum Dei ministratum per Apostolos & Prophetas esse primum fundamentum no-*

quæ fidei.] imò vnicum. Quapropter (vt de sequentibus dicamus eâdem operâ) negamus primùm commentitiam distinctionem istam fundamenti in primarium & secundarium, quia ex Scripturis probari non potest. secundò testificationem Ecclesiæ negamus esse fundamentum, quamuis secundarium. postremò aliud est Ecclesia, aliud Pontifex: hunc autem fundamentum secundarium vocat sequentibus: hoc dictum elidit illo.

23 Art. 25. *neque enim scimus certò quid Deus reuelauerit, nisi ex testimonio Ecclesiæ.*] Sic argumentatur: Fundamentum fidei nostræ est ex quo scimus certò quid Deus reuelauerit: ex testimonio Ecclesiæ scimus certò quid Deus reuelauerit: ergo testimonium Ecclesiæ est fidei fundamentum. Maior falsa, minor imperfecta est. Propositio vera esset hoc modo: id quod reuelauit propterea Deus, est fundamentum fidei nostræ: id autem est verbum Dei, quod Apostoli & Prophetæ eius scriptis consignarunt: ergo. hoc dicit Paulus; sed id omne ex quo scimus certò quid Deus reuelauerit, fidei nostræ fundamentum esse, non dicit vsquam: & est falsissimum. Multa enim sunt testimonia & indicia fundamenti extra fundamentum: ipsum ædificium est fundamenti sui testimonium, fundamentum verò minimè appellatur. Imò non potest idem fundamentum esse & fundamenti index: Ecclesia superstructa & testificatio eius est adiunctus fundamenti index: non igitur fundamentum. Minorem imperfectam dicimus, quia neque ex solo Ecclesiæ testimonio scimus, neque principaliter, vt cap. 8. nota 12. dictum. Proinde aut quæcunque sunt ex quibus certò scimus quid Deus reuelauerit, fundamenta sunt fidei, aut hoc non est fidei

nostræ

nostræ fundamentum: prius falsum: verum igitur posterius.

24 Ibid. *vt fundamento secundario.*] Hæc probatio falsa est, & principium petit. Sed de hac pòst alibi, controu. 3.

25 Art. 26. *subiicere scripturam pedibus Papæ.*] Papam certè addere constat, minuere, & mutare de ipsa substantia Scripturæ. quid, quòd libros posse dicitur efficere canonicos? quid est subiicere, nisi hoc est? vide lib. 1. cap. 10. nota 10. & 19.

26 Ibid. *quando ab Ecclesia confirmatur.*] Hoc totum accipimus, modò à triplice æquiuocatione caueatur: vna, nominis Ecclesiæ, vt nota 8. altera, nominis *interpretatio*: nam interpretationum alias violentas, alias contrarias pro germanis obtrudunt Pontificii; quam rem multis exemplis confirmant historiæ, & Gratianus ipse: tertia, nominis *verior*, quum dicit, *mea sententia est verior quando ab Ecclesia confirmatur*, hoc enim dictum si accipiatur propriè, cum ipsa veritate pugnat: nam quod simpliciter & per se verum, semper est æquè verum: ita autem est diuina veritas, de qua inter nos sermo.

27 Art. 28. *gubernante Spiritu sancto.*] Et quando, amabo, docet Pontifex è cathedra? imò si ex cathedra docebit, non erit is Pontifex: nam docere ex cathedra quid sit, dictum est ex parte suprà cap. 5. nota 6. Falsa igitur restrictio.

28 Ibid. *est etiam firmissima.*] Hanc propositionem negamus: & ratio eius est insufficiens ex contingente: contingit enim vt Pontifex & Concilia æquè falsum ac verum asserant: vt nota 20.

29 Ibid. *habemus in scripturis apertas promissiones, quòd errare non possint.*] Negamus hoc dictum

ciam vniuersè: nam ex particularibus exemplis petuntur probationes eius ἀλογίςως, vt controu. 3. & 4. dicturi sumus.

30 Ibid. *fides hæreticorum sit coniecturalis & incerta.*] Nitimur solis Scripturis, & testimonio Dei per Spiritum veritatis, quo Christus promisit se suis adfore, eósque deducturum esse in omnem veritatem, Matth. 28. Ioan. 16. hæ non coniecturæ sunt, non λῆροι.

31 Art. 30. *Pontifices funguntur officio iudicis à Deo sibi commisso.*] Aliud est rursum officium iudicis, aliud administri: omnes serui sunt & administri Dei: qui se iudices faciunt in Ecclesia in causis fidei, inuolant in ius Dei. Tum limitatum est officium ipsorum: videlicet non vt iudicent, sed potiùs vt tamquam Sacerdotes Dei iudicia Dei indicent atq. enuncient secundùm Spiritus Dei & sacræ Scripturæ testificationem. Si secus (vt Pontifices Rom. fecerunt, Conciliaque non pauca) non est auctoritas aduersus Deum, à quo est omnis in Ecclesia auctoritas.

32 Art. 32. *cap. 2. contra Cresconium.*] Quidni à typographo? hoc certè disputator fuisset dictutus, nisi maledicendi studio abreptus esset.

33 Ibid. *de quæstionibus facti, non iuris, in quibus Ecclesiastici iudices falli possunt.*] Imò verò de quæstionibus iuris potissimùm eo in loco agitur. Etenim quæstio iuris est, quò iure homines iudicio Ecclesiæ damnati dicantur verè baptismùm administrare, & an sit verè baptismus quem administrant illi. Deinde verò, vt hoc non ita esset, tamen ex fundamento communi valeret argumentatio; nimirùm ex illo Pauli dicto quod Augustinus adfert, Ecclesiam esse Christo sub-

sto subditam. Consulatur locus. De sequentibus au-
tem enunciatis quæ in Caluinum detorquet falsò,
optimè dixeris, ἐπιφυλλίζειν.

De verbo Dei non scripto liber quartus.

IN CAPVT II.

1 Art. 1. *tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.*] In hoc postremo loco traditiones nominãtur significatione generali pro doctrina sacra secundùm substantiam vnica, sed vtroque modo tradita, sermone & scripto. Demonstratur hoc diuisione generis in species, quum addit Paulus, *siue per sermonem, siue per epistolam.* sic infrà cap. 5. nota 19. Itaque malè cum antecedentibus confunditur.

2 Art. 2. *doctrinam non scriptam.*] videlicet per oppositionem expressam, aut intellectam. sic duo proximè sequentes loci.

3 Ibid. *calix mixtus vino, id est, vinum & aqua offerantur.*] Hic neque Cyprianum assequutus est, neque Chemnicium. Hebræum *Masác*, & deriuata eius, Græcorum *μίσγω*, Latinorumque misceo, æquè significant infundere ac confundere. Itaque calicem mixtum Latini dixerunt vino, cui infusum vinum, vt nouerunt Grammatici. Ouidius de Ganymede Metamorph. 10.

Arripit Iliaden, qui nunc quoq; pocula miscet,
Inuitaque Ioui nectar Iunone ministrat.

Cicero de finib. 2. *Dico ergo in eadem voluptate eum qui alteri misceat mulsum ipse non sitiens, & eum qui illud si-*

 tiens

... bibit. Sic Plautus, alij. Atque hoc Dominicæ traditionis est, quod Cyprianus notat. Sed, inquies, Cyprianus agit de vino aqua mixto in ea epistola. Agit quidem, sed suo ordine. Nam primùm de vino agitur vt symbolo sanguinis Christi, priore parte epistolæ; deinde verò de aqua, vt symbolo Ecclesiæ coalescentis cum Christo. Hîc autem Bellarminus miscet. Prius traditionis est Dominicæ, vt rectè Chemnicius asserit; posterius Ecclesiasticæ: de qua traditione probanda aut improbanda nihil hoc loco dicturi sumus.

4 Ibid. *vtemur hoc nomine.*] Sed æquiuocè, vt modò diximus.

5 Art. 3. *omnium veterum Patrum.*] Negamus exemplum istud rectè ad hoc genus trahi: sed hoc demonstrabitur σὺν θεῷ tomo 2.

6 Art. 4. *diuinas, Apostolicas, Ecclesiasticas.*] Diuinarum & Apostolicarum traditionum diuisio ferme est imaginaria atque superflua. Sed valeat.

7 Ibid. *quod & tradidi vobis.*] Negamus exemplum eò pertinere: nam tota sacramentorum essentia est traditionis scriptæ, non autem ἀγράφου.

8 Art. 5. *& alia multa, de quibus posteà.*] Exempla hæc ab Apostolis negamus esse: non sunt igitur traditiones Apostolicæ.

9 Ibid. *dico ego, non Dominus.*] Falsa distinctio: nihil enim Apostolorum inest epistolis, quod non sit idem & diuinum & Apostolicum. Probatio verò nihil ad rem facit, quia non conuenit cum mente Pauli ista interpretatio. Etenim præcepta sua diuinis non opponit Paulus respectu auctorum, id est, efficientis causæ; sed respectu modi & conditionis ipsorum. Alia enim simplicia sunt & absolutè necessaria, alia verò hypothetica & necessaria ex suppositione, vt vocant.

cant. Quæ simplicia sunt, ea dicit Dominus; quæ hypothetica, dicit Apostolus: simplices determinationes sunt Domini, connexæ ex supposito sunt Apostoli. Exempli causa, cœlibatus & viduitatis status non est simpliciter & absolutè necessarius, quin voluntate hominis rectè sine offensa Dei mutari possit: & quia conditio vtraque penes hominem est, ideoque decretum ex conditione supponitur. De his ergo inquit Paulus 1. Cor. 7. 8. *dico cœlibibus & viduis, bonum eis est, si manserint vt ego maneo.* similiter & coniugatorum, qui in causa fidei non consentiunt, ratio est tradita ὑποθετικῶς, ibidem versu 12. eorum verò qui consentiunt in fide, aut etiam in vitæ consuetudine, status est ἀδιάλυτος, & absolutè necessarius. Propterea de his ait Apostolus versu 10. *denuncio non ego, sed Dominus.* Singula autem hæc enunciata Apostoli tam hypothetica quàm categorica etiam ex testamento vetere probari possunt: tantum abest vt traditionibus Apostolicis iure adscribi potuerint.

10 Art 6. *Apostolicæ traditiones non scriptæ eamdem vim habent, quam Apostolicæ traditiones scriptæ, vt in Concilio Trid. sess. 4. asseritur.*] Hæ duæ leges sunt imaginariæ: negamus enim traditiones huiusmodi in causa fidei exsistere. Deinde si quæ essent, non immeritò hæc conditio, quæ tribuitur ipsis, controuerti posset. Sed quorsum de accidentibus eius quod non est disputetur? nobis non libet tudiculam (quod aiunt) expolire.

11 Art. 8. *vel necessariæ, vel liberæ.*] Harum partitionum quædam membra improbamus: illud autem omnium maximè, quod traditiones de fide dicuntur esse. Negamus; & de exemplis earum infrà cap. 9. nota 3. & 4. dicturi sumus.

12 Ibid.

12 Ibid. *festa celebranda, &c.*] Hi sunt morales ritus & ceremoniæ.

13 Art. 11. *aspersio aquæ lustralis, & similia.*] Et hæc tamen non est apud Pontificios obseruatione libera.

IN CAPVT III.

1 Art. 6. *fatentur Apostolos aliquid tradidisse præter Scripturas.*] Aliquid nempe ad ritum ordinemque pertinens, vt idem agnouit paulo antè in loco 2. cōtrouersiæ, & disertis verbis restringit Chemnicius. Huic autem generi addi etiam possunt historiæ singulares quædam, vt dictorum factorumque Christi (nam multa alia fecisse & dixisse Christum testatur Ioannes 20. & 21.) sed quæ sub communi ratione fidei comprehenduntur in Scripturis.

2 Ibid. *vtroque modo fatentur Apostolos aliquid ordinasse.*] Sic fiat argumentatio: Quæ ab eodem auctore sunt, eadem auctoritate sunt: præcepta alia sermone, alia scriptis data sunt ab auctoribus iisdem Apostolis: ergo eadem auctoritate sunt. Propositionem si vniuersalem feceris, negamus vt falsam: nam eadem est tum demum auctoritas, quum eamdem esse auctor instituerit. Secundò autem distinguimus. Nam sunt illa quidem eadem auctoritate, quà ab eodem auctore sunt simpliciter: sed alia sunt præterea, ex quibus sua est rebus & præceptis auctoritas: non ergo sequitur eadem auctoritate esse quæ ab eodem auctore sunt, nisi secundùm quid, respectum puta auctoris simpliciter. Dices, quænam ergo sunt illa ex quibus accedit auctoritas? Primùm est auctor, velut efficiens causa: causa enim si est voluntaria, plus vel

minus

minus auctoritatis indit rei pro modo voluntatis sic; prout magis aut minus vult, auctorat magis. Secundum est obiectum præceptorum; ex ratione cuius plus vult auctor id quod vult aut minus, & nos item debemus velle: sic enim plus habent auctoritatis præcepta prioris quàm posterioris tabulæ in diuina Lege. Tertium est præceptorum finis: nam hæc propter se, illa propter aliud; hæc propter finem propinquiorem, illa propter remotiorem præcepta sunt, eoque auctoritate variant. Quartum est modus in dandis præceptis obseruatus: nam, verbi gratia, potior est ἔγγραφος ἀγράφῳ, simplice duplex præcepti auctoritas. Rei non scriptæ simplex est auctoritas, nempe ab auctore; scriptæ verò auctoritas duplex, auctore & modo: hoc in testamentariis causis quis nescit obseruari? Quintum his, si placet, additor, auctoritatis nempe à Deo circumstantia, quòd scripturã sacram in Ecclesia publicè deposuit & sanctificauit singulari modo, vt sit diuinus canon perpetuus & permanens, non autem (vt sermo nudus Apostolorum) transiens. Nam in eo canone posuit perfectè Deus quicquid ad regulandam fidem (vt ita dicamus) vitamque spiritalem nostram vidit sapientissimus artifex pertinere. Proinde quæcunque traditio habetur non scripta, quamuis à Christo Apostolísve tradita, ex eo ipso quòd non fuit scripta mandato Christi & notariorum fide; concludimus eam per se non esse simpliciter, aut in perpetuum necessariam: nisi fortè Christus (quod absit) damnetur imprudentiæ, aut latæ culpæ ac doli crimen Apostolis impingatur. Nam tota Scriptura diuinitus inspirata perfectè tradit quicquid est necessarium vt sit homo Dei perfectus, ad omne bonum opus comparatus, &c. Traditionem autem non tradit: traditio ergo non est necessaria. Maiorem confirmat Apostolus 2. Tim. 3. 16.

[N]um. 16. Apoc. 22. 18. Minorem ipsa nominis definitio; [su]prà cap. 1. Sequentia iisdem argumentis conuincuntur falsi.

[3] Ibid. *insignem audaciam esse aliquid æquare [ver]bo scripto?*] Ratio multiplex: prima, quia rei [s]criptæ duplex est auctoritas, vt dictum proximè: secunda, quia rem scriptam sanctificauit Deus, & fecit authenticam singulari modo: tertia, quia traditionem hanc, illam à Christo aut Apostolis non constat esse traditam: quarta, quia multa constat traditionis nomine velari quæ aliena sunt à canone, eique aduersantur; & innumera porrò confingi possunt, si ianua pateat traditionibus eiusmodi.

4 Art. 7. *probare possumus esse Apostolicas.*] Atqui primùm non adfirmatè Apostolicas traditiones esse sancti Patres pronunciauerunt: legatur Augustinus epist. 86. ad Casulanum, & alibi. secundò Apostolicas dixerunt æquiuocè, quas aut Apostoli, aut viri Apostolici credebantur tradidisse. postremò his accensentur etiam supposititia & ementita testimonia [q]u[æ]rumuis promiscuè. Potentissimum sanè omnium est argumentum, quo Tertullianus vtitur libro de præscripit. cap. 28. *quod apud multos vnum inuenitur, non esse erratum, sed traditum,* &c. sed infirmitatem huius argumenti, & iniquam ad hæc nostra tempora accommodationem suo loco demonstrabimus.

5 Ibid. *nec vllam traditionem admittimus contra scripturam.*] Hîc Rhodus, hîc saltus, quod aiunt. Posteà viderimus.

6 Art. 8. *proferat Kemnitius auctorem qui hoc dixerit.*] Illa verba non admodum bonæ fide ex Chemnicio adducuntur, quæ ille fide optima ex Andradio adduxerat dicente, *Noui testamenti proprietatem*

ita

ita esse constitutam ab ipso Deo, vt nec in tabulis, nec chartis, nec calamo, nec atramento, vel quouis alio modo, literis consignetur; sed viua tantùm voce animis auditorum commendetur, &c. Hæc verè ab Andradio sunt: quæ si alij non probant, verè tamen Chemnicius attulit. Ad hæc autem Bellarminus ἐκπερδικίζει.

7 Art. 9. *inspiratio potiùs quàm præceptum propriè dictum existimari debet.*] Cauillatur disputator planè. Nam qui hoc iussit agi, idem iussit rei agendæ modos. Modi autem ad prædicandum Euangelium omni creaturæ sunt duo, sermo & scriptio, vt nihil de exemplo dicam: iussit ergo modum vtrumque Deus. Distinctio verò de imperio interno & externo, quid ad rem? nam siue intus, siue foris mandauerit, mandauit igitur. Rectè à specie ad genus, aut (si ita placet) à fine officioque ad media ducitur affirmatiua argumentatio.

8 Artic. 10. *de quibus nos agimus.*] Imò verò intelligendum est, scribe quæ audis & quæ vides, συνεκδοχικῶς, vt ex cap. 2. & 3. constat.

9 Art. 12. *nec est, qui in hac re contradixerit Innocentio.*] Falsa argumentatio ex auctoritate adducta falsò. Nam ibi Chemnicius de toto canone Missæ apertè loquitur: quæ verba fide non bella restringit Bellarminus ad solam calicis consecrationem. Itaque penes Chemnicium est dicti veritas, penes hunc falsitas argumenti.

10 Art. 13. *summi Pontifices aliquid addiderunt.*] Neque verba ista à Chemnicio sunt: ex falso non sequitur verum. Sic ait Chemnicius, *vt maior esset apud omneis Canonis istius auctoritas, sparsa fuit per Pontificios persuasio esse traditionem Christi & Apostolorum: licet ex Scriptura hoc ostendi non possit.* pòst diuer-

sas

[ill]ri aliorum sententias & testimonia adfert. Quid il-[l]us narrationi cum propositione huius commenti-t[i]? aut quid opus erat hîc Bellarminum longis ti-bijs canere?

11 Art. 14. *cùm eum se à Patribus accepisse di-cit.*] Cur mendacium? nam etiam dubia est fides epistolæ quæ Alexandro I. tribuitur: falsam affirma-re ausim ex stilo, ex argumento. Tùm hoc menda-cium (si mendacium est) quàm dixerunt antè multi? Platina, *Voluit quoque aquam admisceri vino in consecra-tione sanguinis & corporis Iesu Christi, quo significatur Christum Ecclesiæ coniunctum esse.* Sic Bergomas lib. 8. Sigebertus, auctor fasciculi temporum, alij.

12 Ibid. *aquam, inquit, sale conspersam populis benedicimus, &c.*] id est, instituimus benedictione: nam pro isto &c. sequitur ibidem statim, *quod & om-nibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Certiores mihi Bellarmino sunt interpretes Damasus & auctor Martyrologij, qui hoc affirmant euidentissimè. hîc non valent effugia.

13 Ibid. *lib. de Spiritu sancto, cap. 27.*] Di-uersa est aqua, de qua Clemens (si Clemens verè est, quem in Decreto damnat Gelasius & Rom. synodus) & Basilius dixerunt. Non enim de aqua salsa quic-quam, aut lustrali dicunt populis exposita; sed de aqua baptismi vterque agit, quam sanctificari in baptismo non vllus Apostolus, non Matthæus docuit; sed ipse Christus sacramentorum τελειωτής, Matth. 3. Ritum verò singularem sanctificationis istius illi traditioni deputant: at eamdem saliri Alexander iussit, si crede-re fas est.

14 Art. 15. *omnes clerici à carne ieiunent.*] Negatur esse mendacium: nam adfirmant historici.

tum

tum si clericis instituit quadragesimam, ergo instit... quadragesimam; si non illam, saltem hanc. Sed illa... dit Bellarminus æquiuocatione: aliud enim est qua... dragesimæ obseruatio quam laicis imperauerat, ali... septem hebdomadum, quam clericis in ea epistola ... citur imperasse. Demonstrat illud ratio quæ ibi ad... xitur; *quia*, inquit, *sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio.*

15 Ibid. *Quadragesimam ab Apostolis institutam traditione non scripta.*] Hieronymus, *Nos vnam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus: illi* Montanistæ *treis in anno faciunt quadragesimas, quasi tres paßi sint saluatores.* Fallacia est figuræ dictionis, vt loquuntur. Non enim vult Hieronymus de obseruatione dicere, quòd sit ab Apostolis tradita & imperata Ecclesiæ; sed de historia, quòd Apostoli in Euangelio tradiderint semel à Christo quadraginta dies ieiunatũ esse. hanc interpretationem probat antithesis sequens. Sed licet aliud sensisset Hieronymus, superstitiosa esset obser... uatio (prout multæ iam eo tempore inualuerant, vt Augustinus queritur) qua iniquum est pios obligari nomine conscientiæ.

16 Art. 16. *quod sic Apostoli instituerint.*] Diuidit Bellarminus res coniunctas, vnde fallacia. Chemnicius ait, *Hyginus chrisma instituit & dedicationem templorum*, id est, vt templa vngantur dedicenturque. Ecce autem loci Hygini de his rebus exstãt apud Gratianum *de consec. dist.* 1. *c. omnes basilicæ. &c. si motum*, & in decretis Iuonis quoque lib. 2.

17 Art. 17. *addidisse vnum ieiunium ad tria, quæ antè erant.*] Mendacium ergo dicit Damasus

[...]i aliorum sententias & testimonia adfert. Quid il-[...]pis narrationi cum propositione huius commenti-[...]ti? aut quid opus erat hîc Bellarminum longis ti-bi [...] canere?

11 Art. 14. *cùm eum se à Patribus accepisse di-xit.*] Cur mendacium? nam etiam dubia est fides epistolæ quæ Alexandro 1. tribuitur: falsam affirmare ausim ex stilo, ex argumento. Tum hoc mendacium (si mendacium est) quàm dixerunt antè multi? Platina, *Voluit quoque aquam admisceri vino in consecratione sanguinis & corporis Iesu Christi, quo significatur Christum Ecclesiæ coniunctum esse.* Sic Bergomas lib. 8. Sigebertus, auctor fasciculi temporum, alij.

12 Ibid. *aquam, inquit, sale conspersam populis benedicimus, &c.*] id est, instituimus benedictione: nam pro isto &c. sequitur ibidem statim, *quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Certiores mihi Bellarmino sunt interpretes Damasus & auctor Martyrologij, qui hoc affirmant euidentissimè. hîc non valent effugia.

13 Ibid. *lib. de Spiritu sancto, cap. 27.*] Diuersa est aqua, de qua Clemens (si Clemens verè est, quem in Decreto damnat Gelasius & Rom. synodus) & Basilius dixerunt. Non enim de aqua salsa quicquam, aut lustrali dicunt populis exposita; sed de aqua baptismi vterque agit, quam sanctificari in baptismo non vllus Apostolus, non Matthæus docuit; sed ipse Christus sacramentorum πλειωτής, Matth. 3. Ritum verò singularem sanctificationis istius illi traditioni deputant: at eamdem saliri Alexander iussit, si credere fas est.

14 Art. 15. *omnes clerici à carne ieiunent.*] Negatur esse mendacium: nam adfirmant historici.

tum

tum si clericis instituit quadragesimam, ergo instit... quadragesimam; si non illam, saltem hanc. Sed ill... dit Bellarminus æquiuocatione: aliud enim est qu... dragesimæ obseruatio quam laicis imperauerat, ali... septem hebdomadum, quam clericis in ea epistola ... citur imperasse. Demonstrat illud ratio quæ ibi adi... xitur; *quia*, inquit, *sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio.*

15 Ibid. *Quadragesimam ab Apostolis institutam traditione non scripta.*] Hieronymus, *Nos vnam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus: illi* Montanistæ *treis in anno faciunt quadragesimas, quasi tres paßi sint saluatores.* Fallacia est figuræ dictionis, vt loquuntur. Non enim vult Hieronymus de obseruatione dicere, quòd sit ab Apostolis tradita & imperata Ecclesiæ; sed de historia, quòd Apostoli in Euangelio tradiderint semel à Christo quadraginta dies ieiunatū esse. hanc interpretationem probat antithesis sequens. Sed licet aliud sensisset Hieronymus, superstitiosa esset obs... uatio (prout multæ iam eo tempore inualuerant, vt Augustinus queritur) qua iniquum est pios obligari nomine conscientiæ.

16 Art. 16. *quod sic Apostoli instituerint.*] Diuidit Bellarminus res coniunctas, vnde fallacia. Chemnicius ait, *Hyginus chrismа instituit & dedicationem templorum*, id est, vt templa vngantur dedicenturque. Ecce autem loci Hygini de his rebus exstāt apud Gratianum *de consec. dist.* 1. *c. omnes basilicæ. &c. si motum*, & in decretis Iuonis quoque lib. 2.

17 Art. 17. *addidisse vnum ieiunium ad tria, quæ antè erant.*] Mendacium ergo dicit Damasus

s verbis. *Hic constituit ieiunium quater in anno fieri frumenti, vini, & olei gratia, secundùm prophetiam.* Tria quidem primùm instituerat trium illorum causa; sed post instituit & quartum. Platina, *Callistus Pontifex in ita rerum perturbatione, tamque sceleratis Impp. nequaquam ab instituto suo discedens, constituit vt ter in anno ieiunaretur die sabbathi; præsertim frumenti, vini, & olei gratia secundùm Prophetam; videlicet quarto mense, septimo, & decimo, incohando annum Hebræorum more. Verùm posteà mutata sententia id in quatuor anni tempora transtulit,* &c. Quid huic verborum luci cum Bellarmini tenebris?

18 Ibid. *non pugnat cum decreto Calixti.*] Leo æquiuocè dixit. Nam Apostolicum id vocant, non solùm quod est ab Apostolis, aut viris Apostolicis, vt antè nota 4. verumetiam καταχρηστικῶς quicquid à Rom. Episcopo est profectum, velut à sede Apostolica: & ita Leo: nam cum veritate alioqui pugnat illud dictum, si priore significato *Apostolicam traditionem* intelligas.

19 Art. 18. *aliqui ritus circa eius administrationem instituuntur.*] Hem audaciam! Atqui tum in Pontificali Damasi, tum apud Platinam aliósque legitur statuisse, *vt Episcopi baptizatum consignarent*, id est, confirmarent. Nam priùs grandioribus solùm imponebantur manus: quod non distinguit hic noster, & adfert μηδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα.

20 Art. 19. *solùm antiqui ritus explicantur.*] Negatur: hoc enim synecdochicè comprehenditur imperata per Felicem templorum & rerum consecratione; vt habetur *de consecr. dist. 1. c. solennitates, in vtroque cap.* nam de anniuersaria consecratione agit Chemnicius; non de illa initiali, cuius fertur Siluester

ster auctor. Chemnicium ergo nō decepit quicquā.

21 Art. 20. *vnctionem infirmorum sacramentum Ecclesiæ esse dicit.*] Non est Chemnicius mentitus, sed disputator æstu contentionis abripitur, ne percipiat veritatem rei. Fuit vnctio ægrotorum ad curationem, quum nascente Ecclesia Christi efficerentur miracula, Marc. 6. Iac. 5. fuit vnctio ad imitationem, quum sublata esset curationum fides, & de hac Innocentius 1. fuit denique vnctio morientium ad viaticum instituta, veluti necessaria ad salutem æternam. hoc Felicis 4. institutum: de quo auctor Fasciculi temporum inquit, *Iste Felix iussit infirmos inungi ante transitum*, &c. primum institutum sanctum & religiosum fuit; secundum imprudens; tertium istud deniq. profanum, ex inscita superstitione quadam necessitatem operis operati imaginans.

22 Art. 21. *fieri memoriam, & inuocationem sanctorum.*] Atqui hoc Durandus narrat in suo Rationali lib. 4. rubr. de tertia parte canonis. Cæterùm qua fronte hic Cyrillum Hierosolymitanū antiquiorem Syricio prædicat? quem σύγχρονον, contemporaneum fuisse res ipsa loquitur. Fuit enim Cyrillus iste per Theodosium in episcopatu restitutus, auctore Bergomate lib. 9. vir (vt Methodius inquit apud Marianum Scotum) aliquando in fide, sæpius in communione varians. Syricius verò siue Sericius, quem Hermannus Contractus Vrsinum vocat, eodem tempore Ecclesiæ Rom. præfuit. Quid Basilius? videtúrne seculo Syricium antecessisse? Deinde vt annis aliquot antecesserit, agitur de eo quod in Ecclesia fuit stabilitum. Vt ergo demus in Ecclesia particulari id fecisse Basilium, non eo minùs Syricius auctor fuerit istius consuetudinis Romæ, in Occidentis Eccle-

 sias

[..]is & in omneis prouehendæ. Sed quid multis opus [..]? illa ipsa litania quæ Basilio adscribitur multis no[..]nibus clamat se non adeò antiquam esse. Valeant, q[..] his fabulis historias euersas volunt. Sanè Chem[..]tius parte 2. examinis luculentis argumentationibus [c]uincit litaniam istam νοθείας.

23 Art. 22. *Et hoc mendacium est.*] Huius verò mendacij en auctorem tibi Gratianum *dist* 1. *c. visum prætereà, de consecr.* Platinam in vita Sixti 1. & alios.

24 Ibid. *suffragia pro defunctis ex Apostolica traditione descendere.*] Hi loci nihil ad rem, sed elenchi ignoratione fallunt. Nam Pelagius publicā istam religionem (si Deo placet) constituit, Tertullianus agit de priuata cuiusque obseruatione. Discrimen maximum. Prætereà ridicula pariter ac falsa est æquiuocatio. Non enim agit Tertullianus de oblationibus expiatoriis pro defunctis, sed de eucharisticis mnemosynis, & legatis ipsorum (fundationes vocant) in vsum Ecclesiæ pauperumque erogandis; vt Beatus [R]henanus in locum illum de corona militis annotauit (quem propterea Inquisitio Hispanica pro sua auctoritate & fide virgula censoria notandum duxit) & adiuncta manifestò docent, quum ait de corona mil. *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus:* nam expiatoria annua pro natalibus seu natalitiis quis vnquam dedit? Quòd si quis pertinaciter de expiatoriis dici contenderit, id tamen priuatæ & particularis superstitionis fuerit, quam non oportet in exemplum trahi.

25 Art. 23. *nonne hîc historia narratur, & non lex constituitur?*] Sophisma merum. Nam Paulus ibidem historiam, præceptum, & dogma coniungit simul, quæ acceperat à Domino. Sic perbellè fallaciam

ciam duplicem Bellarminus occupat, æquiuocatio-nem vnam, & diuisionis alteram; quum & æquiuocè t[illegible]dendi verbo abutitur, & falsò discerpit membra p[illegible]-positionis à Paulo institutæ, sequutus Colonien[illegible]is Patres. Sequentia igitur omnia nihil ad argument[illegible], quæ commune indiuisum (vt vocant) diuidunt ci[illegible] necessitatem, atque adeò commoditatem argumenti.

IN CAPVT IIII.

1 Art. 2. *probo ex variis ætatibus Ecclesiæ.*] Nempe Scripturas sine traditionibus simpliciter non fuisse necessarias: nam nec sufficienteis fuisse contendit posteà ab illis verbis, *Quòd autem Scripturæ non omnia ita contineant*, &c. Negatur autem hæc tota argumentatio ab exemplis ducta; tum quia ex particulari conficitur præter disciplinam Logicam, tumquia dispar est exemplorum ratio. Ex particulari non sequitur in hunc modum: tunc non fuit Scriptura necessaria, nunc ergo necessaria non est. Hæc pura puta est elenchi ignoratio. Disparem esse probatur eo, quòd ipse varias ætates Ecclesiæ hoc loco nominat; nam alia ætas (inquit ille) aliam vitam adfert, alios mores postulat: tum vel maximè eo quòd variam rationem instituit Deus, quæ suæ cuique ætati visa est necessaria.

2 Ibid. *non est igitur Scriptura simpliciter necessaria.*] Falsa & captiosa consequentia. Falsa, si dixeris, non fuit necessaria, non est igitur nunc. Captiosa, quia voce necessarij abutitur æquiuocè. Nam (vt de aliis necessarij generibus nihil dicamus, quæ nihil ad hanc causam pertinent) necessarium, sine quo contingere aliquid non potest, duobus modis dicitur, ὡς αἴτιον, ἢ ὡς συναίτιον, vt causa, vel vt concausa. Ver-

...m Dei reuelatum omnibus ſimpliciter eſt neceſſa-
...um ad ſalutem & vitam æternam, vt cauſa: Scriptu-
ra verò, quæ verbum eſt Dei reuelatum ſcriptum, no-
bis eſt neceſſaria vt concauſa, vel cauſa inſtrumenta-
lis data diuinitus. Non ſequitur autem, illi cauſa ne-
ceſſaria vſi ſunt ſine hac concauſa: ergo & nos ſine hac
... poſſumus. Nam contrà ita ſtatuere oportet Chri-
ſtianam mentem; illi cauſa neceſſaria vſi ſunt cum multis concauſis & adminiculis vmbratilibus; nobis verò meliùs proſpectum, qui & cauſa eadem neceſſaria vtimur, & concauſam vnicam habemus, quæ non modò nobis eſt inſtar omnium, ſed etiam cunctas perfectione exſuperat alias per communicationem gratiæ & veritatis in Chriſto Ieſu. Quapropter etiam quod dicit, ſola traditione religionem fuiſſe conſeruatam, aut negandum eſt, falſum enim; aut diſtinguendum hoc modo; ſola quidem ſecundùm quid, ſcilicet abſque ſcriptura; at non ſola ſimpliciter, cùm loco Scripturæ (quam habemus ferme ſolam) innumerabilia rudimenta & elementa mundi ſemper habuerit, donec corpus fuit in Chriſto exhibitum.

Ibid. *ad mille quingentos.*] A poſſe ad eſſe (vt loquuntur) non valet argumentatio.

4 Ibid. *erat apud aliquos vera religio & fides.*] Negamus hæc vnquam apud Gentes ſine Scriptura exſtitiſſe: nam fides ex auditu eſt, auditu autem verbi, quod ſcriptum Iudæi habuerunt, quibus ἐπιστεύθη τὰ λόγια θεοῦ, Rom. 3. 2. & aliis tradiderunt.

5 Art. 3. *ex Iob & amicis eius.*] Inconſequens: nam hi vixerunt ante Legem datam & ſcriptam, vt inter omneis conuenit.

6 Ibid. *fuit Eccleſiaſticus ex vltimis ſcriptoribus teſtamenti veteris.*] Negatur hunc fuiſſe piorum Iudæorum

dæorum morem, vt magis traditione quàm scriptu[illegible] vterentur. Probationes adducuntur falsò: nam fal[illegible] hac disiunctiua nituntur, Aut ex narratione & tra[illegible]tione, aut ex Scriptura habuerunt: atquin ex narrat[illegible]ne habuerunt, non igitur ex Scriptura. Hæc disi[illegible]ctiua non est immediata: nam & potuerunt habere vtrisque simul, quæ opponuntur hic tamquam ἀσύσ[illegible]τα; & certè habuerunt. Deinde fallitur quisquis narrationem cum traditione confundit. Nam etiam narrationibus è sacra Scriptura promptis vsi sunt in docendo Patres, vt hi ipsi confirmant Scripturæ loci: hæ autem quo iure traditionibus adscribantur, si pro doctrina tantùm non scripta accipiantur, vt Bellarminus præscripsit cap. 2? Perpetua est fallacia homonymiæ.

7 Art. 4. *longo tempore non inueniebantur.*] Mihi verò non videtur: imò falsa est narratio. Erant enim iusti informati libri (vt ita dicamus) sed in ordinem omnes congesti sunt, vt lib. 2. cap. 1. ampliùs dictum.

8 Ibid. *vnum volumen legis Domini in templo.*] Nempe authenticus liber Legis, & originalis (vt vocant) siue autographus, quem Moses Eleazaro dederat in templo asseruandum, Deuter. 31. & 33. atque hic interciderat grassante Manassis & Amonis tyrannide Hierosolymis. Ex particulari autem μάλα λογιστικῶς generale concluditur scilicet.

9 Art. 5. *fuit Ecclesia sine Scripturis.*] Negatur de Ecclesia vniuersè: quòd si de aliqua Ecclesia dicit, non obtinet quicquam ex particulari. Sed hac sapientiâ Logicâ plurimùm abutitur.

10 Ibid. *quæ solis traditionibus sine scriptura optimè viuerent.*] Iterum ex particulari concludit malè. Deinde fallacia æquiuocationis est. Nam tradi-

ri est doctrina non scripta, suprà cap. 2. hic verò ripta doctrina agitur, sed nondum scripta sermone rum gentium quibus tradebatur. Dicit enim Ire-n...us gentes illas viua solùm voce fuisse institutas, eo q...od non exstaret scriptura apud eas lingua eiusmo-quam intelligerent. Hæc longè lateque distant.

11 Ibid. *multi improbi fuerunt.*] Negatur istam distinctionem ad hanc causam pertinere: est enim scriptura nobis simpliciter necessaria. Tum non valet consequentia, illis non fuit necessaria simpliciter, nec igitur nobis: Nam Deus hanc simpliciter imperauit nobis. vide in nota 2.

12 Art. 6. *vel totus canon scripturarum simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se sunt sufficientes.*] Negatur hæc tota argumentatio, quia æquiuocatione fallit. Cùm enim totum dicatur aliquid tripliciter, secundùm quantitatem, secundùm perfectionem rationis & essentiæ suæ, & secundùm virtutem; duos priores modos hîc Bellarminus confundit, quæ ad totum essentiale pertinent, ea cogens in leges angustas totius quod totum quantitatis dicitur. Sufficientia quum prædicatur de toto, secundùm essentiales partes ipsius, non secundùm integrales (vt vocant) singulas prædicari solet. Quòd si in partibus integralibus sufficientiam placeat contemplari, non iam sufficientiam totius, sed sufficientiam suam in toto habere dicendæ sunt. Hæc confundi nec debent, nec possunt iustè. Singuli libri sunt sufficientes sufficientia partiũ ad quam ordinatæ sunt: tota verò Scriptura est sufficiens essentiali sufficientia per libros singulos fusa: quemadmodum iusti hominis & bene constituti singula membra particularem suam sufficientiam habent in toto, sed totus homo essentialem

suam

suam habet sufficientiam ad membra singula secundùm modum ipsorum permeantem.

13 Ibid. *non potest dici, quod singuli libri si[nt] sufficientes.*] Imò sufficientes dicendi sunt per[fe]ctione sua essentiali, quamuis secundùm rationem [in]tegralem & quantitatem suam non habeant sui totiu[s] sufficientiam, sed suam.

14 Ibid. *ad complementum totius canonis scripturarum*] Chemnicius agit de partibus doctrinæ sacræ integralibus, quæ certè fuerunt necessariæ ad complementum integrale canonis: sed à parte integrali ad essentialem non valet consequutio.

15 Ibid. *idem alius dici potest.*] Non omnia quidem secundùm totum in quantitate, sed omnia planè secundùm totius essentialis modum. Hæc perpetua elenchi ignoratio. Sic & sequentia, quæ pro absurdis adferuntur κατ' κρύψιν, iniqua homonymia.

16 Ibid. *vt sufficiens doctrina habeatur.*] Sufficiens, id est, omnia necessaria continens re, ratione, & modo ipsius, adeò vt iam nihil addi ampliùs [a]d eam possit.

17 Ibid. *multi libri verè sacri & canonici perierunt.*] Assumptionem istam negamus, vel ipso Bellarmino teste suprà lib. 2. cap. 1. & 2. nam communia sunt loci illius argumenta.

18 Ibid. *Iudæi multa amiserunt.*] Dixit quidem Chrysostomus; sed non probauit: nec verò probari potest.

19 Art. 7. *emendauit & collegit eos qui exstabant.*] Exstabant autem omnes, quos Deus Ecclesiæ crediderat sanctificaueratque asseruandos, à Prophetis videlicet & piis hic illic conseruati.

[h]c imperfectè narrat: meliùs Hieronymus, Cyrillus, [T]heophylactus. sed de hac re lib. 1. cap. 10. nota 10. [D]isputator res semper coniunctas inscitè diuidit.

29 Art. 11. *catechismum, aut similem librum [con]fecissent.*] Primùm nō est necesse: secundò quæ[d]am sunt epistolæ, vt illa ad Romanos, Catecheses iustæ. quid ergo istis cauillis facias?

30 Ibid. *in expositione Symboli.*] Hi quidem omnes symbolum ab Apostolis traditum affirmant, at non negant scriptum. Quid? annon etiam tradi de scripto potuit? nam etiam traditur sermone, aut scripto, aut vtroque, vt suprà cap. 2. dictum. Ludicra sanè æquiuocatio.

31 Art. 12. *multis, quæ ignorari non possunt, & tamen in Scripturis non continentur.*] Negatur hoc totum probationis genus: singillatim verò confutabuntur exempla illius.

32 Ibid. *quid autem esset pro fœminis, nusquam habet Scriptura.*] Remedium fuit veritas sacramenti, id est, circumcisio Christi ἀχειροποίητος, Colos. 2. [&] ex Deuter. 30. 6. sequens autem multorum opinio quam Bellarminus adducit, pro masculis institutam circumcisionem esse, si intelligitur pro eis solùm, falsa est: nam etsi in eis solùm, tamen pro vtrisque fiebat circumcisio: ipsa enim natura docet virum esse principium actiuum generationis; illam verò partem viri quæ circumcidebatur sémenque illius esse ortus æquè muliebris atq. virilis ποιητικὴν. tum etiam Deus instituto fedus esse totius seminis, licet in maribus solùm impressum, pronunciauit, Genes. 17. Tam ergo ad mulierem quàm ad virum vis circumcisionis & veritas pertinebat.

33 Art. 13. *nihil exstat de hac re in Scriptura.*]

Reme-

Remedium fuit idem quod modò diximus, de qu[...]
in Scripturis analogicè, ex Genes. 17. 14. & alib[...]
Respondeo itaque cum Thoma summæ p. 3. q. 70. a[...]
4. eamdem horum rationem esse, & eorum qui pri[...]s
erant mortui quàm circumcisio fuisset instituta: g[...]
tiam enim sine signo gratiæ in omnibus æquè fuiss[...]
efficacem: hi enim (vt Moses loquitur) Dei fedus
non faciebant irritum.

34 Art. 14. *aliisq́ peccatis in Scriptura habetur.*] Falsum: nam eadem lex in omneis habebatur Num. 15. & idem fedus promissionesq́ue federis Iudæo & proselyto, secundùm illud, *Benedicam benedicentibus tibi, & in semine tuo benedicentur omnes gentes*, &c. tum ab auctoritate negatiuè non procedit argumentatio.

35 Art. 15. *legimus ipsum Alcoranum de cœlo à Deo missum, & tamen ei non credimus.*] Impia obiectio, principium principij haberi non posse: nam oraculum principium diuinum est; huius qui principium petit, θεομαχεῖ. Quid his hominibus facias aduersus principia disputantibus? Atqui principium istud petendum est ex lumine superioris illius scientiæ & sapientiæ quæ in Deo est & beatis omnibus. Per lumen illud hoc principium credimus, agnoscimusq́ue, & persuasi sumus Scripturam diuinam esse: hoc non reuelat caro & sanguis, sed Pater qui in cœlis est. Etsi hoc ipsum caput, nempe Scripturas diuinas esse, in eis legitur: non itaque traditio. Sed traditionem hîc Bellarminus accipit æquiuocè, vt commodiùs fallat. De Alcorano simile est dissimilimum. Res mihi cum Christiano est, non cum Mahumetano: aliis oculis, alia luce Christianus quàm Mahumetanus videt: quid tu mihi Mahumetanum agis, vt principiũ Christianum non Christianè labefactes? Apage insaniam.

36 Ibid.

36 Ibid. *nulla nobis erit fides.*] *Ex sola scriptura,* est, separata à verbo interno & superiore lumine: propositio & conclusio vera. At negatur, vir bone, separatio, quia cum diuina veritate pugnat. Falsum igitur consequens, quo diuina traditio exploditur, vt traditionibus humanis paretur locus.

37 Art. 18. *olim Manichæi, & nunc Anabaptistæ.*] Ex eodem nimirum fonte principioque, quod modò ostendimus. Nam hæ duæ obiectiones sunt eiusdem cum illa generis. Quod autem de epistola ad Laodicenses asserit, id nos antè nota 22. confutauimus.

38 Art. 19. *Scripturas sacras discerni à non sacris per se, vt lucem à tenebris, dulce ab amaro.*] Caluinus hoc sensit, vt res intelligatur commodè: quemadmodum lux à tenebris, & dulce ab amaro distinguitur per se essentiali conditione sua, & se discernendum præbet; sed à nemine tamen nisi sensibus prædito discernitur: sic Scripturas sacras à profanis discerni per se; verumtamen à nobis nisi videntibus discerni non posse. Nam homo ψυχικὸς non capit quæ sunt spiritus Dei; sed eis est mortuus, donec ipsum Deus viuificauerit.

39 Ibid. *cur Lutherus iudicaret epistolam Iacobi stramineam, & Caluinus Apostolicam?*] Non sequitur ex particulari: nam & idem Lutherus pòst aliter sensit. Priùs ergo vitium fuit in Lutheri αἰσθητηρίῳ nondum expurgato (vt ita dicamus) quod pòst correctum est aduentu superioris illius luminis. atque hoc optimè Caluinus exponit sequentibus.

40 Ibid. *vult esse prophanum.*] Ex æquiuocatione malè argumentatur; & inuidiosè refert: nam Patres

tres sanctum dixerunt æquiuocè. vide lib. 1. cap. nota 1. & cap. 13.

41 Art. 20. *non aliunde nos habere, Scriptur. esse diuinam, & qui sint libri sacri, quàm ex tra tione non scripta.*] Negatur exclusiua ista, *non aliun de*: nam & ex testimonio Spiritus Christi cognoscitur, qui spiritus est Ecclesiæ vniuersalis & singulorum membrorum ipsius, operans omnia in omnibus, 1. Cor. 12. 7. & 11. & ex testimonio Apostolorum, tamquam legatorum authenticorum Dei & notariorum publicorum in Ecclesia eius; & testimonio Scripturæ ipsius, tamquam instrumenti diuini oculos piorum illustrantis; & testimonio denique Ecclesiæ, illud salutare Dei, Apostolorum, ac Scripturæ testimonium palàm velut in columna proponentis secundùm Deum. Atque hæc tria sunt instrumentalia; solus Deus doctor principalis est: sed duo instrumenta ex scripto, Ecclesia voce testatur id quod à Deo per Apostolos & Prophetas in Scripturis est expositum. Non sequitur autem, si voce, ergo traditione, vt quidem traditionem angustè definiuit Bellarminus: nam traditio est doctrinæ non scriptæ, suprà cap. 2. Falsa itaque propositio: probationes expendamus.

42 Ibid. *quia per traditionem acceperat nihil tale scripsisse Petrum.*] Non sequitur, traditione Patrum nouimus Euangelium Nicodemi falsum esse; ergo & traditione verum esse nouimus Euangelium Marci; & sic de cæteris: nisi fortè per nouam quamdam Logicam ex negatione quauis contraria affirmatio necessariò concludatur etiam in disparatis rebus. Isti se cum Margite loqui existimant.

43 Ibid. *quòd hæc sola, &c.*] Concedimus; sed ea solùm minimè concedimus: nam hoc postremum est

et atque infimum instrumentum, vt nota 41.

44 Ibid. *magnum detrimentum patiatur.*] Basi-lius non agit de quibusuis traditionibus, sed de traditionibus rituum obseruationumq́. Ecclesiasticarum, quas ἔθη vocat: hîc verò agitur non ritus simplex, sed principiorum diuinorum auctoritas, quibus nituntur Ecclesiæ, non ipsa Ecclesiis. Iniqua est ex disparatis argumentatio.

45 Ibid. *nisi Ecclesia id præcipiat.*] vide suprà lib. 3. cap. 8. nota 12.

46 Art. 21. *non dicere, scripta Apostolorum & Prophetarum esse fundamenta, sed Apostolos & Prophetas.*] Falsum: non enim dicit super Prophetas & Apostolos, sed *super fundamentum Prophetarum & Apostolorum.* Aliud ergo Paulus statuit esse fundamentum, aliud Prophetas & Apostolos operarios Dei & architectonas, qui fundamentum posuerunt doctrinæ sacræ, 1. Cor. 3. Est autem reipsa atque substantia doctrina Dei eadem, prædicata & scripta, quamuis differre tradendi modus videatur.

47 Ibid. *quod sit verbũ Apostolorum scriptum.*] Non istud sequitur ex antecedente; sed hoc potiùs ex eo sequitur: si scripserunt, & tradiderunt, & docuerunt se scripsisse, ergo ex verbo Apostolorum scripto, & non scripto, & per Ecclesiam tradito hanc Scripturam esse cognoscimus. Est autem idem hoc scriptum & traditum: non ergo traditionis est, si traditionem pro doctrina solùm non scripta acceperis, vt capite 2. distinctum.

48 Art. 22. *in examine Concilij Tridentini.*] Hæc duo testimonia adducuntur æquiuocè. Nam traditionem Brentius & Chemnicius in hoc sermone non pro doctrina ἀγράφῳ, sed pro facto Ecclesiæ per

manus

manus tradentis Scripturam acceperunt: nos autem in hac quæstione non de historia facti Ecclesiæ agimus, sed de doctrina ipsa facto Ecclesiæ tradita. Quod Ecclesia tradidit Scripturam & tradit in posteritatem, opus traditionis est: quòd docetur tradidisse, historia traditionis est, siue doctrina historica in Scripturis minimè comprehensa: at doctrina de officio tradendi, quæ Scripturis comprehenditur, non est traditionis, sed scripturæ sacræ. De historia facti agunt illi, non de doctrina officij. Hæc sola traditio non scripta, nempe Ecclesiam, ex quo accepit, in posteritatem tradidisse, & adhuc tradere, à nobis recipienda est: doctrina verò de tradendo non est Ecclesiæ traditio, sed Domini institutio, scripta Matth. 10. & in epistolis Pauli ad Timotheum & Titum. Sequentia igitur sunt inconsequentia ex homonymia. Nam aliud traditio in antecedente, aliud in consequente significat: quatuor sunt termini.

49 Ibid. *cur ergo clamant, nullum esse Dei verbum, nisi Christum?*] Eadem omnium æquiuocatio, quam modò diximus.

50 Art. 23. *igitur sola non sufficit.*] Negatur assumptio. Nam primùm scriptura non est ambigua & perplexa in se, vt toto lib. 3. docuimus; sed nobis est per accidens, ac potiùs videtur esse vitio mentis nostræ. Secundò ambiguè dicitur Scripturam non posse intelligi, nisi ab aliquo qui errare non possit explicetur: nam aut de homine, aut de Deo hoc enunciatur. Si de homine, falsa est hypothesis: nemo homo est qui non erret hîc, & errare possit, Iacob. 3. 2. Sin de Deo, verissima: nam interpres est ἀναμάρτητος per Spiritum suum & verbum scriptum, cuius loci optimè ad veritatem inuestigandam comparantur.

postremò habet Scriptura in se omnem perfectionem actu perpetuo, quæ à nobis actu successiuo & ordinatis percipitur, prout admetitur Spiritus, non autem tradi ab vllo homine perfectè potest ad momenta voluntatis nostræ. Aut igitur falsa, aut ambigua est cōclusio. Nam sola Scriptura non sufficit sine Dei spiritu; sola verò sufficit sine hominis vllius opera.

51 Ibid. *cum proteruis finiri possint.*] Imò cum proteruis, φιλονείκοις, & contentiosis nunquam : cum his finis est silentium nostrum, 1. Cor. 11.

52 Ibid. *nisi accedat traditio.*] Si bene acceperis de traditione Dei, concedimus : sin de humana vlla, negamus. Illuditur hîc æquiuocatione.

53 Ibid. *sine traditionibus scriptis Euangelium esse purum nomen, id est, esse tantùm voces & verba sine sensu.*] Falsum: hoc sibi voluit Basilius, nudam fore ferme doctrinam sacram & ritibus in Ecclesia destitutam (qui ritus apud homines plurimùm adferunt momenti) nisi ritus in ea homines tradidissent. Hæc interpretatio exemplis sequentibus, quæ Basilius ibidem attulit, confirmatur.

54 Art. 24. *Ecclesia credidit : & tamen nullum de hac re est in Scripturis testimonium.*] Credere hoc in loco & sequentibus dicitur æquiuocè. Creditur Scripturæ ex necessitate & proprietate fidei: nam fides ex auditu verbi Dei, Rom. 10 istis verò traditionibus creditur non fide, sed opinione assentiente communibus piorum iudiciis propter quamdam analogiam. Sed de hac specie posteà cap. 29. videbitur.

55 Art. 25. *de multis aliis.*] Credendum æquiuocè, vt proximè dictum : nam hoc non est fidei, sed ritus.

56 Art. 26. *nec Lutherani probare vllo modo possunt.*] Falsum : sed de his suo loco, id est, tomo . ne actum agi oporteat.

57 Ibid. *habita definiuit.*] Aequiuocè dicuntur credendi verbum, & actualis fides: vide tomo 2. contr. generali 2. lib. 1. cap. 11. & seq.

58 Ibid. *ad traditionem & vsum Ecclesiæ recurrere.*] Et quomodo recurrant, obsecro, ad traditionem, si id Ecclesia non tradidit, vt Bellarminus affirmat? en cantherium in fossa.

59 Art. 27. *purgatorium non posse probari ex sacris literis.*] Ergo credere dixit æquiuocè pro opinari: at credere nostrum est verbo Dei acquiescere. Hoc autem Lutherus posteà non credidit, quum ex Scripturis meliùs didicisset.

60 Art. 28. *nullũ esse verbum Dei nisi scriptum.*] Hoc simpliciter falsum est, κατά τι verè dici potest. Nam Deo Patri non Filium æternum, non Deo essentialiter dicto δύναμιν οὐσιώδη verbi, nec λόγον προφορικὸν ipsius tollimus, quo compellat creaturas suas: sed hoc illud est quod dicimus; primùm, nullum esse verbum Dei cum Ecclesia communicatum foris, aut inter pios communicabile, nisi hoc verbum; secundò internum hoc verbum idem reipsa esse cum verbo scripto, quamuis modo scriptionis velut externa quadam forma foris accedente, Ioan. 15. & 16.

61 Ibid. *non enim dicit Moses, ex verbo scripto, sed ex verbo quod loquor.*] Atqui idem est verbum enunciatum & scriptum: nam idipsum quod Dei verbis Moses enunciauerat, Deus ab ipso perscribi iubet, Deut. 31. & 32. Hoc demum est casses (quod aiunt) rodere.

IN CAPVT V.

1 Art. 2. *alioqui Deus non bene prouidisset Ecclesiæ.*] Antecedentia negauimus, & confutauimus. falsum igitur consequens.

2 Ibid. *multa Dominum fecisse & dixisse quæ non sunt scripta.*] Negatur consequens: nam fallacia struitur priore loco à dicto secundùm quid, vt vocant; posteriore verò, ex elenchi ignoratione. Probationes ὕστερον πρότερον Bellarminus adfert, vt lectorem implicet.

3 Ibid. *totum mundum non posse capere libros qui scribendi essent.*] Ad posteriorem locum fallit responsio duobus modis. Nam primùm Ioannes disertè *singula* nominat, vt se ostendat agere de factis numero differentibus, quamuis conueniant inter se ratione, ad quam Scriptura propriè perfecteque respicit: ac propterea dixit Apostolus *alia multa*, id est, numero differentia. Secundò scientiam eorum, aut certè nonnullorum ex eis hic supponit esse necessariam, vt Scriptura dicatur insufficiens. Hoc autem negat Ioannes 20. 31. dicendo: *hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium illum Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.* hanc profectò sufficientiam (vt ita dicamus) res insufficiens conferre non posset. Cùm itaque hæc scientia sit doctrinæ singularis, rerum verò singularium non possit homini cuiquam inesse scientia, sed communium κατὰ λογισμὸν ex singularibus; optimè singularia omnia omittit Ioannes, vt fidem piorum reuocet ad credendum ea quæ rationis communis sunt ex nonnullis singularibus. vide infrà cap. 10.

4 Ibid.

4 Ibid. *nec tamen inuidi, aut obliuiosi erant, nollent aut non possent ea dicere.*] Concludit Bell. minus ad priorem locum, ergo Apostoli ἀγράφως [tra]diderunt multa. Negatur consequens. Nam prim[um] ea ipsa antè docuerat, & confirmatos animo post [re]surrectionem docuit, quæ traduntur verbo. Deinde verò eadē respectu vario & multa & paucissima sunt: multa quidem, respectu singularium communicationum (has enim quis numeret?) & personarum, quas tristitia sic premebat eo tempore audita prædictione instantium perpessionum Christi, vt ea ferre nondum possent; pauca verò, respectu summæ & λόγȣ seu rationis communis eorum. Summa enim, de regno Dei; ratio, de donis, vocatione, administratione, & operatione Apostolorum fuit. Hæc autem omnia, vtcunque multa sint, breuiter in fine Euangeliorum, & principio Actorum Apostolicorum posita sunt.

5 Art. 3. *esse tamen scripta omnia necessaria.*] id est, non singula numero κατὰ μέρος, sed omnia κατὰ λόγον rationemq. salutarem inscripta esse. Sequens autem responsum cap. præcedente est confutatum. [Qu]æ de Sacramentorum suorum institutione narrat, c. 2. nota 7. negauimus.

6 Art. 4. *Ista tamen præcepta de modo orandi, sumendæ Eucharistiæ, nusquā scripta inueniuntur.*] Falsum: nam & quæ antè tradiderat sermone Paulus de illis rebus, ibidem perscribit, vt ipse nominatim dicit: & quæcunque præcepta sunt essentialia & per se Ecclesiæ necessaria, ea quàm fidelissimè perscripta sunt; de ritualibus verò agit deinceps Apostolus in eo loco. Quòd si ne ritualia quidem nonnulla putauit reticenda, quis homo sanus adfirmare audeat non haberi de scripto ea quæ sunt essentialia? Demonstratur

 hoc

c 1. ex ipsius Apostoli verbis in toto capite. 2. Belmini ipsius confessione: nam Paulum non ait tracte de substantia rei, sed de modo orandi in Ecclesiæ sumendæ Eucharistiæ, id est, de ritibus eò pertinentibus. 3. testes sunt ipsi orthodoxi Patres, cùm eos ipsos locos qui hîc adducuntur, tum aliis innumeris. Chrysostomus in 1. Cor. 11. homil. 26. *Quoniam ergo de his omnibus eos quum adesset admonuit, & fortè alij quidem audierunt, alij verò non paruerunt, propterea etiam per epistolam eis rursus, tamquam bonus & sapiens medicus, verba infundens peccatum corrigit, & quæ sequuntur.* Non secus Theophylactus. Epiphanius loquitur communiter: nos verò non negamus traditiones fuisse aliquas, puta quæ ad ritum, ordinem, honestatem, aut particulareis historias pertinerent, vt cap. 3. nota 1. diximus; sed de fide traditiones negamus esse. Basilius de eisdem disertè loquitur. Damascenus iam vergente seculo fuit traditionum propugnator, sed iniustè in causa iniusta, vt lib. 2. controu. generalis 7. dicturi sumus.

7 Ibid. *viri in Ecclesia orent capite aperto, mulieres capite velato.*] Traditionem puta ritualem: etsi ex quo habetur scripta ab Apostolo, iam desiuit esse traditio, secundùm Pontificiorum definitionem cap. 2. expositam. Præceptis verò traditis aliquid antè defuisse, vnde aut probetur, aut eruatur, equidem videre non possum.

8 Ibid. *nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.*] Antecedens hoc falsum: agit enim de obseruatione rerum quas modò perscripserat: non ergo de traditione & consuetudine simpliciter. Sequens autem conclusio vitiosa est duobus modis: nam primùm dicit falsum. Non enim vult Paulus reprimi conten-

contentiosos ex Ecclesiæ consuetudine; sed missos fi ri, & Ecclesiam sese reprimere, ne occasione illoru stultè funem contentiosum trahat. Secundò plus in conclusione quàm in præmissis. Postremò il ipsum quod dicitur, non esse consuetudinem Ec siæ vt contendat, non est moris seu consuetudi ἀγράφου, sed diuini & naturalis & scripti iuris, vt Galat. 5. 26. Philip. 2. 3. & alibi passim.

9 Art. 5. *quod & tradidi vobis.*] Exponit autem quid tradiderit: id ergo nobis non est traditio ἀγράφος.

10 Ibid. *nec hæretici possunt vllo modo contrarium ostendere.*] Negatur: nam verbum ipsum διατάξομαι confirmat euidenter Paulum de ordine ac ritu Ecclesiastico, non de rerum substantia agere. Deinde verò etiamsi id non esset, tamen in diuinis rebus nefas est opinionibus & iudiciis humanis ludere; quod certè faciunt Pontificij, & Bellarminus meritò fieri putat.

11 Art. 6. *iudicat diuersa esse quæ tradiderat, & quæ scripserat.*] Diuersa nimirum tradendi modo, non autem substantia & rei traditæ argumento. Nihil amplius sequitur: nam à modo ad substantiam rei argumentari, vel contrà, id planè est ἀσυλλόγιστον.

12 Ibid. *non autem continet centesimam partem, vt patet.*] Negatur consequens propositionis: nam primùm ex illa indefinita nostra, Paulum eadem tradidisse & scripsisse, concluditur vniuersè, ergo scripsisse omnia ad Thessalonicenses; quod postremum nulla consequentia venire in cõclusionem debet: nam singulis quidem Ecclesiis tradidit omnia, sed non omnia perscripsit ad singulas: satis est scriptum esse, licet non scriptum ad singulas. Deinde ex disiunctiua

...iis Paulus vtitur, infertur conclusio copulatè, argu-
...na argutissima.

13 Art. 7. *quia cùm essem vobiscum, hæc dicebam vobis?*] Negamus propositionem. Paulus quidem docuit & prædicauit de Antichristo: at momentum quando sit venturus, præcisè minimè docuit, vt qui dicat, *iam enim peragitur mysterium istud iniquitatis.* quid ergo docuit? tempus nimirum quando sit reuelandus, vt versu 6. & sequentib. ostenditur. Enimuerò nonne hoc scriptum est quod sermone tradiderat?

14 Ibid. *ergo non omnia scripta sunt quæ Apostolus dixit.*] Augustini locus falsò adducitur. Sic enim ille, *Et ideò nos qui nescimus quod illi sciebant,* &c. aliud est nescire, quod fatetur Augustinus, aliud non posse scire. Tum hæc non doctrina est fidei dogmatica, sed historica facti prædictio, quam in hoc genere distingui oportere constat, vt suprà cap. 3. nota 1. dictum. postremò hæc historia in libro Apocalypseos, etsi non à Paulo, perscripta est.

15 Ibid. *& hoc modo hunc locum veteres intellexerunt.*] Non sequitur ex dicto secundùm quid, vt vocant. Nam de eo loquitur Apostolus quod tradidit aut scripsit Thessalonicensibus: his autem fidem totam tradiderat, non totam perscripserat: sed quod illis non scripsit, scripsit aliis; proinde id non est traditio nobis, quia de scripto habetur, quamuis non scriptum Thessalonicensibus. Sic de Corinthiis: nam quàm pauca scribit Corinthiis eorum quæ Romanis scripsit? fuerint illa sanè Corinthiis παράδοτα per illud tempus; at non fuerunt posteà, nec sunt traditio, ex quo doctrinam illam tradidit scripto Apostolus. sic nota 12.

16 Art. 8. *act. vltima, can. 1.*] Basilius non de fide

fide moribusque communia dogmata, sed de ritib[...] πρὸς εὐσχημοσύνην καὶ τάξιν (vt putabantur) pertinent[...]bus hæc enunciauit; prout exempla in eo loco ape[...] docent. Nec alia mens Chrysostomi in 2. Thess[...]. Nemo nostrum aliquas traditiones fuisse negat; [...] quas maximè in causa fidei homines sunt comment[...] eas traditiones negamus esse. Idem Oecumenius & Theophylactus docent. De Damasceno in nota 6. diximus. De octaua Synodo liceat bona venia cum Augustino dicere, si quis verba illius Synodi ad commentitias traditiones istas rapuerit, *non iam, vt vetus prouerbium fertur, quod volumus sanctum est, sed etiam quando volumus, & quamdiu volumus.* Traditiones aliquas non negamus, sed negamus istas.

17 Art. 9. *clamant, auctorem esse Pelagium.*] Ne sint Hieronymi: etenim esse illius non puto. Pelagij tamen negamus esse: neque hoc Augustinus dicit: Nam verba quæ adfert ex Pelagij commentario, non sunt in hoc nostro. Etsi sensus in eos locos Pelagianus est. Quid verò, quòd si Pelagij fuisset commentarius ille, non fuisset eum Primasius facilè adducturus? Alioquin nihil vetat, quin liber pseudepigraphus, postquam in vulgus inscriptio recepta est, eo nomine velut δοξαστῷ & opinabili appelletur.

18 Art. 10. *prædicantur baptismi sacramenta.*] Sic habet exemplar meum, & veriùs, *Apostolica autem traditio est, quæ in toto mundo prædicatur, vt baptismi sacramenta.* Sensus autem est, Apostolicam traditionem nihil esse aliud quàm doctrinam Apostolorum toti Ecclesiæ traditam, & res sacras exponentem quibus per baptismum initiati sumus. Hæc autem vt Bellarminus corrumpit! Quæ ergo subiicit de sacramentis baptismi, frustra sunt, vt tomo 2. demonstrabitur.

 19 Art.

19 Art. 11. *traditionibus, quæ toto mundo obseruntur, & quæ propterea Apostolicæ esse dignoscuntur.*] Aequiuocatione fallit disputator: nam traditiones Primasius doctrinam sacram ab Apostolis traditam appellauit, vt rectè Hermannus interpretatus est.

20 Ibid. *Pentecostes, vt Augustinus docet in epist.* 118.] Hæc autem seruantur non vlla necessitate religionis simpliciter, sed propter iustam & honestam quamdam singularium Dei beneficiorum commemorationem.

21 Ibid. *ex Apostolica traditione seruari.*] Ritualia videlicet: nihil enim aliusmodi in eum locum ab Augustino adducitur, sed omnia ad ritus Ecclesiæ pertinentia.

22 Art. 12. *nihil autem dicit de scripto, vel non scripto.*] Ambrosius, vt *præscientia Dei maneat*, inquit, *in salutem illorum, idcirco in traditione Euangelij standum ac perseuerandum monet.* Rem ergo & traditionem vnam esse statuit, Euangelium vnum, quamuis diuerso tradendi modo. Hoc verò contra patronos istarum traditionum est, quæ hoc tempore superciliosè venditantur.

23 Ibid. *quid hîc est contra nos? quid non potiùs pro nobis?*] Nempe aduersatur illud Bellarmino, quòd traditiones Anselmus dicit, & dici à Paulo statuit communi illa significatione, non autem ex restrictione Pontificia, vt cap. 2. nota 1. diximus. Et ita quoque Theodoretus.

24 Art. 13. *& illos quos prædicauimus, & illos quos in epistola scripsimus.*] Et possunt non ita accipi: imò verò non ita accipi magis ex veritate est &

natura

natura copulæ. Nam copulæ est id solius proprium, vt vnum quid notet. Quum itaque Theodoretus dicit, *quos prædicauimus vobis & in epistola scripsimus* vnum & eumdem sermonem notat: quòd si dixisset ille, & quos prædicauimus vobis & quos in epistola scripsimus, vt Bellarminus adtexit suo glossemate, hæc speciosior affirmatio eius videretur, licet non propterea foret necessaria.

25 Ibid. *ex isto loco Pauli.*] Prior ratio negatur (vt nota 6. & 10. dictum) de istis traditionibus: posterior falsa est ex inconsequente argumento. Non enim sequitur illud ex particulari, si non omnia in illa epistola scripta sunt, ergo non omnia scripta esse. Contrà verò ita statuendum; cùm tota Scriptura sit diuinitus inspirata, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, 2. Tim. 3. omnia salutaria scripturis perfectione diuina contineri: quod autem vno in scripto non continetur, id contineri altero; sic non desiderari quicquam ad perfectionem Scripturæ. vide suprà nota 12.

26 Art. 15. *id est, tam sensus Scripturarum, quàm aliorum dogmatum.*] Arguta sanè distinctio: quasi dicat, non scriptura, sed res scripturæ, & alia insuper dogmata præter Scripturam. Et quænam sunt, mi homo, dogmata sacra extra scripturam sacram? quæ veritas, auctoritas, certitudo illorum? Depositum ergo, formaque sanorum verborum res est Scripturæ.

27 Ibid. *Chrysostomus & Theophylactus in hunc locum.*] id est, per κατήχησιν, concionalem docendi modum, & quamlibet collationem communicationemque sanctam, vt iidem auctores interpretantur: hic enim traditionis nomine abutitur æquiuocè.

28 Ibid. *secundùm placitum Patris acceperunt.*]

At

At omnia quæ sunt veritatis, omnis veritas, cuius chariſma communicatur cum Presbyterio, in Scripturis continentur obſignata virtute Dei, & Eccleſiæ traditi, quid istis cum traditionibus?

29 Ibid. *vult ſeruari per Spiritum ſanctum in pectore Timothei.*] Illudit ex ambiguo: nam aliud eſt rem corpoream, id eſt, materialem Scripturæ ſeruare corpore, aliud ſeruare animo doctrinam ſcripturæ. Hæc coniungi, non autem diſcerpi atque opponi oportuit. Falſa igitur diſtinctio: nam & piorum commune opus Timotheo præſcribit Paulus, & Euangeliſtæ proprium, hac ſua commendatione, vt etiam loquitur 2. Tim. 4.

30 Ibid. *vt per manus tradat ſucceſſoribus ſuis, iubet.*] Alterum ſanè altero non tollitur, niſi ſummè contraria inter ſe probentur eſſe: at hæc ſunt coordinata, vt vocant; nedum contraria. Falſum igitur vtrumque Bellarmini dictum.

31 Ibid. *Vincentij Lirinenſis aduerſus prophanas vocum nouitates.*] Et hunc nos appellamus iure: cuius hæc verba ſunt ipſiſſima: *Quid eſt depoſitum? id eſt quod tibi creditum eſt, non à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens. Depoſitum, inquit, cuſtodi, catholicæ fidei talentum inuiolatum illibatumque conſerua, &c.* Non eſt autem catholicæ fidei, ſi quid recenter adtexitur. Hoc ergo talentum, Bellarmine, an humanæ traditionis eſſe, ac non diuinæ ſcripturæ dixeris?

32 Att. 16. *multa ab Apoſtolo Ioanne dicta eſſe diſci-*

discipulis, & per discipulos Ecclesia vniuersæ, quæ tamen scripta non sunt.] Multa quidem numer... per singularem communicationem, sed ratione ... substantia vnum cum Scriptura sacra, vt nota 3. & ... ostendimus. Deinde verò ne sint ea sanè ab illo, au... ad illos scripta: an propterea non fuerint ab aliis Apostolis perscripta & Ecclesiæ credita, si ad catholicam fidem pertinebant, de quibus Ioannes cogitabat? Inconsequens & ineptum argumentationis genus.

IN CAPVT VI.

1 Art. 2. *quàm ad consultationem respondere.*] Tria hæc Pontificum testimonia non attingunt traditiones dogmatum fidei, quas negamus; sed traditiones rituum & ceremoniarum: has verò non negamus simpliciter, sed istas commentitias, vanas, pueriles, superstitiosas, impias, vt cap. 3. dictum. Quapropter nihil ad rem. Alioquin de veritate istorum rituum suus erit alibi dicendi locus in tomo 2. Omnino principium petitur, & testimonia è sinu proferuntur. Etsi nec illud prætereundum, Fabiani epistolam notham esse, & intolerandam eorum fuisse impudentiam, qui istas epistolas veritati doctrinæ & historiæ aduersanteis priscis illis Patribus adscripserunt. Innocentij verissima est illa sententia generalis: sed in singularibus exemplis quæ idem attulit, ab eo (si Innocentius auctor est) diffidemus: nam hominum errantium commenta sunt multa, non Apostolorum instituta.

2 Art. 3. *de ieiunio septimi mensis.*] Aequiuocè, vt cap. 3. nota 4. & 18. Apostolica autem, id est, sedis Apostolicæ: ita frequenter Leo. Alioquin si de Apostolis ipsis dicit, falsum dicit. Plus pietatis, veritatis, chari-

charitatis, prudentiæ habuerunt Apostoli, quàm vt mirandis rebus partim vanis, partimque falsis incumberent.

3 Art. 4. *ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eum damnauerunt.*] Negatur: nam Theodoretus contrà, quòd ad substātiam, Arium ex doctrina Scripturæ sacræ euictum dicit: sed hoc tantùm est quod dicit, voce ὁμοούσιος ante annos ferme xxx. ab orthodoxis Patribus accepta rem fuisse distinctam breuiter. quod & Eusebius in ἐγκυκλίῳ epistola sua confessus est. Dionysius certè Alexandrinus iam olim fuerat vsus, vt ex Athanasio constat in epistola de sententia Dionysii Alexandrini, vt habetur etiam controu. 2. lib. 2. cap. 2. Res ergo ipsa ex auctoritate Scripturæ desumpta est; vocem autem rei conuenientem peperit hominum piorum conuentio. Quid? an ergo non est Scripturis euictus Arius? Legatur Athanasius, legantur Gelasii Cyziceni acta: Bellarminus certè hoc sermone orthodoxos Patres onerare, Arium iuuare iudicabitur.

4 Art. 5. *nihil enim noui statuit.*] Principium petitur: est enim de domo petitum (quod aiunt) testimonium, & iam coniurato in istos errores seculo. Quæ ab illis dicuntur bene, accipimus: hæc autem per omnia probare non possumus.

In Capvt VII.

1 Art. 1. *eas ab Apostolis scriptas non fuisse.*] Aequiuocè: nam traditionem Ignatius latè accipit, hic falsò angustiorem facit, vt cap. 2. nota 1. dictum. Interpretē habemus à nobis Polycarpum ibidem apud Euse-

Eusebium cap. sequente, apertis verbis dicentem: *plurimùm ex iis epistolis iuuari poteritis: continent enim fidem, & patientiam, & totam ædificationem quæ ad Christum pertinet.* Huic iniurato interpreti equidem plus vni credo, quàm istis iuratis centum. Quapropter sequentia nihil ad propositum.

2 Art. 2. *ab Apostolis sine dubio Ignatius didicit.*] Atqui de istis rebus, quæ hodie exhibentur pseudepigraphis illis epistolis, Polycarpus testis αὐτόπτης & maximè idoneus ne γρῦ quidem. Hæc igitur supposita sunt, de quibus cum Seneca dixeris commodè, non omnes citharœdi sunt qui citharam habent: nam titulo tenus Ignatiana sunt.

3 Art. 3. *partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.*] Quis negat essentialia & necessaria ab illis perscripta esse, ritualia quædam ad honestatem & ordinem pertinentia non fuisse scripta? Hoc semel igitur dictum esto: traditiones has, illas negamus, non tamen quaslibet: quod deinceps per omnia volumus intelligi. alioquin tradendi verbum hîc generali significatione dictum est, vt cap. 2. dictum.

4 Ibid. *non esse Dionysii.*] Nempe illius Areopagitæ, de quo Act. 17. sed cuiusuis alterius. Nam quis Areopagitam illum credat habuisse ius efferendi verba ἄρρητα, quæ homini non liceat loqui? 2. Cor. 12. 4 Paulo sapientiorem scilicet. Non id quidem negamus, veterem auctorem esse: at non eo sequitur, primùm esse germanum illius Areopagitæ fœtum; nam & vetus mendacium est, & veteres fabulæ: secundò etiam in iis auctoribus iudicium desideratur qui adducunt ipsum: postremò quid est, cur à vetustioribus nemine adferatur? cur reticuerunt Hieronymus &

Sophronius

Sophronius in Ecclesiasticorum scriptorum catalogo?

5 Art. 4. *Apostolos non omnia scripsisse quæ docerant.*] Aequiuocè hîc & deinceps, vt nota 1. De his autem omnibus dicimus vniuersè: primùm traditiones multas haberi & dici Apostolicas, quæ non sunt, & quæ non sunt per se aut semper necessariæ, vt ostendit Scripturæ analogia. secundò Apostolicas vocari æquiuocè, quæ sunt aut ab Apostolis, aut à viris Apostolicis, vt Tertullianus vocat, aut ab aliqua Ecclesia & sede quæ Apostolica dicebatur; quod nomen sibi Rom. sola postmodùm vindicauit: postremò traditionum dogmaticarum (vt cap. 3. distinximus) ad fidem vitamque necessariò pertinentium perfectum canonem in Scripturis esse, ritualium verò legem vniuersalem esse, 1. Cor. 14. vt *omnia honestè & ex ordine fiant*; ideoque particulareis ritus & ceremonias, quia plurimùm sunt ambulatoriæ, optimè omitti à Spiritu sancto, & commoditati Ecclesiarum permitti; historias verò singulareis eorum quæ Christus & Apostoli fecerunt dixeruntque, vtut in hypothesi fuerint necessariæ, ratione tamen Ecclesiæ non esse necessarias, tum quia Scripturis comprehensa est ratio earum analogicè, tum verò quia non potuisset mundus eas omneis capere, Ioan. 21. 25.

6 Ibid. *quæ Polycarpus tradebat, describebat non in charta, sed in corde suo.*] nempe singularia quidem, sed ratione communi in sacris Scripturis comprehensa, vt modò diximus, & ampliùs exposuimus cap. 5. nota 3. & 4. sic deinceps: & ita sensit Chemnicius.

7 Art. 5. *nec tamen omnis veritas probari potest ex Scriptura.*] Inconsequens à non distributo; vt vocant: agitur enim non de omni veritate simplici-

ter,

tur, sed de omni veritate diuina, reuelata ad salutem. Hæc autem Scripturis probari & debet, & potest, aut expressè aut analogicè, quæ consona Scriptu[ris] Chemnicius vocat.

8 Art. 6. *nisi post baptismum, & alia.*] Atq[ui] primum illud habetur 1. Cor. 16. 2. & Apoc. 1. 10. secundum (excepto eo quod de aqua miscenda interiicitur) quis expresse contineri Scripturis præter Bellarminum neget? tertium flagitat & mandatum Christi & analogia: nam quis nisi baptizatus annunciet in Ecclesia mortem Domini? 1. Cor. 11.

9 Ibid. *consideranda permittimus. &c.*] Certè, Christus Apostolis tradidit verbo, quod illi nobis verbo & scripto: hæc plana Iustini sententia.

10 Ibid. *quis enim alius fingi potest auctor?*] Atqui illa sunt tradita verbo Scripturæ sacræ, vt nota 8. diximus: de aqua verò miscenda, traditio fuit ex analogia Orientalium, apud quos vina sunt valentiora; quam neque præcipimus, neque impedimus superstitiosè.

11 Art. 7. *probamus, in eo illos non errass[e.]*] Responsionis hic modus: omnes Patres alicubi errauerunt, nam homines erant: ergo & in quibusdam traditionibus errauerunt, non in omnibus asserendis. Quid hic Bellarminus? posterius sumit contra mentem nostrorum omnium, & veræ Logicæ leges; ac si diceretur de eis, ergo errauerunt quum traditiones assererent. Nugæ. Nemo dicit errauisse Patres quotquot traditiones dixerunt esse, non enim genus negamus planè; sed hos demum errauisse in hoc argumento, qui has aut illas traditiones commentitias, superstitiosas, &c. pro Apostolicis habuerunt. Non valet à specie ad genus in hunc modum argumentatio.

12 Art. 8. *ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis ?*] Hoc autem non fecerunt Apoſtoli, ſed ſcripturas reliquerunt nobis: ergo nec traditionibus huiuſmodi reliquerunt locum. Negato antecedente, negatur rectè conſequens.

13 Ibid. *qui ſcripturas nullas habebant ?*] Aequiuocè, vt nota 1. dictum: nam traditionem accipit Irenæus lata ſignificatione. Quæ gentes, inquit ille, ſcripturam legunt & audiunt vernaculo ſermone ſuo, eæ & ſcripto credunt & traditioni, id eſt, prædicationi verbi ſcripti: quæ autem ſcriptura deſtituuntur ſermone ſuo conſcripta, eæ traditioni credunt, id eſt, prædicationi ſoli, prout fit in Eccleſiis Pontificiis à vulgo plurimùm. Aliud eſt autem traditio ex ſcriptura, aliud traditio præter Scripturam. De illa Irenæus agit, de hac interpretatur Bellarminus, & Pontificiorum natio. Quid eſt fallere, niſi hoc eſt?

14 Art. 9. *vt Kemnitius ſomniat.*] Et hoc verum eſt quod dicit Chemnicius, & ſequens confutatio falſa. Nam quod Irenæus dicebat ſecundùm quid; nempe reſpectu eorum qui ſcripturam non habent quam legere poſſint & intelligere, aut qui non agnoſcunt eam (id enim verba Irenæi antecedentia oſtendunt luculentiſſimè) hoc Bellarminus accipit ſimpliciter, & omnibus promiſcuè accõmodat. Tum æquiuocè & ſucceſſionem & traditionem diuidit contra auctoris ſententiam, à communi indiuiſo (vt loquuntur) argumentans. Nam ſucceſſio eſt principalis in doctrinam, & ſecundaria in functionis ordinem; ſimiliterque traditio eſt ſcripti & prædicationis: hic verò de ſucceſſione ſecundaria & traditione verbali iniquè iubet accipi. Quis φληνάφους iſtis hominibus de pulmone reuellat? Sic & ſequentia de ſucceſſione oportet accipi, & de traditione veritatis.

15 Art.

15 Art. 10. *contulerint omnia quæ sunt veritatis.*] nempe cùm seruetur in ea depositum, scriptu veritatis, quam tradiderunt Apostoli.

16 Ibid. 16. *nonne oportebat ordinem sequi traditionis? &c.*] Vides igitur, Bellarmine, quæri de ratione agendi cum hæreticis qui Scripturã nesciunt, nec scire volunt; ac non cum fidelibus? Nam qui cum hæreticis agit eiusmodi de quibus Irenæus, hunc probationes oportet foris, si sapit, adsciscere: alioquin depellat muscas.

17 Ibid. *& vniuersam doctrinã Euangelicam.*] Tradiderunt quidem Apostoli perfectum charisma veritatis expressum in Scripturis sacris: sed hi non acceperunt ea perfectione & demonstratione Spiritus qua Apostoli; neque hac lege promissionis diuinæ, fore vt succedentibus personis & locis pariter perfectè & semper hæreat: quod istis hominibus principium adeò certum atque indubitatum est, vt cum Lacæna illa quotidie clament, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τάς.

18 Art. 11. *quid clariùs pro traditionibus dici posſit.*] nempe de rituum ceremoniarumque traditionibus ad honestatem & ordinem pertinentium: nam agebatur de Paschate. has autem cap. 3. & 6. excepimus.

19 Ibid. *ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare.*] id est, doctrinam, cuius & mandatum & analogia exstat in scripturis, prout suo loco demonstrabimus. Cætera, vt antè nota 5.

20 Art. 12. *ea iis qui capere poterant, tradiderunt.*] hoc est, viris particulari dono & vocatione instructis à Domino supra communem aliorum electorum sortem: vt eodem & seq. cap. Eusebius docet.

21 Ibid. *quasi iure quodam non scripto seruanda ommendarunt.*] Eusebius, παρεδίδοσαν, *tradiderunt:* um & eadem traditio est ἐγγράφων καὶ ἀγράφων θεσμῶν riptura & prædicatione, & traditio est rituum pro su Ecclesiarum varians. Quid autem scripto tradiderunt illi? quod necessarium Ecclesiæ esse demonstrauit Deus: quid non? quod necessariò scribendum non est visum, vt sunt ritualia & temporalia. vide suprà cap. 5. nota 6. Sic locus sequens Athanasii de traditione scripta, prout ostendimus suprà cap. 6. nota 3.

22 Art. 13. *per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus.*] Traditam ab Apostolis videlicet, communiter sermone & scripto: quæ hic diuidit æquiuocationis studio.

23 Art. 14. *benedici aquam &c.*] Responsio hæc vera est, & sequentibus à Basilio confirmatur planè.

24 Ibid. *se dixisse, non posse ostendi vllum ritum certò ab Apostolis institutum.*] Vbi autem? nusquam certè adeò exclusit vniuersaliter: nam propterea multas distinxit Chemnicius traditionum species.

25 Ibid. *credere esse bene institutos, & eos non contemnere.*] Credere dicit æquiuocè, nempe vt ab aliis traditi fuerunt, quorum fides non peræquè vt Apostolorum certa est, nec ita ad obligandum doctrina potens: nam propterea dicit Basilius διαδοθέντα, quam vocem Bellarminus *delata* interpretatur malè.

26 Ibid. *necesse est ad salutem ista credere, & non contemnere.*] Ambiguo fallit. Nam aliud est creditu necessarium ad salutem per se & auctoritatem Scripturæ; aliud non per se, sed per auctoritatem Scripturæ; aliud nec per se, nec per auctoritatem scriptu-

ræ ne-

ræ necessarium, vt idem distinguit pag. seq. Quæ substantialia sunt fidei morumque sanctorum, ea simpliciter sunt necessaria vtroque modo: quæ non sunt eiusmodi, ea non per se, sed per Scripturam sunt necessaria, quia propter aliud à Deo & seruis eius dicta & scripta sunt: sic illa per se necessitatem habent, hæc verò auctoritatem à principio Scripturæ necessario. Quæ verò nec per se nec per Scripturam necessitatem habent, vt sunt multa quæ vocantur ritualia, ea nec per se, nec à principio diuino obligant necessariò; sed quia humana sunt, humanitus obligant tantisper, dum veritati diuinæ, pietati, charitati, simplicitati, & libertati Christianæ nostræ non faciunt iniuriam.

27 Art. 15. *Symbolum Apostolicum, quod ex traditione habemus.*] Ex traditione est secundùm formulam rationemq. verborum; at secundùm substantiam est scriptura ipsissima. Non igitur traditio, siquidem nomine traditionis doctrinam non scriptam acceperis, vt distinguitur cap. 2. & hîc iubemur intelligere.

28 Ibid. *olei vnctionem in sacramento Confirmationis*] Falsò: nam si hæc vnctio ex traditione est, non ergo ex Scripturis: at ex Scripturis esse contendunt omnes Pontificij, & ipse Bellarminus tom. 2. controu. 2. lib. 2. cap 8. hæc ergo sunt ἀντίλογα. Sed annon vidit Bellarminus ibi agere Basilium de chrismate olei in Baptismo? de quo agitur *de consecr. dist.* 4. *c. nullus ministrorum.* hoc verò adiuncta docent luculentissimè.

29 Ibid. *ita sunt necessaria, vt si de industria omittantur, grauiter peccetur.*] Negatur, ex nota 26. nam principium petitur. Quod autem generi à

obis adimitur, idem quoque sequentibus adimitur, t speciebus illius.

30 Ibid. *sine signo crucis nulla sacramenta ritè ragi.*] nempe secundùm Ecclesiasticum sui seculi stitutum, non autem Christi & Apostolorum eius.

31 Ibid. *homil. 55. in Matthaeum.*] Adde quod ibidem ait Chrysostomus, *pretio empti estis, ne sitis serui hominum. Pretium hîc Paulus crucem appellauit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profectò fide in mente formare oportet.* Hoc disputator fortiter dissimulat, vt istam digitorum decussationem statuminet.

32 Art. 17. *rectissimè aequari traditiones scripturis.*] Negamus istud: personalia verò crimina in vtramuis partem certo consilio omittimus; cuiusmodi sunt Brentiana illa. Nos Dei & veritatis diuinae causam, non personarum agimus.

33 Ibid. *diliges Dominum Deum tuum, &c.*] Haec quidem in se vera sunt, seruata ea distinctione quam nota 26. posuimus: sequentem verò argumentationem negamus, tum quia dispar est ratio, tum quia vox traditionis dicitur aequiuocè. Disparem esse rationem dicimus, quia alia est diuini iuris, alia positiui siue humani ratio. Si enim τῶν ὁμογενῶν est comparatio; quomodo ea comparentur quae toto genere differunt, diuina cum humanis, supernaturalia cum naturalibus? Quin vt ius diuinum καταχρηστικῶς naturale appellemus cum Isidoro *dist.* 1. *c. omnes leges.* cùm ne tyrannus quidē ille Siculus se quicquam in naturale ius posse profiteatur apud Plutarchum, ecquis in diuinum possit, aut etiam ex aequo possit? Tum quia ius diuinum semper dicitur de Scripturis vniuocè, humanum verò ius non rarò dicatur aequiuocè; nam etiam ius dicitur humanitus quod iniustum est. Traditio verò aequi-

rò æquiuocè appellatur, vt sæpius ostendimus. Nam vt illud mittamus, quòd rituales sunt omnes traditiones illæ quas Basilius adfert, harum duo proponit genera. Aliæ enim formularum sunt (agendas Germani vocant, alij officia) quæ circumscribuntur commoditatis causâ, cùm earum tamē substantia in sacris scripturis habeatur; aliæ rituum, quos nec substantia nec modo Scripturæ imperant. Priores obligare concedimus, quamuis non pari cum Scripturis auctoritate; posteriores negamus obligare simpliciter. Quòd si iniqua est traditionum cum Scripturis adæquatio (vt est) quid superlatione dicamus? Negamus igitur omnia ista quæ à Bellarmino dicuntur; quòd *quædam sunt traditiones maiores, quoad obligationem, quàm quædam Scripturæ*; quòd *quædam æquales*; quòd *omnes traditiones & omnes Scripturæ sint æquales, quantum ad fidem & venerationem quæ illis debetur*; denique quòd *proficiscantur ab eodem auctore Deo, & veniant ad nos per manus Ecclesiæ catholicæ.* Idem de traditionibus suis dicebat prisca Iudæorum Ecclesia; sed negauit Christus, qui est veritas. Itaque conclusio falsa.

34 Art. 18. *diuersitatē stili obfecisse in his capitib. à superioribus.*] Vtrimque sanè probabilia in quæstione hac adferuntur: & Erasmus non caruit stili naso. Sed quia non est res digna propter quam vadimonium deseratur, & futura esset longior consideratio, liberum cuique suum per me iudicium esto.

35 Art. 19. *Christianos faciliùs traheret ad Paganismum.*] Quidni etiam traditione scripta, aut (si ita placet) scriptura tradita habeantur? nam hæc quoque traditio est, suprà cap. 1. & 2. Disputator certè fallit homonymia. Etenim ne hæc quidem ipsa quæ ex Nazianzeno adducuntur posteà, simpliciter à tra-

[illegible]itione sunt. Res à Scriptura sunt; à traditione sunt [illegible]tus & ceremoniales circumstantiæ. Disciplina, poli[illegible] & ordo Ecclesiæ, ψαλμῳδία, pœnitentiæ modus, [illegible]ium sacratarum cultus, castitas, & εὐνουχισμὸς ille pro[illegible]r regnum cœlorum, à Deo sunt, Bellarmine, & à [illegible]riptura eius in substantia, vt loquuntur. Ista verò disciplina vestra, istis ritibus onerosis & πειστικοῖς aucta innumerabiliter, & tyrannicè exacta, & exitialiter obseruata, hæc certè non est à Deo, nec à Scriptura ipsius. Falsa igitur sequentia.

36 Art. 20. *eadem verò fide digna sunt tam ista quàm illa.*] Non omnia quidem ad Ecclesiam, sed omnia planè ad substantiam fidei pertinentia: alioqui desideraretur in Ecclesia aut Dei ipsius fides (quod absit) aut notariorum eius, qui in suis perscriptionibus Spiritu illius acti sunt.

37 Ibid. *pari pietatis affectu veneretur traditiones & Scripturam.*] Eadem profectò fide, siquidem fide (nam vnica est fides) sed non pari gradu. Nam quæ sunt fundamentalia, fidem obligant necessariò; superstructio quælibet, ac præsertim verbalis, καὶ περὶ δόξαν, non item, quia tantummodò contingenter accedit ad fidem, non necessariò; prout diximus nota 26. Quid ergo si ab hominibus, non ab ipsis Apostolis immediatis Christi administris tradita sit? Rectè igitur Chemnicius, & conuenienter fidei.

38 Ibid. *illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis.*] *Hinc*, id est, ab Ecclesia. Periphrasis est apostatarum & excommunicatorum omnium. Ex ambiguo illudit Bellarminus, defunctos pro excommunicatis substituens, quorum fiebat in publicis precibus mentio: prout controu. 6. libro 2. ostendemus.

39 Art. 21. *legem ieiuniorum Apostolicam esse*

tradi-

traditionem.] Aequiuocè: vt suprà cap. 3. nota ... docuimus,& huius cap. nota 5. nam à Telesphoro e... vt dictum cap. 3.

40 Ibid. *de baptismo , & aliis sacramentis.*] Ritualeis puta, in formulis verborum ceremoniisque ...positas: de quibus non ita grauiter à nobis disputatur, si nec pugnent cum verbo Dei, nec superstitione animos impleant, nec homines impediant grauioribus necessitatis laqueis, vt nota 26. dicebamus. De Cyrillo autem, qui in hoc genere fuit operosior, quid sentiendum, diximus ex Methodio suprà cap. 3. nota 22.

41 Ibid. *nemo decipiatur nouis fabulis.*] Apostolorum traditiones & Scripturæ sanctæ sunt dogmata Apostolorum sermone & scripto tradita: quæ duo reipsa vnum sunt, quamuis distinguantur tradendi modo, vt cap. 5. nota 11. docuimus.

42 Ibid. *aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.*] vt nota 26. & 36. hæc enim de substantia fidei morumque negamus, & ne Angelo quidem è cœlo núcianti aliud, affirmantique essemus credituri, ex cautione illa diuina Pauli Galat. 1. De aliis viderint Pontificij.

43 Art. 22. *& apocryphis fabulis, &c.*] Falsum: vt ex præcedentibus constat. Vox autem, *Apostolica*, pòst dicitur æquiuocè, & traditio Apostolica; vt cap. 3. nota 4. & 18. sed de eo argumento controu. 5. lib. 2. dicturi sumus.

44 Art. 23. *pro imaginibus sacris.*] vt nota 26. & 36. & 42. Damascenus seculo iam superstitiosiore vixit, & in communi errore non peruidit satis. vide cap. 5. nota 6.

45 Art. 24 *exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.*] Agit Tertullianus de traditione rituum

[q]uorumdam; vt centies diximus, & declarant exem-[pl]a sequentia. Non est autem Logicum, si ex quarum-[da]m traditionum affirmatione quasuis in genere acci-[pie]ndas esse contenderis; etiam traditiones de fide à [ri]tualium & ceremonialium aliquot exemplo.

46 Ibid. *sacrificij anniuersarij pro defunctis.*] De hoc Tertullianus certè nullum verbum. sed de hoc tomo 3. controu. vltima videbitur.

47 Ibid. *hæreticos non ex scripturis, sed ex traditione confutandos.*] Eos puta qui diuinas scripturas non accipiunt, & subdunt suas; vt antè diximus aliquoties.

48 Art. 25. *vngi quoque necesse est, inquit, eum qui baptizatus sit.*] At hæc Cypriani, & sequentia pleraque sunt ritualia; de quibus antè dictum satis nota 5. & 33. & 40.

49 Ibid. *mistus vino offeratur.*] De hoc loco diximus cap. 2. nota 3. quà Cyprianum, quà Chemnicium attingit.

50 Ibid. *vt velit sibi potiùs quàm Cypriano credi.*] Iudicium est ipsius: quod cui non sit liberum in ea causa, quam ratione vel auctoritate certa non definiuit Deus?

51 Art. 26. *Rectißimè enim in materia sacramentorum argumentamur ab imperfecta significatione.*] Verum, siquidem ipso verbo Dei res instituta est, & expressa eius significatio: nam verbum Dei est veritas, Ioan. 17. De humana verò institutione quis verè pius æquè argumentetur ex pari? facinus audax.

52 Ibid. *traditio rationi conformis esse.*] At hoc ipsum

ipsum negatur: mera est petitio principij. sequentia itaque, λόγοι.

53 Art. 27. *licet expressè non sit scriptum, Filium esse Patri consubstantialem.*] Falsum: nam dicebat Christus, *ego & Pater vnum sumus*, Ioan. 10. & similia multa.

54 Ibid. *quia conforme est prædicationi Apostolicæ.*] Imò conforme planè Scripturæ sacræ. Cæterùm etsi rem ipsam Constantius improbabat; ibi tamen non de re, sed de voce erat controuersia: quapropter dicebat Constantius, *nolo verba quæ non scripta sunt*, vt diligens patronus scripturæ videretur. Aliud autem est vox, aliud doctrina tota. Traditio est doctrina non scripta, suprà cap. 2. vox est doctrinæ instrumentum, non doctrina ipsa. de re autem, non de vocibus agitur propriè, quum traditiones oppugnantur. Sic fallit disputator homonymia. De re autem ipsa, quòd non sit hoc dogma ex traditione, diximus suprà cap. 6. nota 3.

55 Art. 28. *aboleri potiùs voluisset.*] Inconsequens: nam malè detorquetur Hermanni interpretatio. sed valeat.

56 Art. 29. *quos cæteri constanter referunt in Apostolos auctores.*] Bene est, *ritus*: non alias igitur doctrinas aut dogmata substantialia, sed vnius illius doctrinæ mysticæ in verbis & signis formulas extra Scripturam institutas. Quod autem referuntur in Apostolos auctores, sic plebi religio injicitur, non adfertur probatio.

57 Ibid. *docet quadragesimam à Christo præceptam.*] Non verbo videlicet & traditione mandante, sed narratione exempli historica, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Luc. 4. quam quidem historiam Christi prisca Ecclesia religiosè & minimè malè recolebat doctrina, isti verò superstitiosa obtrudunt & imperant tyrannide.

58 Ibid. *traditionem non scriptam.*] vt nota. 27.

59 Art. 30. *congruo ieiunamus.*] vt suprà cap. 3. nota 15.

60 Ibid. *auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.*] Scriptæ quidem legis, at non diuinæ tamen: nam & humanæ sunt leges, politicæ aut Ecclesiasticæ. non ergo sequitur ex insufficiente enumeratione.

61 Art. 31. *Aduentus de cœlo spiritus sancti anniuersaria solennitate celebratur.*] Et hæc ritualia sunt, ac non ad fidem moresque pertinentia. Ritualium verò institutionum atque δογματικῶν longè disparem esse rationem nouerunt omnes, & sæpe docuimus, etiam huius cap. nota 5. & 33. & 40.

62 Art. 32. *At contrà.*] Elenchus: nam liberæ sunt obseruationes respectu conscientiæ Christianæ, quam ab omni seruitute Christus vindicauit, Galat. 5. at non respectu externæ obseruationis, vbi legitimo ordine sine conscientiæ iactura recepta est ceremonia. Hæc ergo nihil contra Brentium.

63 Ibid. *distinguit inter has Apostolicas traditiones necessarias, & obseruationes liberas.*] Fallacia duplex: nam primùm ex enunciato disiunctiuo, *aut ab Apostolis esse, aut à plenariis Conciliis*, fit simplex & categoricum, neglecta Augustini modestia, quæ longè probabiliùs dicit: secundò necessitatem libertatemque conscientiæ disputator confundit artificiosè cum necessitate & libertate in vsu posita; quem elenchum modò distinximus.

64 Ibid. *qui secundùm astrologorum regulas obseruant*

seruant tempora.] superstitiosa videlicet obseruatione, ad quam respexit Brentius.

65 Ibid. *Ambrosius aliàs vtramq; simul expositionem amplectitur.*] videlicet vt diuersas species sub eodem genere comprehensas. Non ergo est differens propriè inter se Patrum interpretatio; sed pro sermone instituto varia fit generis ad species suas accommodatio. Generalis enim propositio hæc est, superstitiosam dierum institutionem obseruationemque improbari, nec ab Apostolis esse. Quam profectò legem hodiernis quoque obseruationibus tribui necesse est.

66 Art. 34. *& hoc docere in locis allegatis.*] Hîc bonam fidem à Bellarmino desiderare liceat. Sic enim expressis verbis Chemnicius, *Sed Augustini quæstio in illo loco hæc est*, &c. Non ergo de his locis omnibus, quos certo consilio Bellarminus confundit, sed de primo illo respondit Chemnicius in hanc sententiam. Etsi hoc verissimum est, Augustinum his locis omnibus de exemplis, non de præceptis agere; præterquàm in illo de vnitate Ecclesiæ, *Hic fortè dicis*, &c.

67 Ibid. *proinde hanc traditionē esse scriptam.*] Hanc responsionem confirmat Augustinus ipse illis verbis quæ paulo antè adducta sunt, *hoc apertè atque euidenter neque ego lego, nec tu*, &c. Sensus enim est, quamuis hoc exertè expressis verbis in Scriptura non obseruauerit, aut dici meminerit, rem tamen in Scriptura dici & ex ea probari posse: quemadmodum Augustinus ipse eiusdem libri cap. 14. verba Scripturæ allegauit, quæ à Chemnicio ibidem paulo pòst adferuntur.

68 Art. 36. *de exemplis agit.*] Non ergo fallitur in eo Chemnicius.

69 Ibid.

69 Ibid. *sed de præceptis, siue de documentis scripturæ.*] Falsum: & reclamant vbique ipsa Augustini verba.

70 Ibid. *Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.*] Atqui proximè antecedunt ibidem illa Augustini verba, *Apostoli nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa,* &c. quæ verba etiam deleri de præcedente pagina, si verus Bellarminus est, oportuit. Sensus autem est, non malè credi & opinionem in vulgo esse, quòd Apostoli ea præceperint. Aequiuocè dictum. Eadem in obiectione sequente veritas.

71 Ibid. *Donatistas non certasse de exemplis, sed de iure.*] Sed Patres ius istud ab exemplis etiam vniuersæ Ecclesiæ, & semper obseruatis confirmabant. Hæc igitur exceptio φλυαρεῖ.

72 Art. 37. *rectissimè creditur ab Apostolis introducta.*] præsertim verò hoc fundamento posito, quod tum quidem re adhuc ferme recente & puriore seculo poterat obtineri; nempe & vniuersam Ecclesiam, & semper, hanc consuetudinem tenuisse ante Agrippini & Cypriani tempora.

73 Ibid. *patet tum ex ipsis libris.*] Falsum: consulantur libri.

74 Ibid. *nullum exemplum extare in Scripturis de hac re.*] Negatur consequentia: nam fuit quidem præcipua quæstio de anabaptismo, sed probatio eius tunc petebatur ab exemplo & consuetudine.

75 Art. 38. *consuetudinem non rebaptizandi esse ab Apostolis traditam.*] Damus profectò Augustini dictum, *quod & vniuersa tenet Ecclesia, & semper inde ab Apostolorum temporibus tenuit, traditionem esse Apostolicam*

stolicam: sed quid hoc ad innumeras istas traditiones Pontificiorum? hæ enim vtraque illa conditione, aut certè altera destitutæ sunt.

76 Art. 39. *traditione, quam declarabat Ecclesiæ consuetudo, & quam etiam posteà declarauit Concilium generale.*] Falsum: nam contrà adfirmat Augustinus iis in locis quos adduxit Chemnicius: vt & lib. 2. cap. 6. inquit, *adferamus diuinam stateram ex scripturis sanctis*, &c. Præterea non simpliciter consuetudinem Ecclesia profert, sed magis secundùm quid, eo quòd Cypriani auctoritatem à se Donatistæ obtenderent. Hæc causa fuit, cur auctoritatem reliquæ consentientis Ecclesiæ opponeret. Quòd autem ex locis citatis probationem factam esse statuit, ibidem est à nobis confutatum.

77 Ibid. *vniuersæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmat.*] Vide, vt per falsam consequentiam illa incredibili modestia Augustini abutatur. Sensit enim Augustinus, pios testimoniis Scripturæ credere; sed in rebus controuersis, etsi de fide sua certi sunt, tamen modestè agere, nec audere aut velle sententiam suam pertinaciter asserere, donec publica Ecclesiæ testificatio accesserit: id enim esse quod vetat Paulus 1. Cor. 14. φιλονεικεῖν. An ergo, per Deum immortalem, illam sancti viri modestiam derogare de auctoritate verbi diuini oportebit?

78 Art. 40. *& coniuncta prima cum postremis.*] Non mala fide, sed iure publico & communi vsu; quo auctoritates vel indicantur solùm, vel partes earum adferuntur resectis iis quæ non sunt opus ad sermonem institutum, vel contrahuntur in summam, vel adferuntur integræ, vel augentur etiam declarationibus. Hanc libertatem publicam Chemnicio adimi, & Bellarmi-

Bellarmino adiudicari quis ferat, nisi consors? nam Bellarminus hîc aliquid adimit de Augustini verbis. Quid verò, quòd etiam corrumpit Augustini verba, *donec plenario*, inquit ille, *totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, remotis dubitationibus firmaretur*. Hîc enim substituit noster, *sentiendum erat*: nempe vt suo πείσματι proximè sequenti iter munitaret.

79 Art. 41. *non potuisse ex Scripturis finiri quæstionem illam ante Concilium Ecclesiæ plenarium.*] Contrà verò, Augustinus illis verbis asserit certa quidem Scripturæ sacræ documenta exstitisse, atque adferri potuisse, & credenteis bonos iam tum ea testimonia sensisse acri illo fidei Christianæ sensu; sed apud hæreticos imperitumque vulgus, quod externa specie (id est, hæreticorum cothurno) non iudicio agitur, firmamentum ab externo illo Ecclesiæ vniuersæ consensu secundùm Scripturas accessisse. Proinde Scripturæ documenta in sese, & in fidelibus à Deo doctis certa sunt; in aliis verò adsumunt foris aliquam certitudinem, Augustino teste; vt lib. 3. cap. 8. nota 12. Sicut in verbis falsum committit Bellarminus, in argumento fallaciam ex elenchi ignoratione.

80 Ibid. *Scripturæ tamen explicatæ à Concilio, firmiter & certò probant id quod anteà non firmiter probabant.*] Non abest à blasphemia dictum, Scripturas non probare firmiter sine Concilio. Concilium ergo est Scripturæ firmamentum ἀποδεικτικὸν, Papa Concilij. Apage istam insaniam.

81 Ibid. *non potest colligi ex isto loco solo.*] Inconsequens omnino argumentatio, nec modo, nec figura constans Dialectica, nec medio vllo. De charitatis enim officio erga homines Augustinus agit, non de pro-

de probatione doctrinæ in loco illo. Hic verò aberra, (quod aiunt) à ianua.

82 Art. 42. *non autem probat baptiſmum hære corum eſſe verum baptiſmum, de quo eſt noſtra quæ ſtio.*] Atqui hoc ipſum eſt τὸ κρινόμενον, vel Bellarmino teſte. Dixit enim antehac, ſecundum Chemnicij reſponſum probari ex hoc loco. Quod autẽ fuit reſponſum illud? *non eſſe hæreticos rebaptizandos*, Bellarminus inquit. Falſa igitur eſt ſequens adfirmatio.

83 Ibid. *vt iterum lauet.*] Falſum: nam & alios Scripturæ locos Auguſtinus protulit, Ioan. 3. Epheſ. 4. &c. & finem omnino alium habuit propoſitum, vt tota eius commonſtrat diſputatio.

84 Art. 43. *per ſe autem non ſufficiunt.*] Triplex falſitas: prima, coniecturas ex Scripturis eſſe; cùm Auguſtinus apertè dicat; *poteſt etiam dici, quod veritas declarauit, hoc ſequimur*: ſecunda, per ſe non ſufficere Scripturæ teſtimonia, id eſt, Soli fœnerandam lucem: tertia, Scripturas valorem à Concilij definitione accipere, id eſt, Deum ab homine, diuinas ab humanis rebus. ô tempora!

85 Ibid. *additis etiam ſcripturis, &c.*] En Rhetoris argutias: qui cùm ab ordine enunciatorum argumentari velit, non videt hunc iuſtum ordinem incrementorum eſſe, vt à minimis ad maxima in adfirmationibus aſſurgatur. Sic principium ducitur à conſuetudine, hanc roborat Concilium, vtrumque Scriptura iudicat.

86 Art. 44. *baptiſmum datum ab hæreticis eſſe ratum.*] Crimine vacare oportet, qui crimen obiicit. Hîc mala fide bifariam agitur, in Auguſtinum, & in Chemnicium. Auguſtinus copulatè vtrumque aſſerit: Chemnicius, quia de priore ſolùm quæſtione agebat,

non alia adduxit verba quàm quæ ad suam quæstionem pertinebāt: Bellarminus autem prius membrum Augustino adimit, vt ægrè faciat Chemnicio. Quid, quòd vnum, *&c.* in Chemnicij verbis veteratoriè dissimulat? quo additamento Chemnicius ostendebat alia quidem præterea apud Augustinum esse, verùm ea se omittere quæ ad suam quæstionem minimè attinebant. Agat porrò Bellarminus, fidemque suam probet his artibus.

87 Art. 45. *an baptismus hæreticorum esset verus Christi baptismus, necne.*] Argutiæ. nā ex verbis Augustini necessariò ponuntur duo: vnum, etiam ab hæreticis (non dico omnibus) baptismum Christi accipi: alterum, si rebaptizantur qui baptismum ab eis acceperunt, id contra Dei mandatum esse. Hæc Bellarminus scilicet vidit minus.

88 Art. 46. *qua scriptura conabantur aduersarij probare contrariam sententiam.*] Negatur: nam & sententiam illorum ibidem refert, & confert suam, vt clamant illius verba; idque ex traditione Scripturæ (sic enim vocat) ne traditionem isti pro doctrina non scripta semper apud Patres accipi glorientur. Consulatur locus.

IN CAPVT VIII.

1 Art. 1. *colligimus eas non esse reiiciendas.*] Nec consequentia est necessaria, cùm nec hæretici traditiones omneis refugiant, nec omneis recipiant orthodoxi; indefinita igitur propositio est, ex qua nihil sequitur: nec vera inductio; nam Quartadecimani, & alij pro traditione pugnarunt, vt Eusebius ipse confirmat de Patribus Orientis in historia Ecclesiastica. Con-

ca. Contrarium verò adfirmat Irenæus lib. 3. cap. 2. traditiones enim hæretici adfirmabant; sed suas, vt faciunt Pontificij.

2 Art. 3. *Donatistæ quoque semper Scripturis vrgebant.*] Sed & Concilij illius Africani, id est, Cypriani & aliorum obtrudebant auctoritatem: quibus Augustinus ex aduerso consentientem omnium retrò ætatum per omneis Ecclesias consuetudinem opponebat, vt antè diximus.

3 Art. 4. *Epiphanius hær. 69. & 73.*] Hæc non satis commodè Bellarminus de Arianis enunciat. isti enim tum doctrinam orthodoxam Scripturæ sacræ oppugnabant; tum vt patroni scripturæ viderentur, vocibus reclamabant quæ in Scripturis non legebantur expressæ, vt quum essentia, persona, trinitas, homousion diceretur. Ad hoc posterius spectabant Constantius, & Maximinus, vt exposuimus suprà cap. 6. nota 3. & cap. 7. not. 54. Scripturam ergo Dei oppugnabant, & Ecclesiæ voces seu verba, vt Hilarius & Augustinus indicant. Sequentes verò hæretici sic orthodoxorum traditiones oppugnabant, vt propugnarent suas: non ergo omneis oppugnabant.

4 Art. 5. *Lutherani dogma suum de traditionibus contemnendis.*] At non omnibus; sed iis demum quæ cum veritate & simplicitate Christi pugnant, superstitionem apportant, & iugo suo conscientiis hominum imposito libertatem eripiunt eis quam Seruator Christus suo sanguine comparauit.

5 Ibid. *de iisdem cum omni honore recipiendis.*] Negatur: nam de quibusdam traditionibus, non autem quibusuis, hoc sancti Patres docuerunt; & nos meritò religiosam Augustini modestiam quæ exstat in epistolis ad Ianuarium, desideramus in Pontificiis.

6 Art. 6. *His adde morem omnium gentium.*] on sequitur ex dispari. nam mos omnium gentium causa religionis fuit cœcus ἐγγράφως, ἀγράφως. at Iu-os reuelatio legis diuinæ illustrauit. Iudæis autem m lex Dei fuerit lux, traditio certè fuit ipsis à lege aberratio, Esai. 29. 13. Matth. 15. 3. Quorsum Christianis mos funestus & exitialis adducatur?

7 Ibid. *non omnia sufficienter continuerit lex vetus scripta.*] Et nos id confutauimus suprà cap. 4. lex enim sufficienter omnia continebat significatione, quæ Euangelium continet complemento.

8 Ibid. *populus ille, etiam post Mosem natum, sine lege scripta vixerit.*] Non sequitur ab exemplo vnius particularis temporis ad alterum, cuius diuersa ratio. Deindè verò semper illa traditionum distinctio retinenda est, quam nos cùm alibi, tum cap. 7. nota 5. tradidimus.

9 Art. 7. *Cæsar. lib. 6. de bello Gallico.*] Dispar ratio. Nam in rebus humanis homo deficit, & supplet, nec vnquam sine defectu & imperfectione facit; in diuinis verò nunquam deficit Deus. Quòd si deficere in re vlla (quod absit) diceretur, quis homo suppleat?

10 Art. 8. *eadem tribuitur auctoritas legi scriptæ, & consuetudini non scriptæ.*] Itidem dissimile à rebus humanis ad diuinas. Deinde ita est consuetudo, & hanc auctoritatem obtinet, nisi cum veritate, iure, & ratione pugnet, *dist. 8. cap. mala consuetudo,* & sequentibus: cuiusmodi non paucas obtrudunt Pontificij.

11 Ibid. *natura ipsa quodammodo clamare videtur traditiones non scriptas, vel necessarias, vel certè*

certè vtilißimas esse.] At non clamat id tamē. Nam si id faceret, tum assurgendo supra se ipsa se euerteret (nam quomodo natura superiora se indicet?) in Deum auctorem suum blasphema esset, cui nihil extra se necessarium, aut vtile esse pōtest.

12 Art. 9. *columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3.*] Aequiuoca, & inconsequens argumentatio. Nam primùm dignitas Ecclesiæ vniuersalis quæ est in cœlo & in terra, confunditur cum dignitate huius terrenæ & militantis Ecclesiæ æquiuocè, ac potiùs ἀλογίςως, tamquam si quicquid prædicatur de toto indiuiso, idem etiam de parte propriè prædicari posset. Deinde verò non sequitur, si dignissima est iure, scientia, conscientia, auctoritate, officio, ergo quaslibet traditiones ab ea institui posse. Etenim dignissima quidem est supra omneis homines; at nō supra sponsum, Legislatorem ipsius & nostrum: potest quidem supra omneis; at non supra sponsum, aut fedus illius, aut acta publica per Spiritum & seruos eius consignata, id est, scripturam sacram.

13 Ibid. *in solam Ecclesiam tanquam in depositorium diues repositam ab Apostolis scientiam rerum diuinarum.*] Non sequitur: nam primùm dignitas est illius, quam scribit Apostolus Rom. 3. 2. *primarium illud est, quòd ei concredita sunt Dei oracula:* secundò autem aliud est habere, aliud scire. alioquin bibliopolæ forent omnium hominum scientissimi: postremò quis nescit donorum & vocationum gradus differenteis esse, ex quibus dignitas maior aut minor, magis aut minus cognoscitur? De loco autem Irenæi, cuius hic corrumpuntur verba, diximus suprà cap. 7. nota 15.

14 Art. 10. *& Innocentius 1. in epistola prima.*]

Negamus hoc ad probandas quasuis traditiones face-
re. Nam si substantiam finemque rerum sacrarum
spectes, optimè cum Mose dixeris Num. 11. *at vtinam
omnes Prophetæ essent*: sin autem earum modum & or-
dinem, vtrumque agnoscimus pro captu & conditio-
ne eorum, apud quos agitur, contemperari oportere.
In his autem illa sunt quæ ritualia appellamus. Horum
enim multa (vt optimè docuit Cyprianus) Ecclesiæ
commoditati piorumque Dei administrorum iudicio
permissa agnoscimus esse: sed tamen hac lege, vt pru-
denter obseruent vetus illud dictum, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

In Caput ix.

1 Art. 2. *ex Apostolorum traditione id haberi.*] Subiungatur huic regulæ istud: At vniuersa Ecclesia nihil tamquam dogma fidei amplectitur, quod non inueniatur in diuinis literis: nihil ergo tamquam dogma fidei ex traditione est. Minorem probo ex libri 1. cap. 2. à natura Dei, scripturæ, notariorum, &c. Vana itaque sequentia.

2 Ibid. *quod Ecclesia de fide esse credit, sine dubio est de fide.*] Antecedens æquiuocum: nam aliud est Ecclesia vniuersa seu vniuersalis, aliud Ecclesia huius temporis, loci, Ecclesia hæc, &c. Consequens verò falsum.

3 Ibid. *euidenter inde deducitur.*] Addendum, & quod consignauit scripto, vt his temporibus vltimis perfectè haberentur quæcunque ad salutem oportet credi.

4 Ibid. *& Prophetarum.*] Vtinam ne Rom. il-
le prin-

le princeps præceps in contrarium rueret: conclusio itaque falsa.

5 Ibid. *perpetua virginitas beatæ Mariæ.*] Et nos hanc quidem credimus, vt dogma fidei, ad tempus vsque salutaris partus, ex Scriptura sacra testamenti veteris & noui: perpetuam verò virginitatem eius post partum, & quidem ad mortem vsque, credimus vt assensu dignam, non autem vt dogma fidei. Exemplum ergo istud nihil ad regulam.

6 Ibid. *numerus librorũ Canonicorum.*] Hunc omnino credimus ex diuinis literis. Nam si libri sunt, & discreti sunt, certè in numerato sunt. At non est numerus, inquies, eorum expressus. Falsum: exprimitur numerus in re numerata, licet non exprimatur numero numerante, vt vocant. Plus autem est in re profectò numerata numeratum esse, quam in numero numerante: plus est numeros militareis reipsa esse, quàm dici numerante numero: hic semper in illo est, in hoc autem ille minimè: relata quidem sunt; sed res numerata fundamentum est numeri: ergo maior.

7 Art. 3. *necesse est dicere ab ipso Christo &c Apostolis eius traditum.*] Subaudi, si seruat iure: nam ex facto vel Antichristus ipse potest aliquid Ecclesiæ tradere, 2. Thess. 2. Propositio itaque non est vniuersalis simpliciter, sed particularis: ex qua nihil sequitur necessariò. Huius autem regulæ negatur assumptio; nempe in causa fidei exstare quicquam eiusmodi in vniuersa Ecclesia quod non inueniatur scriptum. Probationis eadem quæ antè ratio: nam & æquiuoca est vniuersæ Ecclesiæ appellatio; & principium petitur, quum Ecclesia hæc vniuersa (quam vocant) dicitur errare non posse. Sed de hac re locus erit dicendi posteà controu. 4. lib. 3. cap. 14.

8 Ibid. *nec enim potest Ecclesia dare baptismo auctoritatem, si eam à Christo non habet.*] Duo ista exempla nihil ad regulam faciunt: nam eorum alterum expressum est in Scripturis, vt tomo 2. dicturi sumus; alterum inde euidenter deducitur, vt Bellarmini vtamur verbis.

9 Art. 4. *quærentes originem huius instituti, non inuenimus nisi tempore Apostolorum.*] Hæc quidem regula cum veritate conuenit, & Augustini verbis. Exemplum verò sicui probabitur, is non admodum valebit iudicij sensu. Nam neq. ab Ecclesia vniuersa, neque omni tempore seruata fuit Quadragesima. Christus semel seruauit, non semper: nec seruauerunt Apostoli, dum sibi Christus adfuit, Matth. 9. posteà non leguntur seruauisse. Exinde ritus fuit primùm religiosæ commemorationis, sed voluntariæ & particularis: sequuta est particulare quorumdam factũ, & æmulata complurium imitatio κακόζηλος. hæc in superstitionem abiit, superstitio necessitatem attulit, &c. Consulantur Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. Eccles. cap. 26. Socrates lib 5. hist. Eccles. c.22. & Augustinus epist. 86. ad Vrbicum. Summa, falsum hîc dicit Bellarminus, originem illius instituti non inueniri nisi tempore Apostolorum: nam nec Apostolorum tempore inuenitur factam institutionem Quadragesimæ; nec alio tempore inuenitur, quàm Thelesphori Papæ: postremò autem vt non inueniretur, tamen nihil consequeretur ex auctoritate negatiuè.

10 Ibid. *à posterioribus ex cacozelia excogitatam.*] Verè de præsente Quadragesimæ apud Pontificios obseruatione dictum: nam hisce postremis temporibus obtinuit superstitio inde ab ætate Leonis 1. vsq. ingrauescens magis ac magis: inde si retrò ascenderis,

deris, Augustini aliorumque seculo publica fuit Quadragesimæ, qua ieiunauit Christus, commemoratio obseruata; sed ieiunium Quadragesimæ superstitiosè ab Ecclesiis personisque particularibus impositum, quamuis libertatem piorum fideliter contestantibus sanctis Patribus, vt ipse Augustinus testatur epist. 86. ad Vrbicum: nam in epistola ad Ianuarium non de imperato illo ieiunio, sed de obseruatione dierum 40. illorum religiosa dicit, eam consensione Ecclesiæ roboratam. Primis verò seculis atque incorruptioribus fuit Quadragesimæ commemoratio sancta in Ecclesiis sine vlla superstitione, aut imposita necessitate ieiunij. Sic accipiendi Patrum singulorum loci pro ratione temporum inclinantium.

11 Art. 5. *Irenæus apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24.*] Atqui hic commemorationem quidem ieiunij Quadragesimalis non dicit, sed antepaschalis ieiunij obseruationem fuisse docet, libero tamen & variãte exercitio pro iudicio & commoditate cuiusque: his enim verbis vtitur, καὶ οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσάν τε, καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους· καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. *Sed nihilo*, inquit, *minus hi omnes pacem inter se coluerunt, & inter nos colimus: atque hæc differentia ieiunij consensionem fidei ipsius commendat.* Itaque vel hoc vno testimonio sequentia omnia falsi euincimus. Nam Telesphori atque Ignatij adornatas fuisse oportet epistolas post Irenæi tempora (non enim fuisset ignoraturus eas Irenæus) & ipse modus, materia, formaque epistolarum id clamare videtur palàm. Clementem verò & canonas Apostolorum ipse Gelasius & Romana Synodus apocryphos pronunciat, *distinct.* 15. & 16. apud Gratianum. Etenim reuera si hæc tunc temporis palàm exstitissent scripta, nec Irenæum

res fugisset, nec Augustinum, & alios qui ita scripserunt.

12 Art. 6. *Sorbonistas, & canonistas.*] Falsum: hæc enim sunt ipsa Caluini verba, *De veteribus Acoluthis, & Lectoribus alibi dictum est, quum Ecclesiæ ordinem exponeremus. Nobis hîc propositum est duntaxat pugnare contra nouitium illud inuentum de septemplici sacramento in ordinibus Ecclesiasticis: de quo nusquam alibi quàm apud ineptos istos rabulas, Sorbonistas & Canonistas legitur.* Ergo veterem vsum Caluinus non negat, sed abusum impium qui hodie obtinet, quòd nempe indita fuerit eis noua sacramentorum religio. Non rem exagitat, sed superstitionem adnatam. Quamobrem quid opus fuit testimoniis? Etsi horum testimoniorum alia accipimus, alia (vt antè nota 10. & 11.) certo iudicio rejicimus. Sed de his tomo 2. controu. 5.

13 Art. 8. *credendum est, Apostolicam esse traditionem.*] Datur hæc regula bene intellecta, vt à Vincentio Lerinensi exponitur: *In ipsa catholica*, inquit, *Ecclesia magno opere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est etenim verè proprieq; catholicum*, &c. Alioqui quadruplex hîc latet homonymia: prima, *Ecclesia*, vtrùm incorrupta an corrupta? plus corrupta & impura, an minus? verè ne an falsò dicta? secunda, *Apostolica*, ab ipsis'ne Apostolis, aut à viris Apostolicis, aut ab Ecclesia & sede aliqua in qua sederit Apostolus, dicatúrve sedisse? tertia, *omnibus*, vtrùm secundùm quid, vnius seculi, an simpliciter seculorum omnium? nam coniuncta non est æquum diuidi. quarta, *Doctores*, vtrùm re an titulo solùm? nam Doctor propriè est vir bonus docendi peritus. Ratio itaque frustra subnectitur, & exempla quoque illius; si has cautiones

tiones omneis, quas modò perstrinximus, verè diligenterque expenderis.

14 Ibid. *imaginum veneratio: quam esse re Apostolica traditione asseruerunt Doctores Ecclesiæ congregati in Concilio Niceno 2. generali, act. vltima.*] Sed asseruerunt falsò, vt superiores distinctiones docent. Nam Ecclesia Apostolica seculis aliquot idolis imaginibúsve caruit: tum Doctores illi cuiusmodi fuerint, quàm bene instituti, quàm festiui in dicendis sententiis, res ipsa, & verbum Dei, & aliæ historiæ demonstrant: Ecclesiam denique illam constat iam eo tempore in magnas & graueis corruptiones degenerauisse, quæ præiudicare nec debent, nec possunt veritati.

15 Ibid *quando autem in re graui aliquis veterum errauit, semper multi inueniuntur qui contradicunt.*] salua tamen semper supra omneis alios Patres auctoritate Dei, Prophetarum, & Apostolorum in Scripturis sacris.

16 Art. 9. *tanquam in Ecclesia ab omnibus receptarum.*] Et nos pari ratione possumus conuincere, non probari multa. Plura enim rogata (vt vocant) hic callidè componuntur contra iustæ disputationis præcepta, vt implexa Patrum auctoritate imperitis inuoluātur. Sed de his omnibus tomi 2. controu. 2

17 Ibid. *huius obseruationis meminerint.*] vide suprà nota 9. & 10. & cap. 3. nota 14. & 15.

18 Art 10. *Apostoli tradiderunt successoribus suis cum officio Episcopatus etiam doctrinam religionis.*] Concedimus, siquidem verè integra est successio; principalis in doctrinam, quæ est formale; & secundaria in vocationem, quæ est materiale iustæ

successio-

ſucceſſionis, vt Irenæus & Vincentius Lerinenſis ipſe optimè diſtinxerunt. At quotuſquiſque eſt apud Pontificios hoc noſtro ſeculo, qui iſta comprobare poſſit?

19 Art. 11. *ibi conſeruari Apoſtolicas traditiones.*] At neque auctoritatem illam Apoſtolicam plenitudinemque ſpiritus in ſucceſſores ſuos tranſtulerunt Apoſtoli, nam gratia illa fuit perſonalis; neque ſucceſſores omnes idipſum quod ſibi commendatum eſt integrum adhuc conſeruarunt. Teſtes hiſtoriæ ſacræ & profanæ; in primis autem hodierna Eccleſiarum iſtarum, quæ plenis buccis hanc ſucceſſionem obtendunt, conſtitutio.

20 Ibid. *defecit certa ſucceſſio in omnibus Eccleſiis Apoſtolicis, præterquàm in Romana,*] Et vnde probetur, quæſo, Alexandrinæ & Antiochenæ Eccleſiæ ſucceſſionem magis quàm Rom. defeciſſe? vbi & Epiſcopi inuicem ſuccedentes perdurant adhuc, & noua doctrina eis non magis quàm Romano Pontifici & Pontificiis objici poteſt. Nam Romana perſonarum quidem aliquam ſucceſſionem habet; doctrinæ verò incorruptæ & iuſtæ vocationis, minimè.

21 Ibid. *à doctrina & ritibus Eccleſiæ Rom. diſſentiunt.*] Ex falſis antecedentibus falſum conſectarium. Negamus iſta.

IN CAPVT X.

1 Art. 3. *non ait, ad verbum quod ſcripſi, ſed quod ego præcipio.*] Atqui de ſubſtantia eius, non de modo formáve eius externa agitur. Scripti autem & non ſcripti verbi ſubſtantia vna eſt; ſiue ad materiam, verbum Dei; ſiue ad eſſentialem formam, veritatem diuinam & θεόπνευστον reſpexeris. Tergiuerſatur, qui à ſub-

ſubſtantia ad modum tranſſilit, inconſequente argumentationis genere. Deinde falſum eſt agi de pronunciato ſolùm verbo: nam totam ſubſtantiam pronunciati illius verbi Moſem Deus iuſſit perſcribere, & perſcripſit Moſes, tamquam fidelis ſeruus in domo Dei, & publicus eius ac totius Eccleſiæ actuarius à parte vtraque inſtitutus, Deuter. 31. & 32.

2 Ibid. *neque ad ſiniſtram.*] Negamus reſtrictionem iſtam. Quod enim de verbo pronunciat Deus, id æquè dicitur de ſingulis partibus illius, quia nihil non eſt θεόπνευστον. proinde non magis ad totum quàm ad partem ipſius, vel contrà, licet adjicere, mutare, aut deminuere. Ratio: nam verbum peræquè in ſuis partibus atque in toto perfectum eſt, vtpote ὁμοιομερὲς ſubſtantia ſua; rei autem quæ in hunc modum perfecta eſt, non poſſunt iſta accidere ſine ſubſtantiæ interitu.

3 Ibid. *alioqui peccaſſent Prophetæ & Apoſtoli, qui tam multa poſteà addiderunt.*] Falſum: primùm enim Deus ipſe addidit, non autem illi: deinde non eſt in ſubſtantia additum, detractum, aut mutatum quicquam; ſed modo eius ſolùm iſta acciderunt, vt poſteà exponitur.

4 Art. 5. *traditiones non ſunt additiones, ſed explicationes.*] Negamus hoc verum eſſe, de omnibus traditionibus. Sunt enim traditiones in Eccleſia Rom. quæ addunt, demunt, mutant, & aduerſantur verbo, vt paſſim oſtendemus. Et ipſe Bellarminus, velut ſui immemor, fatetur paulo pòſt *traditiones non continere nudam expoſitionem verbi*, &c.

5 Ibid. *in lege Moſis non continentur Prophetarum ſcripta.*] Falſum: nam Prophetæ nihil fuerunt aliud, quàm Legis diuinæ interpretes.

6 Ibid.

6 Ibid. *miracula, &c. ibi non habetur.*] Et hoc falſum: nã habentur iſta in teſtamento vetere ſecundum principia & ſubſtantiam totam rerum, tum ſimpliciter, tum ſuo ſignificandi modo: & certi loci de eis adferri poſſunt. Trinitatem perſonarum Moſes & Prophetæ annunciauerunt: quid enim Dauid? quid Eſaias, inde à cap. 48. ſingulis ferme capitibus? Sacramenta noui Teſtamenti ſacramentis veteris præſignificata ſunt. Miraculorum prædictiones (etſi miracula ſigna ſunt, nos autem de rei ſubſtantia & veritate agimus maximè) videntúrne Eſai. 32. & 34. & 35. & alibi reticeri? Peregrinantur aures & oculi hominis in teſtamento vetere, qui iſta non videt.

7 Art. 6. *Meſſiæ temporibus prohibenda eſſe ſuffocata & ſanguinem?*] Neque hoc verius ſuperioribus. Nam contrà, interdictum ſeruandi legalia habetur Deut. 30. Pſal. 110. Ierem. 32. alterum verò rerum ἀδιαφόρων ſeu mediarum eſt; à quibus caueri iuſſerunt Apoſtoli, non abſolutè propter vllum præceptum Legis, ſed κατά τι, ne infirmioribus daretur offenſio, ac potiùs vt ædificationi omnium conſulerent: quod ipſum imperatur Lege, ne cui vel cæco ponatur offendiculum, vt Deuter. 27. 18. *Prohibenda* igitur intellige non ſimpliciter, ſed ad tempus; nec propter ipſa, ſed propter aliud. Atque hoc Chriſtianorum erga infirmos officium in teſtamento vetere paſſim prædictum eſt, vt Eſai. 32. & 34. & 42. &c.

8 Art. 7. *non continentur, nec debent contineri.*] Iſtud vniuerſale negamus eſſe. Nam ſiquæ traditiones addunt, mutant, detrahunt de ſubſtantia verbi ſcripti, eæ nec in particulari, nec vniuersè continentur verbo. Sunt autem multæ à Pontificiis eiuſmodi; vt veneratio imaginum, de qua ſuprà cap. 9. & aliæ ſimili-

similiter, de quibus suo loco dicturi sumus.

9 Ibid. 9. *Scripturarum commendat auctoritas.*] At non commendat vlteriùs, quàm prout auctoritati Scripturarum ipsarum (vt debet) acquiescit.

10 Art. 8. *Ioannem ibi prohibere corruptionem libri illius.*] Sed & aliorum quoque librorum corruptionem prohibet; non solùm analogicè, quia verbi Dei (vt quod naturæ spiritualis est) vna est eademque ratio in toto & partibus singulis ipsius; verumetiam propriè atque simpliciter. Non enim dubium est, quin S. Ioannes, qui postremus scripsit omnium Apostolorum, & postulato Ecclesiarum Asiæ, libros suppositios ante obitum seclusit à canone, clauserit Scripturæ canonem libro Apocalypseos, & hoc ipso velut sigillo Scripturam totam, non librum illum solum in Spiritu Dei obsignauerit. Nec refert, vtrùm priùs Euãgelium, an Apocalypsin scripserit: nam post vtrumque perscriptũ Ecclesiis Asiæ circumscripsit canonem, & librum Apocalypseos statuit omnium coronidem, sacramque illam denunciationem apposuit signaculum commune omnium, vt libri 1. cap. 10. ostendimus.

11 Ibid. *non autem ne alij libri scribantur, aut alia dogmata tradantur.*] Negatur.

12 Ibid. *scripsit Euangelium post Apocalypsin.*] Non sequitur: nam in Patmo quidem Apocalypsin, Ephesi Euangelium scripsisse legitur imperante Nerua, postquam è Patmo reuersus esset, vt veteres tradiderunt; sed posteà ante exitum vitæ claustrum totius Scripturæ Apocalypsin ordinauit, & denunciationem illam claustrum Apocalypseos.

13 Art. 9. *sed præter id quod euangelizauimus.*] Atqui vtrumq. substantia perfectum est, & vtriusque perfecta analogia; proinde scriptura perfectum symbolum

bolum est verbi perfectè traditi, vt nota 1. diximus. Si non, Deus (horrendum dictu) fefellerit, & notarii eius fefellerint, & Scriptura falsum imperfectumque speculum fuerit. Huius autem speculi Ecclesia est custos & depositaria, non domina. Proinde igitur est ac si dixisset Paulus, Licet ego, aut nos Apostoli, aut Ecclesia, aut etiam Angelus è cœlo, &c. vt Lerinensis optimè interpretatus est. Cur autem? nempe quia Scriptura sacra subiectum est (vt vocant) adæquatum illi verbo quod fuit traditum. vide Irenæum lib. 2. cap. 47.

14 Ibid. *non licere quicquam asserere contrarium scripturis.*] Imò præter scripturas, prout clamant vtriusque verba. Augustinus enim dicit *præterquàm*, non contra; nec simpliciter dicit verbum, sed expressè ponit, *præterquàm quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis*. Sic retulit antè Bellarminus ipse fermè principio capitis.

15 Ibid. *partim sit scripta, partim non scripta.*] Ambiguè dictum: nam illud, *partim scripta, partim non scripta*, variè dicitur: aut respectu substantiæ, quòd pars verbi diuini & prædicationis Apostolicæ scripta sit, & pars non scripta; aut respectu modi, quòd totum verbum diuinum & prædicatio Apostolica tota vtroque modo fuerit exposita, tota scripto, & tota sermone. Prius negamus: nam prædicationem Apostolicam substantia vnam confirmamus esse, totam sermone, & totam scripto expositam; modo quidem differente, sed in vtrouis perfectè comprehensam, vt suprà nota 1. & 13. dictum. Hinc falsò nectuntur sequentia.

16 Ibid. *Ex vniuersalis enim negatione rectè ducitur argumentum ad negationem particularis: non*

non tamen è contrario.] Atqui hoc non est vniuersale totum, vt vocant, sed commune vel totum in modo. Nam secundùm substantiam spectatur totum vniuersale; substantia autem vtrobique vna est, in sermone & scripto Apostolorum tota: commune verò spectatur secundùm rei modum, quod propterea totum in modo Scholæ appellarunt. De toto vniuersali est lex Logica quam Bellarminus adfert: de toto verò communi lex ista Logicorum est, A communi vel toto in modo ad particulare duci argumenta quæuis negatiua, tam cõmunia quàm particularia, hoc modo: omni prædicatione interdicitur præterquàm euangelizatum est; ergo & traditionibus: nam euangelizatum & scriptum sunt ἀντίστροφα, siue adæquati termini. Falsum igitur corollarium sequens, & fulciendum alio pedamento, si stare oporteat.

17 Ibid. *non procul ab initio*] Nomina quidem Patrum hîc video; sed rem quæ ipsis tribuitur, nusquam in libris ipsorum video. Aliam quercum Bellarmino per me licebit excutere, cùm Romæ sit, apud Querquetulanas viras.

18 Art. 10. *prohibeat dogmata & præcepta contraria & aliena.*] Negatur interpretatio, atque restrictio.

19 Ibid. *& Euangelium suum.*] Alia quidem numero; sed non aliud substantiâ in dogmatico genere scripsit quicquam.

20 Ibid. *Igitur quum dicit præter, intelligit contra.*] non id solùm docebant, sed & alia præterea, vt ipse Bellarminus ex Augustino confessus est suprà cap. 7. Falsa igitur probatio. Nam vt *præter legem* patet multo latiùs quàm contra legem, sic etiam præter scripturam.

 21 Ibid.

21 Ibid. *eadem est vox παρά.*] Negatur: nam [p]timùm non sequitur, si hæc vox vno loco accipitur [a]quiuocè, altero quoq. accipi oportere: semper enim v[e]ctata retinentur significatio, nisi locus aliud postulauerit. Deinde *præter* generalius est, *contra* augustius. Quisquis itaque vocem παρὰ interpretatur contra, verum dicit, at non dicit totum. Seruanda ergo est generalis & propria eius significatio, non deminuenda aut coarctanda temere. Hoc Erasmus imprudens fecit: homo fuit. Ambrosio falsum impingitur. Cæteri Patres, qui hîc laudantur, nobiscum faciunt.

22 Art. 11. *sed recedit de via, &c.*] Et quomodo exponat contra, qui disertè scribit *præterquàm*, vt & Ambrosius? nec aliter hic à Bellarmino ponitur, quamuis aliter exponatur.

23 Art. 16. *dogmata fidei, & morum præcepta.*] Negatur restrictio. nam signa quidem Ioannes dicit, quæ vulgo de miraculis exponi solent: verumtamen non est Bellarminus nescius, Iesum Christum potentem fuisse opere & verbis, Luc. 24. 19. & Christum significationes doctrinæ cœlestis faciendo atque docendo præbuisse, Act. 1. 1. illa autem Ioannis verba respiciunt ad omnia quæ antecesserunt in Euangelio ipsius, estque in hunc modum locupletior eorum sensus. Sed esto sanè. Ioannes de signis dixerit, & miracula propriè intelligantur solùm, vt doctrinæ signa: tamen rectè argumentatus est Chemnicius ex analogia relatorum, & minoris comparatione. Analogia: nam relato vno posito ponitur & alterum; miracula autem signa doctrinæ sunt, id est, cum doctrina de Christo & fide in ipsum perpetuam relationem habent ac necessariam. Vt ergo signa, quia sunt doctrinæ signa, sic etiam doctrinam eis obsignatam tradi

ſufficienter ab Ioanne neceſſe eſt. Comparatione verò minoris: nam qui ſufficienter de mediis ad finem pertinentibus, eadem etiam de fine ſufficienter tradunt; qui ſufficienter de ſignis, etiam de re ſignata tradunt ſufficienter, cùm relata definiantur per relationem ipſorum, nec aliter rectè definiri aut doceri poſſint. Illud autem ſufficienter fecerunt Apoſtoli: hoc igitur quanto magis feciſſe eos putandum eſt? Paulus Act. 20. *non ſubterfugi, quominus annunciarem vobis omne conſilium Dei.* Fuerunt enim ſerui publici, Dei & Eccleſiæ notarij & tabelliones publici, qui pro fide ſua per Spiritum & ſigna & res ſignatas ſufficienter, perfectè, atque θεοπνεύστως fedus, promiſſiones, beneficiaque Dei ſermone expoſuerunt, & vniuerſæ Eccleſiæ in omnem poſteritatem monumentis literarum conſignarunt tradideruntque. Si non fecerunt, quæ in illis fides? ſi fecerunt, quæ fides in Chriſtianis, qui traditiones ſupra inſtrumentum diuinum deſiderant? Quapropter ſequens concluſio fruſtra eſt.

24 Ibid. *ſuperfluæ erunt omnes aliæ Scripturæ.*] Negatur 1. antecedens: nam Ioannes librum Euangeliorum concluſit ſuo, vt & libro Apocalypſeos Scripturam totam; ergo & de aliis ſcripſit communiter cum ſcripto ſuo. 2. negatur & conſequens: nam vt in corpore bene conſtituto ſingula membra ſufficiunt ad id demum ad quod fuerunt, non vt totum; ſed vt in toto; ſic etiam integrales Scripturæ partes, ſufficiunt vt partes, ad id ad quod datæ ſunt, in toto θεοπνεύστῳ & diuinitus ſufficientiſſimo.

25 Ibid. *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.*] Non eſt mendacium, Ioannem vltimum omnium ſcripſiſſe, & hanc clauſulam Euangeliis ſacris appegiſſe, vt nota præcedente dictum. Bellarminus itaque

que in sequentib. ollam exornat suam. negantur.

26 Art. 17. *omnia dicta & facta Christi.*] Distingue, non omnia absolutè & vniuersaliter, id est, singula numero; sed omnia in genere dicta & facta Christi secundùm rationem communem ipsorum, vt cap. 4. aliquoties diximus: nam dicta, facta, exemplaque Christi in posteritatem data ratione communi sunt nostra documenta.

27 Ibid. *Iacobi, & Iudæ, superuacanea essent.*] Conceditur multa alia fuisse necessaria quæ dedit Ecclesiæ Deus; sed ea, id est, Scripturas reliquas, quæ omnes antecesserant, supponebat Ioannes, non autem excludebat, quum ita diceret. Nam Euangelium suum & Apocalypsin Ioannes, qui omnium vltimus fuit superstes, clausulam statuit Scripturæ non suæ solùm, sed etiam vniuersæ illius quam populo suo vnquam dedit aut est daturus Deus. De suis ergo dicebat Ioannes, cùm vt diuinis, tum vt diuinarum omnium clausulis. Sunt autem diuinæ omnes eadem lege analogicè, vt antè cap. 4. & 5. dictum.

28 Ibid. *ea tamen cognitio, etiam sine Scripturis, sola traditione haberi potuisset:*] de his suprà cap. 4. Hæc autem solutio aliud agit. Non enim quæritur, quid alia via efficere potuerit; sed quid voluerit, feceritque potentia sua.

29 Ibid. *nullo modo negandum sit.*] Imò omnia: doctrina enim alioqui foret insufficiēs; quod nec Dei, nec Apostolorum veritas dici à Christianis patitur, prout sæpius ostendimus.

39 Art. 18 *esse scripta sufficienter ea quæ Apostoli scribenda esse putauerunt.*] Omnia autem quæ illi ex Deo audiuerant, vt fideles notarij Dei & Ecclesiæ, scribenda putauerunt; imò scribenda acceperunt

à Spiritu

à Spiritu sancto, & eodem auctore verba & scripta præeunte consignarunt.

31 Ibid. *interpretatio atque intelligentia Scripturarum.*] Negatur prius & posterius dictum: nam & omnia ad fidem pertinentia secundùm rationem communem ipsorum de scripto dari oportuit, & ex Scripturis quoque ipsis peti interpretationem atque intelligentiam ipsarum, vt agnouerunt Patres, & rectè Clemens pronunciat *distinct.* 37. *c. relatum. Non enim sensum extrinsecus*, inquit, *alienum & extraneum debetis quærere, vt quoquomodo ipsum ex Scripturarum auctoritate confirmetis; sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet.* vide suprà lib. 3. cap. 1.

32 Ibid. *alia tamen non legi in diuinis literis, sed ab Ecclesia accipi voluit.*] De substantia doctrinæ hoc negamus planè: itemque & illud quod sequitur, puta in Euangelio ista suo, id est, vniuersali modo contineri. Hoc tam facilè scilicet, Bellarmine, viceris, quàm vulpes pyrum comest.

33 Art. 19. *quæ non continet, ostendit vnde sint petenda.*] Negatur: nam si eorum multa solùm Scriptura continet, non autem omnia, ergo Scriptura imperfecta est: quod autem est imperfectum, id perficere hominem non potest. potest autem Scriptura: perfecta igitur.

34 Ibid. *Paulum eo loco ne hanc quidem sufficientiam Scripturæ tribuere.*] Verba itaque dederit Paulus (quod absit) aut loquutus fuerit imprudentissimè. Nam quid aliud sibi verba illius volunt?

35 Ibid. *ex illo, vtilis est.*] Vtrumque inconsequens.

36 Ibid. *nō sufficere quemlibet librum sacrum.*]

Nimitum secundùm perfectionem singularem ipsius in se nobis non sufficere, sed secundùm perfectionem essentialem totius: qua de re in caput 4. nota 12. diximus. Hoc etenim modo, prout Scriptura doctrina spiritualis est, quod totius est Scripturæ proprium, idem singularum eius partium commune est, suprà nota 2. Vtilis autem & sufficiens est tota Scriptura in se, & totum Scripturæ sumptum essentialiter, licet nobis per partes quas integrales vocant, fiat applicatio. Atque hac ratione dicitur Iac. 2. *qui in vno peccauerit, reus esse omnium.*

37 Art. 20. *quod dicitur de omni scriptura diuinitus inspirata, dicitur de singulis libris qui sunt diuinitus inspirati.*] Hæc probatio à nobis facit, nec disputatoris responsionem iuuat, vt præcedente no. ostendimus: nam hoc secundùm rationem totius essentialis verum est: singuli autem libri vbi seorsim considerantur, hæc totius integralis ratio; æquiuocatione ergo Bellarminus fallit.

38 Ibid. *non loquitur igitur de toto & solo corpore, scripturarum.*] Negatur consequens: nam de toto essentiali loquitur propriè. Deinde verò, vt illud demus, quid tum? loquatur sanè de toto eo quod exstabat adhuc; at plurima exstabant Pauli, atque haud scio an omnia; cùm dicat ibidem paulo pòst, *ego iam libor, & tempus meæ remigrationis instat.* postremò an etiam excludentur cætera ex illa communi analogia, de qua iam sæpe diximus?

39 Ibid. *vtilem fuisse ad docendum, arguendum, &c.*] Quin potiùs in hunc modum? volebat concludere vniuersè, doctrinam sacrarum literarum esse libris testamenti veteris & noui comprehensam. Non enim dicit, tota illa scriptura quæ adhuc exstitit;

tit; sed vniuersè, *tota Scriptura*, aut quæuis Scriptura, occasione partis adfirmans de toto.

40 Ibid. *omnis Scriptura diuinitus inspirata, &c.*] Grammaticorum grex alia omnia pronunciabit. Nam quum dicit Apostolus, *ab infantia*, non excludit reliquum tempus, sed contrà ostendit se agere de toto vitæ illius curriculo ad hoc vsque tempus quo literæ illæ à Timotheo fuerunt lectæ; ac proinde & priorem ad Timotheum, & posteriorem ipsam complectitur: prætereà quum dicit, *sacras literas*, loquitur communiter: quis autem nescit incõsequentem istam esse à communi argumentationem? Postremò coniuncta diuiduntur in hac argumentatione, discere & nosse: nam Timotheus ab infantia didicerat scripturas sacras, vir discebat adhuc, & disciplina non præterita modò, sed & præsente, etiam illius ipsius epistolæ nouerat. Hoc illud est quod dicit Paulus, *At tu maneto in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: teque à puero sacras literas nouisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem*, &c. quid? nonne illam ipsam epistolam in sacris numerabat Paulus? non ergo de scriptura solùm agitur veteris testamenti, quod disputator putat.

41 Art. 21. *non inueniri in quolibet libro has omnes vtilitates.*] Nempe expressas singulariter ad captum nostrum: hoc enim sibi Chemnicius voluit, vt de toto essentiæ, non de partibus integralibus à se agi ostenderet. Sed hanc rimam ὁμωνυμίας reperit Bellarminus libens, vt à quæstione paulisper deflecteret.

42 Ibid. *Aut quod ad correctionem morum pertinet.*] Atqui, vt ita sit, non tamen inuenitur in singulis partibus substantia rerum omnium ad has vtili-

tates pertinentium: vt in epistola ad Philemonem, exempli causa, & consimilibus, non eadē per se continentur quæ in epistola ad Rom. aut Ephes. legimus, etsi interdum per consequentiam quædam eruuntur.

43 Art. 22. *nec deducitur quòd sit sufficiens, quod ei probandum erat.*] Neque verò Chemnicius torquet vocem; sed ex tota sententia concludit, cùm subiiciatur ibidem continenter officium & finis, vel vsus & effectus Scripturæ. Quis autem adeò insanit, vt Scripturam sacram asserat nec officium perfectè facere, nec finem assequi? hæc fallacia diuisionis eluduntur malè.

44 Ibid. *nunquam tamen significabis eam solam sufficere.*] Falsum: nam quod diuinitus vtile est ad institutionem quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, id solum est sufficiens: tota autem Scriptura est eiusmodi: sola igitur sufficiens. Hoc nulla sophistice potest euertere.

45 Ibid. *sed tamen ad hæc omnia prodesse & iuu[a]re.*] Frustra negationem ex dissimili probare nititur. Nam Scriptura instrumentum est perfectum, & solum diuinitus ad fidem salutarem ordinatione diuina adueniens; cibus verò, instrumentum est imperfectum, ac non solum. Vt igitur corporalis cibus foris adueniens alit corpus & vitam hanc continet, sic animas nostras verbum Scripturæ sacræ; sed illud imperfectum, ad miseram hanc & imperfectam vitam, hoc ad perfectam: perfectum igitur, & quidem solum perfectum in aduenientibus foris mediis ad salutem. Fallit autem Bellarminus elenchi ignoratione, quum Scripturam solam negat sufficere. Exclusiua enim vox modò vniuersè simpliciterque negat, modò

dò ſecundùm quid ea duntaxat negat quorum inſtituitur collatio. Quapropter, vt ſimili vtamur ipſius; vitam corporis res inſitæ continent, aut aduentitiæ: inſitæ, vt anima, calor & humor naturalis, inſtrumenta corporis, &c. aduentitiæ, vt alimentum, aër, &c. Sic & vitam ſpiritualem continent alia indita per gratiam, Spiritus Chriſti, donum ſpiritus calori naturali ſimile, fides ſpirituale inſtrumentum, &c. alia aduentitia, vt verbum Dei prædicatum & ſcriptum. Hoc autem ſolum quum dicimus, aduentitia omnia, quæ ab homine confingi poſſent, excludimus.

46 Art. 23. *ſiue per epiſtolam.*] At hæc vitioſa eſt & inconſequens collectio: nam prior locus de ritualibus ſolummodò agit πρὸς τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην pertinentibus, vt ibidem oſtenditur; non ſequitur autem à dicto ſecundùm quid: poſterioris verò fallaciam reteximus ſuprà cap. 2. nota 1. & alibi.

47 Ibid. *non ſufficere quodlibet opus canonicum, quia tunc alia eſſent ſuperflua.*] Non ſequitur: nam Paulus agit de Scriptura vt toto eſſentiali: hic ad partes integrales tranſit æquiuocè, vt decipiat imperitos. vide cap. 4. nota 12.

48 Art. 25. *qui eſſent veri, & qui non eſſent;*] Negatur diſtinctio: nullas enim traditiones ab his leguntur accepiſſe, aut verè probari poteſt: quomodo autem reprehendatur quod non eſt? Exemplum autem quod apponitur, & æquiuocè & falsò ponitur. Aequiuocè dicitur traditio in librorum canonicorum vel non canonicorum argumento. Nam ſi pro actu tradendi acceperis, profectò Moſes & Prophetæ libros canonicos tradiderunt, alios non tradiderunt: atque hîc poſitio vnius eſt remotio alterius, nihil medium. Sin pro doctrina, id verò libris & ſcriptis ſuis

tradiderunt ipsi. Probamus hoc argumento: Quæ ex traditione sunt, eorum non est perscripta auctoritas: librorum canonicorum est perscripta auctoritas: non ergo ex traditione sunt. Mosi legimus Deum mandasse, & Mosem obsequutum esse, Prophetis consimiliter, &c. Si quibus non est, ij aliorum librorum auctoritate & testimonio comprobantur. Et quid veteris testamenti canonicum non probatur nouo? Cæterùm si hæc fuit Mosis Prophetarumque traditio, vt volunt, qua fide & auctoritate post tot secula nothos libros Ecclesia Rom. accensuit? non enim traditio fuit. Sed de his libro 1. dictum.

49 Ibid. *traditiones Mosis & Prophetarum.*] Etenim nullæ exstiterunt Mosis & Prophetarum traditiones: cur earum mentio fuisset facta? proinde facilè probamus agnoscimusque sequentia.

50 Art. 26. *docet traditiones Iudæorum fuisse quatuor expositiones librorum sacrorum.*] At hîc vox traditionum sumpta est communiter, vt cap. 2. distinguitur: nam traditio Mosis nihil est aliud, quàm scriptura ipsa à Mose tradita. Sic deinceps. Frequens homonymia.

51 Art. 27. *Scripturis diuinis consonæ sunt.*] Sed has traditiones vllas in causa fidei à Christo & Apostolis negamus esse.

In Capvt XI.

1 Art. 1. *ad ea testimonia quæ ex Patribus adferunt, respondendum est.*] Alia quidem testimonia Chemnicius atque alij protulerunt, ex quibus ista Bellarminus excerpsit commodo suo: sed hæc satis

erit aduersus restrictionem eius confirmari, vt ab aliis adducta sunt.

2 Ibid. *quæ prædicarunt viua voce.*] Nam in rebus necessariis propositiones carentes vniuersali signo æquiualent vniuersalibus: cuiusmodi est hæc propositio, quod ætati suæ prædicarunt, idem posteritati de scripto tradiderunt Apostoli, & contrà. Alioquin quæ præconum fides, si non annunciauerunt omnia quæ scripta sunt? quæ scribarum & tabellionum, si non omnia perscripserunt quæ annunciauerunt?

3 Art. 2. *quod est verum, & non contra nos.*] Contingens, inquit, propositio est, non necessaria. Falsum: nam necessaria est ex doctrina & mandato Dei; qui vnicam dispositionem salutis voluit Ecclesiæ toti per Apostolos exhiberi, tum præsenti per præconium ipsorum, tum absenti futuræque per instrumentum scriptum præconij, vt fit diplomatis edictisque publicis. In hoc autem instrumento si quid Apostoli dissimulauisse dicuntur (quod absit) quæ illorum fidelitas? si quid desideres, addas, mutes, minuásve, quæ audacia? quod anathemate feriuit Paulus, etiam ab Apostolis ipsis, aut Angelo & cœlo factum, Galat. 1. Tolerabilius foret, si dixeris præsentibus non omnia præsenteis illos dixisse, quàm si non omnia posteris perscripsisse: nam illud iteratò agentes cum Ecclesiis poterant emendare, hoc perpetuum ab eis defectum in Ecclesia Christi denotaret. Quòd si idem *illud Euangelium quod tunc præconiauerunt, posteà per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*; certè aut totum tradiderunt, aut partem illius: Non autem partem; quo facto aut Dei (quod absit) defectus, aut Apostolorum redargueretur: Ergo tradiderunt totum.

4 Ibid.

4 Ibid. *nihil diceret aduersus sententiam nostram.*] Antecedens profectò Irenæus dicit, & nos credimus: negamus consequens.

5 Art. 3. *cognitio decem præceptorum, & nonnullorum sacramentorum.*] Id autem est, doctrina de principiis Christi, & tota substantia eorum: hæc enim scitu omnibus sunt necessaria. Sed hîc fallacia elenchi struitur. Nam aliud est scitu necessarium, aliud traditu. Necessarium fuit Apostolis, vt quicquid acceperunt traderent, sermone vt præcones; scripto vt tabellarij, notariiq́ue Dei & actuarij in Ecclesia eius. Quæcunque verò tradiderunt illi necessitate officij, eorum alia sunt omnibus ad salutem necessaria scitu, vt salutis essentialia; nonnulla verò nonnullis solùm, vt quæ ad illa sunt ordinata secundùm donum & vocationem vniuscuiusque. Sed ista distinctio τί πρὸς τ̀ ὀρμὴν; quod aiunt.

6 Ibid. *legitimè per Ecclesiam proposita.*] Reponi malim, per Spiritum Dei & Scripturam sacram in Ecclesia, aut per Ecclesiam proposita.

7 Art. 4 *discebant quæ nondum audierant de mysteriis Christianis.*] Hæc angustior est verborum Lucæ interpretatio. sed quid ad nos ista?

8 Ibid. *& compleamus quæ desunt fidei vestræ.*] Nempe vera quidem fuit illorum fides, non tamen perfecta: prout hîc se habet omnium piorum fides.

9 Art. 5. *de refellendis hæreticis, &c.*] Negatur: nam necesse fuit, vt illi singula quæ acceperant traderent exponerentq. omnibus communiter, prout causa communi acceperant; non autem necesse, vt pij singuli res singulas scirent perciperentq́ue singulariter ab Apostolis traditas, sed pro dono & vocatione ipsorum, vt nota 5. alij vt testes & conscij, alij vt administri.

stri. Quæ autem exempli causa adferuntur, ea non doctrinæ morumque simpliciter, sed potiùs ordinis & disciplinæ sunt: quod genus aliquoties antè distinximus.

10 Ibid. *alia disputantur in scholis inter doctos, alia explicantur in concione populari*] Exemplum istud non ad rei substantiam pertinet (nam etiam de popularibus dogmatis in scholis disputatur, sed altiùs & exquisitiùs) sed ad tradendi modum. Nihil autem agit ὁ μεταβαίνων εἰς ἄλλο γένος, qui à rei substantia ad modum transsilit.

11 Ibid. *qui idonei erant & alios docere.*] Inconsequens. Res quæ non omnibus sunt necessariæ, Apostoli seorsim & sermone tradiderunt: ergo seorsim & sermone solùm. 1. plus concluditur quàm ex antecedente consequatur. 2. à modo ad substantiam fit argumentatio. vtrumque vitiosè.

12 Ibid. *tradidisse successoribus charisma scientiæ.*] Ex particulari conclusio fit vniuersalis, vt suprà cap. 7. nota 17. non enim adfirmat istud Irenæus de omnibus successoribus promiscuè; sed veros à falsis ibidem disterminat dicens, *Iis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, iis qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus; qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, &c.* Atque hæc Pontificiam illã gloriationem de successione labefactant funditus.

13 Art. 6. *cætera seorsim perfectioribus tradiderunt.*] Ex falsis antecedentibus conclusio falsa.

14 Art. 7. *loquitur Origenes de obscurissimis quæstionibus.*] Negatur distinctio. deinde verò si in his

his Scriptura appellatur, an continuò sequitur Scripturam in aliis non appellari testem? Hic quidem vigilans somniat.

15 Ibid. *in tota Ecclesia receptæ.*] Falsum: nam quæ exempla traditionum antè capitib. aliquot prolata sunt, eorum quæstiones sunt impeditissimæ; adeò vt etiam ipso Bellarmino teste non nisi ex traditione Ecclesiæ dissolui possint.

16 Ibid. *de illis testimonia.*] sed ea ritualia & in obseruationibus posita, quæ nostri homines semper exceperunt: quapropter dicit, *seruanda esse.*

17 Art. 8. *proinde nō nouerit arcana religionis.*] Erat tamen Constantinus hanc ipsam rem doctus à summo doctore Deo: tum illius sententiam summi illi in Concilio doctores & orthodoxi Patres probauerunt: postremò Theodoretus laudat. Quod autem de Constantini Cæsaris baptismo additur, viderint qui asserunt.

18 Art. 9. *pendere ex traditione Ecclesiæ non scripta.*] Hæc contraquàm suprà disertis verbis cauerunt Origenes conuenienter Scripturæ sacræ. Negamus.

19 Ibid. *assensum esse, nemo vnquam dubitauit.*] Probatio falsa: nam Arium ex Scripturis fuisse damnatum idem auctor, & plerique omnes alij agnoscunt; sed modificatis vocibus ex Scripturæ sensu, quæ hæreticos premerent, vt cap. 6. & 7. antè docuimus.

20 Art. 10. *Athanasius non habet, nisi ad veritatis indicationem.*] Negatur: nam & in Græcis exemplaribus est, πρὸς πᾶσαν ἔνδειξιν ἀληθείας, & in vetustissimis Latinis quibusque. Deinde verò, si abesset vniuersale signum, annon tacitè continetur sufficiendi ver-

di verbo? nam si sufficit simpliciter, ad omnem sufficit; sin ad omnem minimè, non ergo sufficit.

21 Ibid. *in Scripturis expressa testimonia.*] Falsum: nam thesin vniuersalem præmittit Athanasius, tum ex thesi adstruit hypothesin. Sequentia itaque nihil ad rem.

22 Ibid. *se velle scribere de his rebus, quid à maioribus ipse didicerit.*] Et hoc falsum: dicit enim *Scripturas per se sufficere*, quod Bellarminus strenuè dissimulat: posteà verò copulatè addit, *& plurimos de eadem re libros à sanctißimis magistris conscriptos esse*, id est, de materia Scripturæ sacræ: quod membrum hic disputator contra Logicas leges negatiuum facit ad Scripturæ sacræ contumeliam.

23 Art. 11. *Scripturisq; repugnantia.*] Negatur restrictio: & negat Basilius ipse, quum singulariter dicit *aliquid*.

24 Ibid. *sermonibus non scriptis, tamen cum scripturis consentientibus.*] Rectè, *sermonibus*, id est, verbis, non autem rebus fidei & dogmatis. Hoc autem quid facit ad causam?

25 Ibid. *ex philosophis testimonia accepisse, quando illa non erant contraria scripturis.*] Ex philosophis petuntur non fidei dogmata, sed naturæ adminicula: nos de rebus fidei agimus supernaturalibus: naturales supponit, non exponit scriptura.

26 Ibid. *superbiæ signum est certiß.*] Hæc solutio antecedentem euertit: si enim de vocibus, non ergo de rebus. Et eadem securi conclusio sequens præciditur.

27 Art. 12. *quia ex consuetudinib. contrariis nihil certi statui poterat.*] Quid tum, siquid omisit hypotheseos?

potheseos? semper enim manet thesis, stare nos Scripturæ oportere. Quod autem de varia seculi vnius consuetudine respondet, idem valebit in varia diuersarum ætatum consuetudine. Exempli causa, imaginibus Apostolica & prisca Ecclesia caruit, hæc circumfluit: ergo à consuetudine, si placet, ad scripturas recurramus.

28 Art 13. *Sed quorsum hæc?*] Nempe vt neque tu, Bellarmine, neque Pontifex tuus, neque Concilium, neque Ecclesia tota rem vllam per se vtilem aut necessariam esse ad salutem prædicetis, præcipiatisve, quam Scriptura non docuerit.

29 Ibid. *codicibus nuper emendatis sublatus est.*] A quocunque sit, etiam olitore, rem dictam bene accipimus, quia à Deo profecta est: de cæteris humanis probandis (quod Pontificiorum ἔργον) minimè laboramus.

30 Art. 14. *si quod dicitur Scripturæ testimonio confirmari posset.*] Itaque *sola* Bellarmino significat solitariam. Grammatici viderint, aut discant homonymias. Sed quid opus est? oppositionem ipsam videamus. Sola animi cogitatio testificationi Scripturæ opponitur: sola ergo, id est, sine Scriptura, siue ab vno sit, siue ab omnibus; siue propria inuentione, siue aliena; siue priuata auctoritate, siue publica. Nugas agit Bellarminus; & hoc ipso demonstrat, quæ sit Pontificiarum fabularum & rituum auctoritas, quum sic interpretatur.

31 Art. 14. *Chrysostomus nihil hic aliud dicit, quàm magis credendum esse Scripturæ in hac parte quàm hominum opinioni.*] Falsum: nam primùm eam vocat trutinam omnium vniuersè: quid hinc excipias? deinde & ipsa confutat argumentatio. Sic enim

enim ille: *Quomodo non sit absurdum, propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare & supputare; pro rebus autem amplioribus sententiam aliorum sequi simpliciter? præsertim cùm habeamus omnium exactißimam trutinam*, &c. Quid his verbis cum emendicata solutione Bellarmini ista?

32 Art. 16. *Sed quid hæc valent contra traditiones?*] Quid tum, si de remediis vitiorum agit? nam particulare à Chrysostomo vniuersali confirmatur, thesi hypothesis. Scriptura enim vniuersè est absolutissima fidei morumque regula. Et quàm absurdum fuerit, obsecro, si τὰ ἠθικὰ vitiorumque remedia Scripturis perfectè contineri dicas; remedia verò infidelitatis, καὶ τὰ πρὸς πίστιν minimè? Absurdum solutionis genus.

33 Art. 17. *& ideò necessariam esse traditionem.*] Argutiæ. Atqui dicit Epiphanius, *vniuscuiusque quæstionis*, vt de singulis dogmatis agere sese ostenderet. Ergo dogmatum explicationem petamus oportet è scripturis: de ritualibus (vt vocant) singulis aliud iudicium, vt sæpe diximus. Est autem locus Epiphanij, de quo dicit, cap. 7.

34 Art. 18. *hoc enim est non discedere à præscripto Scripturarum.*] Scilicet vt non discedere à regula est non oppugnare aut perfringere regulam. quis ita sapit? nam etiam discedit à regula qui ea omissa aliud agit.

35 Ibid. *nec enim traditiones cum scriptura pugnantes vnquam defendimus.*] Cur ergo res cum Scriptura pugnantes traditionibus confirmantur? sed de his suo loco dicturi sumus.

36 Art. 19. *homilias illas non esse magnæ aucto-*

ritatis.] Quod tamen dicitur bene, id auctoritatem habet à Deo veritatis, vt not. 26.

37 Ibid. *non excludit verbum Dei non scriptum, sed solùm tertiam scripturam, id est, humanam scripturam, quæ se pro diuina venditare velit.*] Nempe non excludit, quia non est: non entis autem (vt loquuntur vulgo) non sunt accidentia. Non prohibetur ergo, quia non est in substantia aliud verbum Dei ad salutem traditum, quàm quod testamento vtroque continetur. Disputator certè σοφίας loco sophismata interpretationum occupat.

38 Art. 20. *quæ de vna re dicuntur, torquere ad aliam.*] Et ineptum est ea quæ de genere dicuntur ad solam speciem vnam, exclusis aliis, restringere. Hoc enim de specie quidem Theophilus pronunciauit, sed argumentatione ducta à genere.

39 Art. 21. *non in omnibus codicibus inueniri.*] At in Græco tamen inuenitur, & incorruptis omnibus: quid mihi corruptos objicis?

40 Ibid. *Euangelico verbo scripto.*] Id Theophilus dicit per æquiualens, *sermoni Euangelij testamenti noui.* hoc enim pro libris testamenti noui dicitur (vt fit) μετωνυμικῶς.

41 Ibid. *ab Apostolis acceperat.*] Negatur restrictio: nec sequentia ad eam pertinent, quia traditio Apostolorum communi significato dicitur doctrina ab eis tradita sermone & scripto, vt cap. 2.

42 Art. 22. *nihil addere, aut detrahere scripturæ, ita vt veritas eius immutetur.*] Et hîc negatur restrictio: nam à toto in quantitate (vt vocant) Tertullianus argumentatus est: huic autem siquis adjicit vel detrahit, is parti quoque aut speciei adjicit detrahitque.

SAEPE & multùm cogitaui, amice Lector, vtrùm Bellarmini ipsius contextum vnà cum meis notis & animaduersionibus adiungerem, an seorsim (vt nunc factum vides) ederem animaduersiones meas. Ut coniungerem, adducebant multa: inprimis autem quòd tanti fructus neque sunt neque videntur esse animaduersiones, si cum Bellarmini scripto non comparabuntur: quod ego quidem legendum iudico, tum propter multa bene & verè ab ipso dicta, tum propter expressam commodè sententiam Pontificiorum de multis controuersiis, quas & cognosci & iudicari à nobis necesse est (nam quis bonus & prudens de re nisi bene cognita perspectaque iudicet?) tum denique propter definitionem certam quæstionum nonnullarum, de quibus ad hoc vsque tempus inter ipsos Pontificiorum coryphæos nondum conuenerat. Veruntamen quia multi sunt boni quibus ad manũ est Bellarmini opus, & prætereà astutè dederunt operam veteratores quidam, vt in longum tempus disputationes Bellarmini priuilegio munirentur, quæ

res aut damnum aut rixas fuisset allatura publico, si cōtextus eius nouis typis mandatus esset, acquieui tandem vt excuderentur separatim notæ. Sed tuam humanitatem, benigne Lector, amanter rogo, vt quoad eius fieri potest, collationem textus illius cum meis notis diligenter instituas, quum ad hæc legenda veneris; vt certiùs veritatem recognoscere poßis, deque ea iudicium facere secundùm Deum. Cæterùm id te scire interest, me κατὰ πόδας (quod aiunt) contextum disputatoris prosequutum esse, libros, capita, articulos siue segmenta, & membra ipsorum. Librorum & capitum facilis distinctio: articulorum verò & membrorum distinctio numeris Arithmeticis fuit apposita, vt res editioni cuiuis esset accommoda. In ratione articulorum seruaui distinctiones ferme in Bellarmini opere positas, siue ab auctore sint, siue à typographo. In membris dedi operam, vt aut integra verba auctoris haberentur, si vna breui comprehensione essent, aut extrema eorum verba aliquot: vt tota sententia ex Bellarmino perlecta in opere eius, responsio succedat & animaduersio nostra. Hanc viam breuitatis causa sequutus sum,

quam

ſtimonia de quæſtionibus iis quæ tum agebantur. In Maximinum autem Arianum agebat Auguſtinus quum illa ſcriberet, non in Donatiſtam quemquam. Vide ergo, quàm bellè conueniant iſta cum iis quæ Theodoreto iam aliquoties impegiſti falsò, & ipſe affirmaſti ſæpius cùm alibi ſæpe, tum ſuprà cap. 6.

57 Ibid. *Pontificum & Impp.*] nempe quà cum Scripturis ſacris conueniunt.

58 Art. 32. *ſolùm coniectura aliquæ ex diuinis literis.*] Atqui ſi in obſcuriſſimis non licet, an ergo in claris licebit ludere? ſic profectò facilè in plano (quod aiunt) cæſpitabitur.

59 Ibid. *etiamſi nihil de ea ſcriptum legamus.*] vide ſuprà cap. 7.

60 Art. 33. *ſufficere Chriſtiano quæ habentur in Scripturis.*] Et rectè ſanè ex analogia: nam cuius ſolius doctrinæ principia ſufficiunt Chriſtianorum principiis, ea tota & ſola ſufficit toti Chriſtianorum corpori: hæc autem non alia eſt doctrina quàm ſcripturæ ſacræ. Nempe hanc analogiam Bellarminus aut non vidit, aut videre noluit, aut certè videri noluit is qui videret. Sequens itaque reſponſio nihil ad rem.

61 Ibid. *non autem ſufficere Eccleſiæ Dei abſolutè.*] Sufficit planè, vt principium, initiandis; vt totum, Eccleſiæ: nam totum virtute ineſt ſuo principio; & ex principio, non aliunde, totum in Eccleſia funditur. Alioquin Scriptura nobis principium eſſe definit, ſi vel particula minima totius aliunde ducatur.

62 Ibid. *reliqua omnia eſſe ſuperflua.*] Inconſequens, vt commonſtrant præcedentia.

63 Art. 34. *vt admittamus, ab vllo Patrum oppugnatas traditiones fuiſſe.*] Ex falſis antecedenti-

 bus

bus falsæ consequentiæ. Cæterùm ritualeis traditiones quasdam non negamus à Patribus fuisse defensas: eas verò quæ tum non erant, aut quæ in superstitionem (vt posteà factum) nondum abierant, quis bonus miretur non fuisse ab illis oppugnatas? Nam sentiebant illud Pauli, si cui placet contentiosum esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei, 1. Cor. 11. 16. quod optimè Augustinus scripsit Ianuario.

IN CAPVT XII.

1 Art. 2. *sed Deo, qui Ecclesiam regit.*] Negatur dictum, & ratio ipsius: neutrum de traditionibus plurimis, quas Pontificij asserunt, probari potest.

2 Ibid. *à Christo vsque ad nos per* M.D. *annos.*] Inconsequens: 1. quia ex dispari ducitur argumentatio: nam quàm dissimilia sunt ab illis hæc vltima tempora, quibus nos Deus per Filium est alloquutus? 2. quia non procedit à posse ad esse, vt loquuntur vulgo.

3 Ibid. *quatuor causæ adiuuantes.*] De istis traditionibus quæ obtruduntur, negamus.

4 Art. 3. *sunt tamen scriptæ in monimentis veterum, & in libris Ecclesiasticis.*] Ex particulari non sequitur: nam quàm pauci ex priscis illis Patribus exstant? & quàm paucæ in illis traditiones? Paucissimos ad suam vsque ætatem queritur Eusebius exstitisse lib. 1. hist. Eccles. affirmatio verò hæc Bellarmini de pauculis ritualibus datur, negantur pleraque.

5 Art. 4. *& alia generis eiusdem.*] Non valet argumentatio. 1. à non distributo ad distributum, vt hic fit, vel contrà: nam dogmaticas traditiones antè sustulimus, & ritualeis distinximus sæpe. 2. à diuersis tempo-

hitque. Quid enim? an aliis in dogmatis non adoremus item Scripturæ plenitudinem?

43 Art. 23. *hanc epistolam meritò refellit.*] Propositio Cypriani vera est, quamuis falsa argumentatione. Hîc autem veritas propositionis adseritur, non adseritur argumentatio tota. Futilis ergo responsio.

44 Ibid. *etsi in scripturis non sint, tamen cum Scriptura non pugnant.*] Si de quibusuis dicitur, probari petimus: si de ritualibus quibusdam (vt sæpe dictum) concedimus.

45 Art. 25. *quod maximè quadrat in hæreticos.*] Negatur locum deprauatum esse. Nam vtrumque ex Hieronymi verbis verum est: tum quod dicit Chemnicius simpliciter, sine auctoritate Scripturarum non habere fidem: tum quod Hieronymus exceptione adiicit, apud eos demum habere fidem τῆς φρεναπατῶν garrulitatem, quibus videntur illi peruersam doctrinam suam diuinis testimoniis roborare, id est, apud simplices atque imperitos. Proinde ista garrulitas non habet fidem per se, quod vult Chemnicius; sed tantùm per hominum imperitiam, quod Bellarminus exponit malè, vt veritatem simplicis dicti possit expungere.

46 Ibid. *quia hæc sententia probatur ex libro apocrypho, non ex canonico, facilè contemnitur.*] Atqui hypothesin Hieronymus confirmat thesi: quam thesin nisi vniuersè acceperis, aut probatio nulla est, aut valeant Logici.

47 Ibid. *suum figmentum Apostolicam traditionem esse.*] Hanc solutionem amplectitur vltro: nam Pontificios percutit, sicut intendebat Chemnicius. Verumtamen hîc quoque hypothesin confirmat thesis.

48 Ibid. *repugnantia scripturis.*] Negatur restrictio ex falsa æquiuocatione ducta. dicit enim Hieronymus *aliud*: est autem aliud tam diuersum, quàm aduersum.

49 Art. 26. *sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.*] Negatur restrictio: nam dictum Augustini vniuersale est. vide nota 5. & 7.

50 Ibid. *locis Augustini.*] Et nos confutauimus suprà cap. 7.

51 Art. 27. *præterquàm significare contra quàm.*] Et nos confutauimus suprà cap. 10. nota 20. & sequentibus.

52 Art. 28. *ex Scripturis probanda esse dogmata, quando testimonia Scripturæ habentur.*] Habentur autem de iis omnibus quæ continent fidem moresque viuendi, vt ex lib. 2. de doctr. Christ. cap. 9. dictum. Sequens itaque restrictio falsa est.

53 Art. 29. *si exponat verba Apostoli.*] Rursum τὸ καθόλου ad partem vnam restringitur, exclusa altera: quæ solutio, si est necessaria, væ maiorum Logicæ.

54 Ibid. *nouas doctrinas quæ Scripturis consonæ non sunt.*] ac non contrariæ solùm. Rem itaque accipio vltro: sed loco vocis *proprio*, quæ hîc ponitur, reponi *humano iudicio* malim.

55 Art. 31. *nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri, facilè possumus ostendere.*] Imò verò contra humana omnia, quæ non insistunt certis scripturæ sacræ & testimonij diuini vestigiis. Vana itaque sequentia.

56 Ibid. *anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis.*] Gratias habemus, Bellarmine, tibi, quòd nunc demum agnoscis clarissima exstare testimonia

do variante, vt nota 12. dictum. Inconsequens.

17 Art. 10. *esse tamen regulam fidei, non totalem, sed partialem.*] Negatur hoc dictum, & exegesis illius: imò ex diametro cum iis pugnat quæ Bellarminus ipse lib. 1. cap. 2. affirmauit.

18 Ibid. *aliquid sit de fide, quod in ipsa non continetur.*] Hæc inde à cap. 3. confutauimus.

19 Ibid. *illa reiiciamus, quæ Scripturæ aduersantur.*] Falsum: dicit enim lib. 2. de doctr. Christiana cap. 9. *in his quæ apertè posita sunt in Scriptura, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque viuendi,* vt sup. cap. 11. sic alibi passim.

20 Art. 12. *ex Hieronymo in lib. de viris illust. in Luc.*] Negatur, quia exemplum dissimile. Nam Scripturæ certa est regula, finita materia, finitusque numerus: traditionum verò non item, vt quæ actu multæ sint, potentia infinitæ. Scripturæ sua semper à Deo in Ecclesia constitit auctoritas: traditionum non item, cùm earum quæ, quando, à quibus accesserint, doceant ipsa Pontificiorum scripta. Scripturæ omnes inde à principio ipsarum publicè in Ecclesia constant; traditiones verò, quia latent, faciliùs irrepunt, augenturque, ægriúsque reuelluntur, nisi ad regulam Scripturæ accesseris. Quòd si de legitimis quibusdam traditionibus dixeris, puta ritualibus quæ ad εὐσχημοσύνην καὶ εὐταξίαν pertinent, harum fontem Scriptura indicat necessarium, Ecclesia modum statuit conuenientem, libera tamen semper manente piorum conscientia. Historicæ verò traditiones, cuiusmodi sunt eæ quas illi Patres, de quibus posteà, ad dogma suum firmandum adduxerunt, non sunt huius argumenti, quia causa fidei agitur. Sed vnum tamen nos docent vtiliter: nempe si falsæ traditiones quædam historicæ

 fautores

fautores suos seculo vno alteroque nactæ sunt, & pios fefellerunt, quanto magis nos à dogmaticis (à quibus periculum est longè grauius) cauere prudenter oportere?

21 Ibid. *Hieron. docet in cap. 49. Isai. & in cap. 19. Matth.*] Hæc iniquè opponuntur verbis Eusebij lib. 3. hist. Eccl. cap. 39. Nam Papias quidem ex traditione Patrum, non ex Scriptura hauserat, vt disertè Eusebius pronunciat: sed qui post eum sequuti sunt, dederunt operã, vt somnium illud non ex traditione, (vt agnouerat Papias) sed ex scriptura haustum videretur; adeò ab infirmo isto traditionum fulcro sibi metuebant, contra quàm hodie accidit. Eadem sequentium ratio.

22 Art. 13. *non multum obesse neque veris traditionibus, neque veris Scripturis.*] Contrarium verò ab exemplo tot retro seculorum confirmatur.

23 Ibid. *veras traditiones & scripturas à falsis:*] At non supra scripturas: nam Scriptura regula est, Ecclesia verò (vt ita dicamus) regulatum.

24 Ibid. *nec falsa traditio, pro vera.*] Hoc à veritate esse alienissimum demonstrant aliquot capita lib. 1. & 4. vbi & Apocryphi libri donati auctoritate canonica, si Deo placet, per Ecclesiam, & humanæ traditiones pro diuinis assertæ sunt.

25 Art. 15. *& propterea velle, & iam ipsos habere mysteria.*] Sed hîc fortasse aliquis regesturus esset, Pontificios pariter ac simul esse & catholicorum & hæreticorum simias. Nos verò hoc agamus, contumeliis ludibriisque valere iussis.

26 Art. 16. *nisi purum & castum, agitur ab Ecclesia.*] Ista distinctio falsa est. Etenim sancti Apostoli

temporibus, quæ elenchi est ignoratio: sunt nunc traditiones in continua obseruatione; igitur etiam fuerunt inde ab illo tempore. 3. adferuntur exempla diuersissima atque confunduntur. Essentiales enim Sacramentorum iustorum ritus à Scriptura, non à traditione sunt: de reliquis verò quæ hîc recensentur, horum libertas, illorum falsitas suis locis ostendetur.

6 Ibid. *conseruari possent eiusmodi traditiones.*] Iterum à posse ad esse (vt loquuntur) argumentatio est ἀλόγιστος.

7 Art. 5. *imagines, libri Ecclesiastici, & similia.*] Non sequitur ex probatione rei voluntariæ & contingentis, non necessariæ.

8 Ibid. *Ecclesiasticam conseruauit.*] Exemplum fabulare est: cuius sermo ab imperito ministro, si fortè, aut dicente ὑπερβολικῶς, vt fit vulgo; historia verò tota à mendace commentatore profecta est. Viderint, qui fabulas ad probationem veri desiderant.

9 Art. 6. *eas posteris commendarunt.*] Hoc garrire, non argumentari est. Nam aduersus hæreses datâ scripturâ prospexit Deus; traditiones verò traditionibus, ac non scripturæ solùm, opposuerunt hæretici, vt Irenæus iam olim retulit libro 3. cap. 2. & alij.

10 Ibid. *& quo iure bona illa possideat.*] Ita fuit Papatus, donec iusta instrumenta sunt nostrorum studio reuocata. Hæc autem si defuissent, quàm festiuè iam, amabò, traditionibus commentitiis viueretur! Hæc ergo nobiscum faciunt, & Pontificiis illis traditionibus aduersantur.

11 Art. 8. *& fouendam doctrinam ex prædicatione acceptam.*] Falsum, vel Bellarmini ipsius testimonio suprà lib. 1. cap. 2. vide cap. præcedente proximè.

12 Ibid. *breuis quædam regula fidei.*] Negatur hæc propositio. Nam Scriptura in essentia substantiáve sua est rerum credendarum faciendarumque regula; at non quicquid est scripturæ, regula est, quemadmodum nec in materiali regula, quicquid est regulæ, idem est regula: modus enim tradendæ & applicandæ regulæ multiplex propter infirmitatem nostram & variam conditionem Ecclesiæ in ea quoque proponitur. Quemadmodum præter solenne instrumentum contractus à notario publica fide perscriptum, si pars altera per inscientiam, infirmitatem, malitiam ab officio aberrauerit; repetitiones, citationes, protestationes, narrationes, hortationes, reuocationes, &c. authenticæ per notarios adhibentur, & exemplis demonstrantur, si fortè opus est.

13 Ibid. *aliísque id genus rebus.*] Falsum: nam omnia pertinent ad fidem, id est, doctrinam fidei; licet alia primò & per se, alia secundariò, vt cap. 7. nota 26. ostendimus: at non omnia sunt tamen fidei nostræ singulorum necessaria, quibus nos singillatim credamus ad salutem. Illa credimus assensu, apprehensione, & fiducia simul: hæc assensu simplice, quamuis non simpliciter omninoque ad apprehensionem & fiduciam necessaria.

14 Art. 9. *copiosè ostensum est.*] Et à nobis fuit confutatum, inde à cap. 5. quare inania sequentia.

15 Ibid. *finis Scripturæ præcipuus non est, vt sit regula fidei.*] Falsum: nam vt in materiali regula totam regulam videmus esse regulam, sed non totum regulæ: ita & Scripturam piis esse asserimus.

16 Ibid. *carmina, epistolas, &c.*] Atque hæ sunt ἐνδείξεις καὶ ἐφαρμόσεις, expositiones, applicationes, & repetitiones regulæ: proinde vna est regula, sed modo va-

quam tibi, amice Lector, omnium fere commodissimam iudicaui. Vale feliciter in Domino, & his utens piè salutariterque, Deum pro nobis ora, ut nobis ueritatis prælucens face uirtutem addat in Spiritu, qua in hoc argumento ad finem usque operis prouehamur.

ſtoli myſteria omnia communiter tradiderunt, & fidi quique Paſtores omnia tradunt communiter ex mandato Chriſti: piæ autem oues illius accipiunt quicquid poſſunt ex demenſo donationis Chriſti & vocatione ipſarum, vt ſæpius cap. præcedente dictum.

27 Ibid. *cum quo tamen non pugnat, vt aliqua ſeorſim diſcipulis expoſuerit.*] Negatur iſta hypotheſis. Nam contrà Apoſtolis id Chriſtus præcipit, quia totum ſalutis myſterium, quod fuerat à ſeculo abſconditum, oportebat omnibus reuelari ſine metu aut diſſimulatione vlla. Quapropter dixerat præcedente verſu: *itaque ne timete eos: nihil enim eſt opertum quod non ſit retegendum, & nihil occultum quod non ſit cognoſcendum.* Atque his ſubiungit continenter, *quod dico vobis in tenebris, dicite in luce; & quod in aurem auditis, prædicate in ſolariis.* Aliena igitur eſt horum locorum reſtrictio à veritate & ſimplicitate Chriſti: cui gloria cum Patre & Spiritu ſancto in ſempiterna ſecula.

FINIS.



FR. IVNII BITVRIGIS

Animaduersiones ad controuersiam secundam Christianæ fidei, DE CHRISTO CAPITE TOTIVS ECCLESIÆ,

QVAM ROBERTVS BELLARMINVS Politianus societatis Iesu (vt vocant) disputationum suarum libris exarauit aduersus huius temporis hæreticos:

Perscriptæ ad ordinem librorum, capitum, articulorum, & sententiarum seu comprehensionum eius, ita vt alterum scriptum cum altero facilè in singulis locis comparari poßit.

Psal. 119. 94.
Tuus sum, conserua me: quia mandata tua quæro.



Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM, Academiæ Lugduno-Bat. Typographum.
clɔ. Iɔ. c.

Amplissimis viris, Dominis consultissimis & prudentissimis,

D. PRÆTORI, CONSVLI, ET SENATVI Harlemensis Reipublicæ, Dominis summa obseruantia colendis,

FRANCISCVS IVNIVS *gratiam & pacem à Domino.*



VVM in Germania superiore essem, Amplissimi & consultissimi viri, Domini sapientissimi, ante annos duodecim, & eo amplius, audiebam multa de Roberti Bellarmini, societatis (vt vocant) Iesu, opere magnificentissimè prædicari. Nam & plurima ab illo diligenter copioseque tractari de fidei argumento in disputationum libris dicebantur, & multorum ea sententia esse, quòd nemo vn-

quam noſtrorum hominum integrum illud opus aggreſſurus eſſet refellendum, pedemque cum tanto artifice iuſta veluti pugna collaturus; multi denique ſpecie argumentorum capti, ac potiùs mole operis & gratia quadam ſermonis obſtupefacti ſecundùm Pontificiam doctrinam iudicare, altera parte (quod aiunt) inaudita. Quapropter non deerant boni, qui iam eo tempore inſtarent apud me diligentiùs, vt tandem aliquando perlectis Bellarmini diſputationibus, & argumentationibus expenſis ex veritatis & rationis & artis legibus, manum huic operi admouerem; ne fortè alij falſæ doctrinæ ſpecie, alij falſis auræ popularis gloriationibus à vero abducerentur, ſeque veluti proditos ſilentio noſtro ſtatuerent.

Ac mihi quidem res videbatur eſſe ſtudio & labore virorum doctorum digniſſima, quos hæc noſtra ætas per Dei gratiam tulit: faxit Deus vt eos porrò etiam ferat, qui armati Spiritus virtute, abiectis ſui, & mundi cogitationibus,

eò

eò studium suum, operam, laborem, & industriam conferant, vt veritatem Dei à mendacio hominum vindicent, & animas à tyrannide Satanæ tenebrarumque potestate ad Deum reuocent lucemque illius admirabilem.

Nam profectò siue ad grande opus illud Disputationum, quas Bellarminus conscripsit, adspicerem, animaduertebam (vt verbis poëtæ vtar) φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ κακὰ, partim veritatis doctrinam variis in locis rectè, atque commodè expositam ad captum legentium, partimque falsam speciosè interspersam atque propugnatam, vt eorum quæ verè ab ipso dicuntur specie persuasiones falsi plausibiliùs insinuari in mentibus imperitorum possent, tanquam venenato poculo melle lito, quod vulgo dici solet: è quibus illi veritatem quidem cum verbo Dei & Scriptura sacra, cùm Ecclesia catholica, & nobiscum (qui in naui Ecclesiæ versamur) communem habent, falsum verò de pharmacio Ecclesiæ Rom. ψευδωνύμως dictæ hauriunt

riunt diligentissimè. Si ad hominum iudicia animum cogitationemque conuerterem, dolebam mentes multorum tam malè compositas & ad iudicia rectè faciendà comparatas esse, qui neque rei, neque temporis, neque personarum, neque commodorum eò pertinentium contemplatione iusta reuocantur, ne de bonis præcipite quodam & inconsiderato impetu præiudicent, aut errantibus nomen veritatis adiudicent inscienter: quod & Christianæ charitatis vetant & prudentiæ humanæ leges.

Res enim cùm sit ardua (vt ipse Bellarminus alibi prædicat) scientiamque multiplicem, laborem plurimum, attentionem maximam, & grauissimum iudicium desideret, equidem imprudentis potius hominis factum quàm prudentis & considerati esse putauerim, si quis de nostris temere in arenam hanc prosiliat maiore fiducia quàm rei cognitione & sui conscientia iudicaturum.

Tempus verò cùm adeò multum in suo opere (vt ita dicam) parturiendo Bel-

larminus consumpserit, fœtumque suum semel in lucem editum, magno studio iterum lamberit, & expoliuerit, eorum certè præcoqua & intempestiua iudicia optimo iure censuerimus, qui aut ipsi neglecta temporis commoditate audebunt προπετῶς inuolare in argumenta adeò grauia, & illotis (quod aiunt) manibus res sacras contrectando publicam subire iudiciorum aleam, aut alios ita ἀληθῶς facere iusserint: præsertim si hoc attenderint, non solùm disputatorem hunc nostrum, sed & alios in Pontificiæ Ecclesiæ choro quàm plurimos tempore & otio in hac palæstra abundasse, dum plerique è numero nostro vitam ægrè trahere, nedum studiis incumbere, in metu, periculo, fuga, persecutionibus, & circumstrepentibus irruentibúsque omni ex parte malis potuerunt.

Sed quid de personis dicam? non enim profectò in illo Disputationum opere vnus Bellarminus mihi videtur loqui, aut scribere, non vnus Iesuitarum manipulus, sed phalanges coactæ, atque adeò

 plena

plena legio vel myrmecia illorum concurrere, quorum alij diſtributis inter ſe operis auctores legunt & indices volutant, alij ſubnotant, alij exſcribunt, alij in manus diſputatori tradunt, alij in locos digerunt, omnes denique haſtas (quod aiunt) amentatas cum eo communicant, quas eò vehementiùs, numeroſiùs, & ſpecioſiùs in nos vibrare poſſit: pharetráſque conſerunt & tela ſua omnia, quæ hic ſua iaculetur manu. At noſtri plerique omnes, ſi quid inſtituunt ſcribere, ſcribunt ſolitarij, aliena manu, ope, atque opera ſubſidiíſque plurimis deſtituti, & ſuis quaſi lacertis ipſorum coguntur onera grauia Aegineticáſque ſarcinas commouere.

Huc accedant commoda, quibus abundat Ieſuitarum natio, quibus Roma, quibus Romanum gymnaſium, vbi diſputator per tot annos tantis commodis de publico ſubminiſtratis & vltrò oblatis inſtructis docuit; dum noſtri incredibili mole incommodorum preſſi, exigua plurimùm ſupellectile, otio pene nullo,

circumuenti occupationibus tenentur ſundere, quaſi in tranſcurſu, quæ illi in tanta tamque feſtiua commodorum copia curare poſſunt ex animi ſui ſententia.

Atque hæc cauſa fuit, cur viri aliquot boni, graues, & doctrina, iudicioq. præſtantes, certa quædam membra ſolummodò illius corporis ſumpſerunt oppugnanda; ac nō aduerſus vniuerſam iſtam & grandem molem Diſputationum Bellarmini à ſe neruos ingenij contendi duxerunt oportere, prudente conſilio, opera laudabili. Maluerunt enim boni illi atque fideles Dei ſerui in vno aut altero diſputationum loco, aut parte aliqua demonſtrare quid de Bellarmini labore ſit faciendum iudicij, quàm planè conticeſcere, ne aut ille cauſam obtinere, aut perpetuo ſilentio bonorum illa ἀεινίκητος veritas doctrinæ falſæ cedere videretur. Sic potenter ſanè atque ſapienter gloriationem illam aduerſariorū in eo quod perſcriptum ab eis habemus eliſerunt; ſed ne ſic quidem phaleratas illas nugas & ampullas verborum depulerunt, quibus vi-

ctrix veritas ab administris Pharaonis deuicti atque prostrati proscinditur; idq. eo solùm nomine, quòd nemo ad totum opus responsionem ex ordine confutationemque ápparet.

Ego verò qui ad marginem libri mei breues quasdam notas subsidiarias memoriæ causa adscripseram, nihil minus cogitaueram, quàm vt aliquid publico darem eiusmodi, aut id à me dari, qualecunque esset, postularent boni: Et eo magis ab illa cogitatione abhorrebam, quòd non essem nescius, quid rei grauitas atque amplitudo, quid temporis angustiæ, quid ratio personæ meæ, quid commodorum, quæ ad rem tantã sunt opus, penuria præciperet: maximè cùm de noua editione & interpolata ad me afferretur sermo; quæ res vt semel facta est, ita etiam vafro & subdolo consilio præuertendis confutationibus nostrorum iterum, tertiò, quartò nouari potest. Vicit tamen apud me bonorum postulatio, & omnium consentiẽs (vt quidem ex multis cognoui) exspectatio, & pium votum

quasi

quasi voce Dei voce populi contestatum: fecitque vt omissa præcedente editione, cui anteà operam aliquantisper dederam, posteriorem (quam solùm Bellarminus agnoscit pro sua, & suam vocari iubet) sumerem ad manus, & breuibus, quoad eius fieri potuit, animaduersionibus magni illius disputatoris cogitata, quæcunque à veritate abesse noui, refellerem.

Ac ordinem quidem suarum disputationum sic instituit ille, vt in ventilandis seculi huius nostri cõtrouersiis idem non incommodè seruari videatur posse. Nam primo tomo suarum disputationum, postquàm communem de Scriptura & verbo Dei, velut certo salutis & salutaris doctrinæ instrumento, præmisit locum, de Deo & Christo velut capite, tũ etiam de supposititio capite, & de corpore, id est, Ecclesia agit copiosissimè: de scriptura quidem & de capite vero fictoque, priore parte, de corpore autem in posteriore determinans: secundo verò de signis à Christo velut capite in corpore

ipsius,

ipsius, id est, Ecclesia positis ad communionem sanctorum, tum iis quæ verè ab ipso fuerint instituta integris & corruptis, tum iis quæ dicuntur esse, quamuis sine auctoritate Scripturæ: tertio denique de conditione humani generis integri ex creatione, de corrupto labe peccati, & instaurato per gratiam Dei in Christo Iesu Seruatore nostro. Quem ordinem cùm ad rationem docendi commodum esse ducamus, noluimus ab eo discedere; sed potiùs visum est κατὰ πόδας (vt loquuntur) vestigia disputatoris premere in tota confutatione nostra, & dissimulatis iis quæ bene ab ipso dicta sunt, aut certè non ita malè, ea duntaxat annotare quæ in disputationibus illius vniuersè atque per partes aliter quàm nos docuit veritas exponuntur.

Hunc autem scribendi modũ quum proximè ad primam controuersiam, quæ est de verbo Dei scripto & non scripto, pressiore stilo seruauerimus, & Bellarmini super ea re dogmata libris singulis, capitibus, articulis, periodis, membris stri-

ctim

ctim recensuerimus, bona fide indicantes quid eius præter veritatem ab ipso videatur dici, & reuincentes auctoritate diuini verbi, priscæque illius & integrioris Ecclesiæ documentis; visum est in hanc quoque secundam controuersiam de vero Ecclesiæ capite par studium atq. operam adhibere: vt omnes viderent tum quid sit in quo conuenimus ex veritate in diuinæ maiestatis & personæ Christi officiorumque ipsius argumento, tum quid sit in quo dissentimus, & quibus argumentis ad dissentiendum, quo auctore, qua fide adducamur. Sanctissimum profectò grauissimumque argumentum, in quo intelligendo quicunque se vera fide ac religione occupant, ij sentiunt incredibiles in se amores Christi & sapientiæ illius diuinæ excitari; & quo magis aspiciunt, suspiciunt; quo magis potant, ardoribus flammæ diuinæ (vt Sapiens in Cantico vocat) inflammati sitiunt. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum.

Atque in hac quidem controuersia
quòd

quòd multis in rebus consensum video, gratias de eo immortaleis ago Deo Patri & Domino Iesu Christo, à quo filij Dei omnes & Christiani appellamur: suppléxque oro Deum illum veritatis & & Patrem luminum, vt suum illud beneficium gratiæ cum iis, qui nondum veritatem ipsius & dignitatem officiorum peruident, magis ac magis communicet: faxítque pro sua infinita misericordia, vt quicquid lucis habemus singuli, id citra inuidiam, odium, contentionem, φιλαυτίαν, præbeamus alij aliis docentes & dicentes in timore Dei, & mutuis adhortationibus consolationibúsque Scripturæ Christiana mansuetudine inter nos iuuemus in Domino: ac non barbara feritate (quod multis Christianis parum Christianè, proh dolor, placere vidimus) gratiam Dei, bonósque de gratia placidè συζητοῦντας depellamus.

Sed quia inter nos consensus ille non inest per singula doctrinæ capita, quæ de Christo traduntur in Scripturis sacris; & prætereà in quorum summa est aliqua

consp-

conſpiratio, tamen incidunt quædam atque perſperſa ſunt, quæ nobis omnino probari non poſſunt; viſum eſt mihi non contentionis ſtudio, ſed pietate in Deum, amore veritatis, & charitate in gregem Chriſti, ea quoque ſingularia ſtrictim ſublegere atque annotare, in quibus Bellarmini ſententia à veritate Scripturæ diſcrepat & ab illa forma doctrinæ noſtræ quam ex Scripturis didicimus.

Itaque dum primo libro de vera Chriſti diuinitate tradit, vbi eſt in ſumma doctrinæ conſenſio, paucula curſim deſtrinximus & annotauimus ad veritatem & lucem Dei pertinentia, quibus nonnulla diluerentur in noſtros homines calumnioſè concinnata, aut imprudenter contra mentem ipſorum expoſita. In ſecundo, qui eſt de diſtinctione perſonali à Patre & Spiritu, & de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, non fuimus operoſi, ne actum agere (quod aiunt) velle videremur. In tertio, qui eſt de anima Chriſti & deſcenſu ad inferos, neceſſe fuit

se fuit nos multis agere, de modo scientiæ Christi, de perpessione mortis, de illo descensu salutari, vt & falsa principia quæ ponunt Pontificij conuelleremus, & veritatem sententiæ nostræ à calumniis falsisque interpretationibus vindicatam, quàm explicatissimè fieri potuit; doceremus cum vtraque natura Christi, veritate Scripturæ, & rationis luce conuenire. In quarto, quo de veritate & maiestate carnis Christi agitur, pauca delibauimus, iis qui contrà sentiunt defensionem suæ opinionis permittentes: nam illa quidem in quæ stilum Bellarminus strinxit, nihil ad nos. In postremo, qui de officio & merito Mediatoris agit, pluribus agi à nobis oportuit, tum vt quæ diuerso modo sentiunt Pontificij ex veritate confutarentur, tum verò vt quæ nostra non satis intelliguntur, legentibus exhiberentur illustriora labore nostro: præsertim quia in hoc argumento quædam interseruntur philosophica; quæ confundens Bellarminus turbat, nos per Dei gratiam (confido) euoluimus,

mus, vt ſuum officium verè ac diſtinctè, ſuumque meritum conſtet Domino Ieſu Chriſto Seruatori noſtro ad gloriam ipſius, & ſalutem æternam noſtram.

Hoc verò argumentum. Ampliſſimi viri, quanti eſſe apud omnes Chriſtianos debeat, res ipſa loquitur; & ipſa in plateis atque compitis proclamat ſapientia, vt cum Sapiente loquar, omneis ad conſcientiam huius boni perceptionemque religioſam illius prouocans: quanti ſit vobis, totíque ciuitate veſtræ, cùm multis inſignibus teſtimoniis demonſtrauiſtis pietatis & religionis veſtræ, tum vel maximè grauiſſimo illo tempore, quo ante annos ampliùs viginti ſeptem duriſſima obſidione preſſi famem inauditam pertuliſtis, & omne genus incommoda; quum dediti hoſtili feritati cruentiſſimam lanienam & horrendam carnificinam alij experti eſtis, alij cum luctu & mærore ſummo vidiſtis in vrbe, in foro, in laribus, in ſinu veſtro exerceri; quum aliquot pòſt annos ſæ-

uissimam Albani Ducis Hispanorumque tyrannidem ægrè perpessi in libertatem pristinam Deo auctore & Illustrissimo Principe Aurasiorum Guilhelmo Nassouio pedem posuistis; quum inde ab eo tempore diuinum illud signum, Scripturam sacram, gladium diuini verbi (quem vrbs vestra præfert) prælucere palàm, & prædicationem incorruptam eius resonare apud vos bono publico voluistis; quum denique nunc inter furores hostiles circumstrepente in ambitum, sed conquiescente intus per Dei gratiam Hollandia vestra, nullum officium omittitis, quod & consilio publico & singulari vestro ad commune bonum vestrum, & totius patriæ tranquillitatem ducitus pertinere. Hic enim rectè vobis illud acclamemus Pindari ἰσθμίων ζ. τιμὰ ἀγαθοῖσιν ἀντίκειται. ἴστω γὰρ σαφὲς ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸς φίλας πάτρας ἀμύνεται λοιγὸν ἀμύνων ἐναντίᾳ στρατῷ ἀστῶν, γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών. Qua in patria cùm mihi iamque diuturna & tranquilla per Dei

Dei gratiam ſtudiumque publicum Illuſtrium D. Ordinum & veſtrum omnium ſtatio obtigerit, ingratus equidem fuerim, niſi & Hollandiæ toti & ſingulis ciuitatibus ac membris illius debitum quaſi colonarium expendero, vtilitati publicæ inſeruiens & officio meo.

Quæ cùm ita ſint, prout meas antecedentes in controuerſiam primam Bellarmini notas animaduerſionesq́ue primariæ Hollandorum reipub. Dordraco inſcripſi, ita nunc ſecundas non potui V. A. & reipub. veſtræ florentiſſimæ, quæ tenet ſecundas, non inſcribere animo ſtudióque erga Chriſtum pio, erga populum Chriſtianum religioſo, erga V. A. & rempub. veſtram gratiſſimo: vt ſi qua eſt in Chriſto conſolatio, ſi quod ſolatium charitatis, ſiqua communio ſpiritus, ſi quæ viſcera ac miſerationes, alij aliorum explere gaudium ſapientia, charitate, vnanimitate, & conſenſione Chriſtiana contendamus, & mea quoque tenui acclamatione ad officium iſtud quotquot in

Christo viuimus accendamur. V. A. itaque submissè oro, vt meum hoc studium, officium, testimoniumq́ue publicum Christi in vobis habitantis, & animi erga V. A. remq́ue vestram publicam in Christo propensissimi accipere in bonam partem non dedignemini: sed & nunc oblatum munus suscipiatis Christiana illa fronte, quæ omneis in charitate accipit, & in posterum hoc labore meo tenui, si quid ad salutem nostram & Dei veritatem (vt spero & opto) facit, pietate vestra & sapientia secundùm Deum vtamini. Hoc enim præmium est studij atque laboris mei amplissimum, si Christum ministerio meo in populo Dei (cuius V. A. membra honorata agnosco esse) gigni, ali, augescere, & confirmari ad gloriam ipsius communemq́ue salutem & ædificationem quæ est in fide, videro.

Deus autem ille opt. max. & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus benedicens V. A. dirigat vias vestras populíque totius vestri, faxítque

vt

vt auctiores sitis & exundetis fide ac mutua inter vos atque in omneis charitate, vt corda vestra omnium stabiliat inculpata in sanctimonia coram ipso, in aduentum Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis suis, quorum salutis administri sumus, ad gloriam suam. Lugduno Batauorum, Kal. Martiis, CIↃ. IↃ. C.

FRAN-

FRANCISCI IVNII ANIMADVERSIONES IN BELLARMINI CONTROV. II.

LIB. I.

In præfationem, articulo. 1.

IN TERRIS, *in purgatorio, & in cælis est,*] De his suo loco videbimus, controu.4. & sequentibus.

2 Art.2. *A tergo & lateribus adoriantur.*] Hoc secundum genus hostium ipse Bellarminus sub finem huius ipsius præfationis in Ecclesia & ab Ecclesia negat exsistere.

3 Art.5. *verbum Dei non esse Patrum aut Ecclesiæ explicationi, sed spiritus solius testimonio atque iudicio alligatum.*] Hoc nusquam Ecclesias nostras, aut quæ Lutheranæ dicuntur, docere meminimus; vt controuersiæ 1.lib.1. cap.1. & 2. dictum; Nusquam à nostris Seruetus audiuit: Sed ex Pontificiorum lacuna (cuius mala, ac non remedia videbat) exortus, per varios errores πολυπλαγχθεὶς, illisit in Ecclesias nostras. Malum in Papatu hausit, euomuit in nos. Isti, dum sic criminantur, suo iumento sibi accersunt malum.

4 Art.11. *sic inter se dæmonibus collidentibus.*] Non potest animus iste ἰαμβηλὸς se temperare, quin aduersus sanctum & laudatum factum exsecrationes serat hominum odio. Bonum mauult pronunciare

 malum,

malum, quod Esaias damnat cap. 5. quàm bonum in quocunque est agnoscere. Hæc catholicorum officia scilicet.

5 Art. 16. *rem totā solis luce clariorem effecero.*] Meminerit, quæso, pius Lector huius sponsionis adeò magnificæ, quum ad sequentia venietur.

6 Ibid. *demonstrare potuero?*] Erasmū nobis, Bellarmine, quid obiicis? quem cùm alia ipsius multa, tum verò B. Rhenani epistola operibus Origenis præfixa, non vsqueadeò Ecclesiis nostris hæsisse testantur, sed suo quodam iudicio siue ex animi pusillitate, siue politica sapientia ab Ecclesiarū communione publica & arcta abstinuisse, vt à partibus abstineret? Sed sua Erasmus præstet: nos singula eius dicta in hoc argumento nec probamus, nec præstare pollicemur.

7 Art. 22. *quàm vocem hanc eamdem abolere.*] Verè quidem illa sunt ex Lutheri verbis, sed quæ nec integrè adferuntur, nec conuenienter menti aut sensui ipsius. Nam Lutherus eo in loco redarguerat iniquam Pontificiorum in Rom. 7. interpretationem, peccatum pro pœna accipientium, & obducta falsò auctoritate Patrum quorumdam sic dici iubentium. His rebus negatis, quia τὸ ὁμοούσιον adferebatur à Patribus definitum, in hunc modum respondet ille. Primùm negat valere simile; deinde vt concedat valere, tamen ex eo non sequi dicit quod affirmant Pontificij, id est, vniuersale ex particulari vno aut altero. Hæc illius verba: *Iam si esset similitudo & exemplum valeret, tamen non esset trahendum in consequentiam; sed indulgendum Patribus, qui semel extra Scripturam posuissent vocem profanam. Alioqui si exemplum statuas, totam Scripturam licebit in alias voces mutare, sicut Sophistæ fecerunt.* Posteà vocem à sensu distinguens, & sensum ad verita-

veritatem fidei necessarium, non vocem agnoscens, subiicit ὑποθετικῶς, *Quòd si odit anima mea vocem homousion, & nolim ea uti, non ero hæreticus. quis enim me coget uti, modò rem teneam quæ in Concilio per scripturas definita est? Etsi Ariani malè senserunt in fide,* &c. Quid tu mihi, Bellarmine, ex hypotheticis enunciatis & fictis suppositionibus, facis categoricas & affirmatiuas simpliciter? quid affirmatiuas dissimulas? Nam Lutherus supponit sibi odio vocem esse, rem affirmat simpliciter in eodem & sequente orationis ambitu. *Rem teneo,* inquit, *quæ in Concilio per scripturas definita est: Ariani malè senserunt in fide.* Rem tenet ex necessitate fidei, vocem esse ex necessitate negat, modò teneatur res. Et hîc παρατραγῳδιᾶς, totam illam tragœdiam propter vnam vocem illam fuisse olim excitatam. Falsum; fuit enim propter vocem & rem significatam voce. Ariani enim vtrumque negauerunt: etsi interdum re dissimulata subdolè vocem fingebant à se oppugnari solùm, vt hanc quasi victoriam assequuti rem labefactarent commodiùs. Eadem itaque, Bellarmine, Patribus & Luthero iniuriam facis: Patribus, quòd puris λογομαχίαις contentiosè operam dedisse ais: Luthero autem, quòd ei affingis, & verbis corruptis, sententiam à veritate, à mente, a verbis ipsius alienissimam. Quousque tandem non disces illud? cum bonis bene agier.

8 Art. 23. *dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*] Illud incogitantiæ fuit dictum, & μνημονικὸν (vt Græci vocant) ἁμάρτημα. Idcirco autem maximè Lutherus in eam sententiam venit, quòd vocem hypostaseos in scripturis legi animaduerteret, ὁμουσίυ minimè. Calumniatur, mentitur, fraudibus & mendaciis causam is tuetur suam, qui sciens prudens &

volens à veritate diſcedit: hoc non fecit Lutherus, qui in hac re imprudens à veritate aberrauerit. Errantem ſatis eſt redargui; criminationibus obrui pietas, charitas, & ratio vetant. Quiſquis autem librum de Conciliis Latinè reddidit, is non ſatis commodè Lutheri verba, quæ Germanicè dixerat, interpretatus eſt. Sed hæc ſatis.

9 Art.24. *Sancta Trinitas, vnus Deus, miſerere nobis.*] Falſum: Luthero non diſplicuit Trinitatis nomen, aut ſignificatũ nomine; ſed vox in vulgo Germanis recepta ad enunciandam Trinitatem. Hanc enim Germani ita enunciant, vt ex notatione & forma vocis triplicitatem potiùs (vt ita dicamus) quàm Trinitatem intelligas. Dreyfaltig illis eſt triplex: & inde dicta Dreyfaltigkeit / triplicitas. Hanc formam vocis Lutherus, purioris & ſimplicioris ac euidentioris ſermonis amans, vſqueadeò non probauit, vt periculoſam eſſe duceret in hoc myſterio enunciando. Hoccine tibi, Bellarmine, videtur crimen, ſi qua vox purior & facilior intellectu vernaculè requiritur ad offenſiones vocis præuertendas?

10 Art.25. *impius hæreſiarcha Neſtorius prædicauit?*] Criminatio falſa ex iniqua verborum interpretatione: quæ ſi obtineret, nemo planè orthodoxorum Patrum ab immanibus hæreſibus immunis eſſet. Nam illi Chriſtum hominem quum dicerent, tribus modis enunciauerunt; Aut perſonam Chriſti ſimpliciter notantes, quæ perſona homo eſt; aut perſonam Chriſti quà homo eſt, vel ſecundùm naturam humanam ipſius; aut denique humanitatem ſimpliciter: quæ poſterioribus demum ſeculis, Scholaſtici maximè, diſtinctiùs præceperunt enunciari. Perſona Chriſti ſimpliciter; quæ in vnitate ſui Deus & homo eſt, ca-

est, eadem est omnipotens; quod Lutherus affirmat passim: at eadem persona Christi quà homo est, vel secundùm humanitatem ipsius, aut humanitas ipsius per se non est omnipotens. Cur persona omnipotens? quia Deus: nam termini sunt reciprocantes conuertibilesque (vt vocant) Deus, & omnipotens: nemo Deus nisi omnipotens, nemo omnipotens nisi Deus. Cur non secundùm humanitatem Christus, aut humanitas ipsius est omnipotens? quia nec secundùm humanitatem, net humanitas ipsius est Deus. Itaque nec qui dicit, Christus homo est omnipotens, Eutychem sequitur; neç sequitur Nestorium qui dicit, Christus homo non est omnipotens, si rectè prout est opus intellexerit: quia vtrumque diuerso respectu verum est. Commodo interprete est opus, non suggillatore incommodo. Consulatur Bellarminus ipse libro 1. cap.8. infrà. Summa, Christus homo est omnipotens, quà Deus, & quà persona θεάνθρωπος; sed non est omnipotens, quà homo simpliciter, licet omnis potestas (at non omnipotentia) sit ipsi data in cœlo & terra, Matth.28.

11 Ibid. *quòd diuinitas Christi non possit pati.*] De hoc loco diximus in præfationem controuersiæ 1. Romæ habitam, in nota 8.

12 Ibid. *quis non videat à Luthero Christi naturas cum Eutychete confundi?*] Non sequitur ex falsa Lutheri interpretatione. Quisquis librum illum, aut ista Lutheri verba ex Germanico sic interpretatur, aut imperitè, aut insidiosè facit. Lutherus ipse vindicabit sese ab isto crimine, si bene ex Germanico reddatur locus. Sic enim ad verbum illa. *Naturæ*, inquit, *humanæ idiomata, sunt à Christo omissa multa, vt edere, dormire, mœrere, pati, mori, sepeliri, &c. iam*

enim ad dexteram Dei ſedet, nec vnquam in æternum comedit, bibit, dormit, mœret, patitur, moritur; quemadmodum & nobis fiet, quum ex hac vita in illam venerimus, 1. Cor. 15. *huiuſmodi ſunt temporalia & tranſeuntia idiomata: naturalia verò permanent, vt quòd corpus & animam, cutem & pilum ſanguinem & carnem, medullas & oſſa, omniaq́ue membra naturæ humanæ habet. Propterea oportet dici,* **Dieſer menſch Chriſtus das fleiſch vnd blut Maria** / *hic homo Chriſtus caro & ſanguis Mariæ eſt creator cœli & terræ, ſuperauit mortem, aboleuit peccatum, inferos diffregit: quæ idiomata purè diuina ſunt; & tamen perſonæ ipſi, quæ caro eſt & ſanguis Mariæ, rectè & Chriſtianè tribuuntur, quandoquidem non duæ, ſed vnica perſona eſt.* Non dicit Lutherus, **Dieſer menſch Chriſtus / diſes fleiſch vnd blut** / *hic homo Chriſtus, hæc caro & ſanguis*; ſed appoſitione vtitur (vt Grammatici vocauerunt) dicens, *hic homo Chriſtus caro & ſanguis Mariæ,* id eſt, hic homo, hæc perſona ipſa quæ caro eſt & ſanguis Mariæ, vt ſequentibus verbis exponit luculentiſſimè. Quid euidentius Lutheri verbis? quid iſta interpretatione Bellarmini calumnioſius? i nunc, & Theocrinem tragicum nega te docere ſocietatem tuam.

13 Art. 26. *ſanctos verò Cyrillum & Leonem in æternum perituros.*] Inſidioſè dicuntur hæc omnia ad obruendam Lutheri cauſam; etſi quædam modeſtiùs ab eo fuiſſe dicta multi deſiderant. De Conciliis Lutherus agens oſtendit pauca re & ratione ſeu modo agendi ſimul probari poſſe; multa re ſubſtantiaque fuiſſe proba, ſed modo agendi vitioſa: plurima deniq́ue fuiſſe vitioſa re ſimul & modo. Bellarminus turbat, ne cauſam obtinere poſſit. Statuit ergo Lutherus vtrumque illud Concilium, Epheſinum & Chalce-

Chalcedonenſe re pium ac probum eſſe; ſed tamen in modo agendi cum Neſtorio & Eutyche, magnos illos viros a via charitatis æſtu quodam inconſiderato in tranſuerſum abreptos eſſe: quam rem quis bonus lectis Conciliorum Actis, narrationibus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & ipſorum aliorumque Patrum ſanctorum ſcriptis bona fide negauerit? De Neſtorio verò & Eutyche, primùm quidem ex inſcitia & in modo loquendi maximè lapſos fuiſſe dicit; & vtrumque zelo bono, animo ſyncero, & fide bona egiſſe iudicat, non autem (vt Bellarminus adfingit) recta: poſteà verò iſtos in ſua inſcientia obduratos fuiſſe & in impietatem ruiſſe iniquo ſtudio purgandi ſui, illos auſteriore & aſperiore agendi modo aliquam iſtis (non totam) ſui obfirmandi materiam præbuiſſe. Etenim præcipitem feruidúmque in agendo fuiſſe Cyrillum, Leonem arrogantem, vtrumque ſupra quàm par fuit vehementiorem quodammodo, omnes hiſtoriæ teſtantur. Qui per inſcientiam in doctrina diſſentiunt, doctrina informantur in lenitate Spiritus, offenduntur motu; in quem procliuiores illos fuiſſe conſtat. Nihil ampliùs Lutherus dixit de ſanctis illis viris, & infirmitate illorum. Quæ autem ſequuntur, *vereri ſe, ne in extremo iudicio*, &c. ea non de illis Conciliis Patribúſve dicuntur, ſed de poſtremo iſto Conciliorum genere, quod vitioſum fuiſſe diximus re ſimul & modo. De iſto enim pij rectè vereri poſſunt, vt in extremo illo iudicio nonnullis, qui hæretici dicuntur, ſedentibus pereant Epiſcopi, qui in ſuis Conciliabulis eos damnauerint. Quid hæc piè dicta Bellarminus confundit, vt in diuerſum contra quàm dicta ſunt, omnia diſtorqueat?

14 Ibid. *ſatis apertè clament.*] Hæc tragica ſunt, & falſa.

15 Ibid. *horribiliter corroserunt?*] Non negamus: nec verò in causa doctrinæ Lutherus suscepit vnquam defensionem Nestorij. Etsi infirma est ab euentu argumentatio.

16 Art. 27. *quædam Filius, quædam Spiritus sanctus.*] Ex antecedente ambiguo, & æquiuoco falsum consequens. Ambiguè accipitur quod Melanchthon dicit in Christo aliquid diuinæ naturæ, aliquam diuinam naturam esse. Nam ista vox, *aliqua, aliquid,* aut distinguit in Filio, aut in natura diuina. Si in natura diuina (quod tamen sibi Melanchthon noluit) aut multæ naturæ diuinæ, aut multæ partes naturæ diuinæ, aut denique plures personæ (quod Bellarminus dissimulat) eo denotantur. Sin autem in persona, quod sensit Melanchthon, quis negat aliquid in Christo naturæ diuinæ, aliquid humanæ esse? nam ex vtraque natura constat Christus: & *sicut anima rationalis,* ait Athanasius, *& caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:* aliquid eius Deus, siue natura diuina, & aliquid eius caro, vtrumque in Christo, in Filio Dei. Bifariam ergo Bellarminus peccat: tum quòd vocem distinguentem in persona Filij, rapit ad distinctionem in natura Dei, qua de re ne per somnium quidem Philippo in mentem venerat; tum quòd etiam in ratione naturæ distinguendæ insufficientem enumerationem infert, eoque concludit malè. Nam distinguitur natura aut in naturas multas, aut in partes multas, aut in indiuidua & personas multas ὁμοφυεῖς καὶ ὁμουσίους. Nec simpliciùs agit disputator in verba illa de Spiritu sancto à Melanchthone enunciata, quũ Spiritum sanctum *aliquid essentiæ Dei, aliquid Dei* nominat. Hîc enim vox Dei à Philippo dicitur οὐσιωδῶς, non autem πρός τι, Persona autem in Deitate consideratur dupliciter:

citer: absolutè, quà subsistit, & est Deus; vel relatè, πρός τι, quà persona vna respicit ad alteram, & est aliquid Dei, vel essentiæ Dei, vt cum Philippo dicam: nam persona (vt cum Anastasio Antiocheno dicam) est ἐνούσιος ὑπόστασις siue ἐνούσιον ὑφιστάμενον. Hæc homonymia vocis, ex qua ambiguitatem dicti Bellarminus aucupatur eamdem ipsam quam modò explicauimus. Non valet igitur consequens huiusmodi, quod ex æquiuocatione & ambiguitate conficitur, & insufficiente (vt diximus) enumeratione. At loquutio est, inquies, impropria. Non simpliciter est impropria, sed aliquo respectu dicitur. Nam vt species subsistit in suis indiuiduis, sic essentia in suis ἐνουσίοις, personis, indiuiduis, vtcunque placebit appellare. Nec indiuiduum est species, nec persona essentia; sed speciei illud, hæc essentiæ est. Quòd si non species, non essentia est, ergo aliquid speciei & essentiæ est, quoties indiuiduum cum specie, personaque cum essentia comparatur; & ita rectè dicitur: absolutè verò & Petrus homo est, & persona diuina Deus. Etsi eo magis persona Deus dicenda est, quia species non est in subiecto, & tamen de subiecto dicitur; essentia verò tota est in persona, & de persona dicitur, κατ᾽ ἐνάλληλον ἐμπεριχώρησιν, quā optimè orthodoxi Patres in diuinis ex sacra Scriptura tradiderunt. Philippus ergo non malè, non κακοδόξως scribebat ista. quamquam receptum in Ecclesia loquendi modum & communem pressiùs obseruari probo: sed illud non damno tamen.

17. Ibid. *qua sententia nihil iucundius noui Ariani audire potuerunt.*] Negatur consequens. Nam quum Philippus naturam diuinam dicit, de persona dicit etiam secundùm naturam diuinam: obedientia autem non est actus naturalis naturæ, sed vo-

luntarius personæ secundùm vtramque naturam ex œconomia seu dispensatione diuina. Non valet consequutio ab vna specie ad alteram, ab actu naturæ ad actum voluntatis. Nam & Filius aliquis regis cum Patre regnans naturæ vnius est cum patre suo (vt cum Chrysostomo dicam) & integra natura tamen potest intercedere apud patrem pro suis popularibus dispositione voluntatis suæ. Sed de hac re dicetur infrà lib. 5. cap. 3. & seq.

17 Art. 28. *si Pater est per excellentiam Deus, quomodo non maior est Filio?*] Antecedens falsum. Sic enim Caluinus ad verbum, *ingenuè tradimus* καθ' ὑπεροχὴν *Dei nomen Patri propriè adscribi.* Dicit Patri, non soli: dicit adscribi, non esse per excellentiam Deum. Aliud est dici, aliud esse. Esse autem est simplex; dici, vel adscribi, vel attribui, quàm est multiplex? Quid autem Bellarminus? argumentatur à dici ad esse, vt ita loquamur, dicens, *si Pater est per excellentiam Deus*, &c. Sed quomodo, inquies, dicitur Pater quodammodo per excellentiam Deus, instituta cum Filio comparatione. Duobus modis, respectu personæ, aut officij voluntarij: Personæ autem, secundùm naturam hanc, aut illam, aut vtramque simul. Si ad naturam diuinam Filij respexeris, ea aut secundùm se contemplanda est, aut secundum originem principiumque ipsius. Priore modo Pater Deus dici per excellentiam non potest; at posteriore potest non incommodè, quia est Pater, fons & principium Filij, vt Patres omnes ex Scriptura loquuti sunt: quemadmodum ediuerso Filius *Deus de Deo, lumen de lumine* appellatur. Atque illud est, quò respexit Caluinus, quum ita diceret: nec verò Bellarminus negat infrà cap. 10. agens de Tertulliani verbis. Simpliciter enim Filius tam

Deus

Deus est, quàm Pater Deus: respectiuè autem (vt loquuntur) Deo Patri nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν tribuitur, non quà Deus absolutè, sed quà Pater fons & principium Filij. Dicam Augustini verbis serm. 38. de tempore, *Quicquid est Pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Filius & Spiritus sanctus:* sed quicquid est Pater, quo pater, hoc non est Filius, etsi hoc quoque respectu singulari καθ' ὑπεροχὴν potest appellari Deus, vt fons & principium Filij. Hoc si non placet, Bellarmine, dici, potes omittere; sed cauillari non potes iure. *Veriùs enim*, ait idem Augustinus, *cogitatur Deus quàm dicitur, & veriùs est quàm cogitatur.* Ex antecedente falso quid valeat consequens? Negamus. Etsi consequens ipsum non damnat Nazianzenus orat. 2. de Filio, quum ait, ἢ δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον, τῆς φύσεως. καὶ τοῦτο ὑπὸ πολλῆς εὐγνωμοσύνης ὁμολογοῦμεν ἡμεῖς. Hoc Nazianzenus dicit cum Arianis disputans: quomodo ergo pro Arianis faciat? Explicat Caluinus responso ad quæstiones Blandratæ, dicens, *Quia verò proprietates in personis ordinem suum ferunt, vt in Patre sit principium & origo; quoties fit mentio Patris & Filij simul vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur.* vide lib. 1. cap. 16. infra.

19 Ibid. *qua ratione fieri potest, vt qui potuit non esse, æqualis sit ei qui necessariò semper est?*] Id Valentinus Gentilis adfirmauit sequutus Eunomium: à Caluino negamus adfirmari. Sequentia ergo vera sunt, Caluinum verò minimè attingunt, qui Eunomianum illud dogma non probauit vnquam. At Caluinus, inquies, non negauit, non refutauit illud Gentilis affirmatum. Non sequitur, mi homo, ergo istud a Caluino probatum esse. Nam tum sequeretur demum, si Caluinus singularem singulorum Valentini

tini Gentilis errorum confutationem instituisset accuratè. Hoc autem non fecit; sed tantùm protheses illas impias destrinxit, quà ad summum illud quæstionis caput de vno essentiali Deo Patre videbantur pertinere: cætera missa fecit, quia dissimulari mala quædam per illud tempus malebat quàm multas quæstiones ampliùs excitari: quæ res ipsi inuidiosa, iudicibus onerosa, populo periculosa futura fuisset. Nec aliud ostendit ipsa inscriptio, quum Caluinus inquit, *an attingerem dubitaui:* attigit enim, ac non ex professo minutatimque tractauit singula: declarat idem examen multarum protheseon, siquis eas accuratè velit expendere. Inanis ergo Bellarmini consequutio est in hoc casu, tacuit; probauit igitur, igitur affirmauit. Quo iure, amabò, hanc consequentiam probes?

20 Art.29. *hæreticum refellere, an cum eo iocari & ludere?*] Falsum consequens ex antecedentis interpretatione falsa: quod ego quidem à Caluino euidentiùs dictum velim, ab hoc verò disputatore acceptum æquiùs oportuit. Vt res planior sit, id præmittendum est, personæ considerandæ triplicem rationem esse: communem in essentia, quà Deus est: singularem absolutam in persona, quà subsistit in vnitate essentiæ: & relatiuam in distinctione & ordine personæ vnius ad alteram. Iam verò quum de nomine Creatoris turbaret Gentilis, distinguit Caluinus accuratissimè in hunc modum, Creatoris nomen est proprium essentiæ, & singulare vniuscuiusque personæ in essentia, quia nihil quod est essentiæ, personæ non est, si absolutè personam respexeris: sin verò relatè eam respexeris secundùm distinctionem & ordinem personæ vnius ad alteram, nomen Creatoris ratione ordinis est proprium Patris, non Filij. Hæc Caluini distinctio, sub-

ctio, subtilior fortasse quàm Bellarmino placeat, verumtamen nihil hæreticum Arianumque sapiens. Sed ipsum audiamus. *Nunc attendamus*, inquit, *ad verba Ieremiæ, Dij qui non fecerunt cœlum & terram, pereant è mundo. An Filio Dei maledixit Propheta? atqui dira imprecatio interitus ad eum pertinet, nisi creator sit. Hoc vno verbo discutiuntur omnes Valentini nebulæ de vnius Patris essentia.* Hactenus de persona in essentia & in se considerata. Subijcit, *Cur ergo Creator dicitur Pater, & hoc titulo seorsim ornatur? nempe ratione ordinis, dum respicitur ad personas. Unde etiam apertè conuincitur erroris Valentinus, qui non putat saluam Patri fore suam deitatem, si Christus eiusdem essentiæ sit particeps. Nam certè vno consensu fatemur Christum impropriè vocari Creatorem cœli & terræ, quoad personæ distinctionem: neque enim dubium est, quin Scriptura Patri nomen Creatoris vindicans personas distinguat.* Non dicit Caluinus respectu personæ in se, quod hic Bellarminus fingit, sed respectu personæ in ordine ad alias personas duas. Demonstrat istud sequentibus, quum ait, *Si verè Creator est Christus, neque id personæ respectu; sequitur necessariò referri hoc ad essentiam, qua [illegible] Valentinus spoliat. Et audet obscœnus canis, Arij & Mahometis nos facere socios, quia Christum essentialiter Deum credimus?* Hæc bona fide, Caluini omnia de hoc argumento ibidem dicta: quæ Bellarminum priùs intelligere quàm damnare oportuit. Falsa omnino est criminatio.

21 Ibid. *propriè est Deus de Deo, lumen de lumine.*] Hæc falsa. Caluinus non vocat impropriam, sed tantùm duram, idque propter ambiguitatem ipsius. Nam postquam dixit Valentini verbis, *Sed verba Concilij Nicæni sonant Deum esse de Deo,* respon-

respondet illico, *Dura loquutio, fateor; sed ad cuius tollendam ambiguitatem nemo potest esse magis idoneus interpres quàm Athanasius qui eam dictauit.* Quid dignum tanto adfert Bellarminus hiatu? vide lib.2. cap.19.nota.4.

22 Ibid. *atque adeò res creata esse intelligatur.*] Non sequitur: nam etiam qui non est natura subiectus, potest voluntate subiici; prout mediatonis opus voluntariæ est dispositionis seu œconomiæ. Sed de hac re infrà lib.1.cap.16.

23 Ibid. *noui Samosateni in publica disputatione de sententia huius loci Caluinum iudicem appellauerint.*] Aliud est de substantia doctrinæ & capite fidei agere, aliud de huius aut illius loci interpretatione. Qui substantiam doctrinæ fidei oppugnat, is hæreticus esto: at qui alicuius loci interpretationem, non continuò est hæreticus dicendus: audax & inconsequens est affirmatio. Caluinus in substantia doctrinæ consensit: in quorumdam verò locorum interpretatione dissensit, quod equidem nolim factum. Neutrum probamus: nec quòd ille à recepta particularium locorum nõnullorum interpretatione discessit, quamuis hæreticus non fuerit propterea, cùm caput doctrinæ fundamentumque tenuerit, & ipsum constanter propugnauerit: nec quòd aduersarij quiuis testimonijs eius cùm ad singularium locorum interpretationem, tum (quod indignius, & contra Caluini mentem) ad commune Christianæ doctrinæ caput labefactandum abutuntur, quod religiosè ad mortem vsque credidit atque professus est. De cæteris suo loco videbitur.

24 Art.30. *Ariani ipsi vix dicere ausi essent.*] Bona fide, obsecro. Bullingerus non suis vtitur, sed Tertulliani verbis. Sic enim ille aduersus Praxean,

cap.2.

cap. 2. *Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; vnius autem substantiæ, & vnius status, & vnius potestatis: quia vnus Deus, ex quo & gradus isti & formæ & species in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti deputantur.* Hæc Tertulliani verba, dura quidem; sed pro illo tempore non malè dicta, pro hoc autem nostro commodè accipienda. Quid enim, Bellarmine, vetat quo minus gradum pro ordine, formam pro personalitate (vt Scholasticè loquamur) speciem pro singulari & indiuidua ratione accipias. hoc Tertullianus sibi voluit: hoc Bullingerus expressit illius verbis. Non Bullingerum in ius, sed Tertullianum vocas, à quo Ariani præsidium nullum vnquam petiuerunt.

25 Art. 31. *distinguitur, inquit, Filius ille æqualis Patri ab eo qui non est æqualis.*] Ambigua phrasis orthodoxis Patribus frequentata passim; sed quæ posterioribus seculis ad præcauendos errores nonnullos correcta est; Itaque si quis vtitur, eam cum grano salis (vt recentiores loquuntur) oportet accipi, hoc modo: *Scriptura distinguit Filium Dei,* quà filius Dei est, *à Filio hominis,* quà est filius hominis. quod est verissimum: nam Christus vnus est, persona vna; sed distinguitur secundùm naturam vtramque in vnitate personæ. Quid, quòd eadem loquutione Bellarminus ipse interdum vtitur? vt quum paulo pòst dicit de Stancaro & sectatoribus, *qui sic ad solum hominem Christum officium mediatoris referunt, &c.* Eadem loquutionis ratio: quia idem æqualis Patri & inæqualis est, vt in Symbolo Athanasiano dicitur, *æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Quid hîc reprehensione dignum tantopere? Obscurum est, inquies. At quàm multis locis ab eodem Me-

dem Melio declaratum? Non est ingenui hominis exagitare vel obscurum dictum, vbi sensus ibidem, nec longè exponitur. Apage τὸ λογομαχεῖν.

26 Art. 32. *dudum sepultũ ab inferis reuocare?*] Non sequitur iusta ratione vlla, malè sensisse Bezam, si hoc dixit: sed Bellarminus concludit iniquè elenchi ignoratione, an abusu voluntario? Etenim aliud est, si vnitatem personæ in Christo contempleris, aliud si vnionem naturarum in vnitatem personæ. Ex vnitate personæ est, quòd vnica statuitur vnio hypostatica verissimè in persona Christi; prout re vnio hypostatica vna est, animæ & corporis in homine, similiterque naturæ diuinæ & humanæ in Christo: *nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Sed ex vnione naturarum est in persona Christi, quòd hypostatica vnio duplex consideratur ratione in vnitate personæ. Nam cùm homo siue humanitas per hypostaticam vnionem constituatur ex anima & corpore, & humanitatem Deus in se assumpserit, omnino sequitur non posse dari Mediatorem Christum verum hominem sine hoc hypostaticæ vnionis modo; quandoquidem sine hoc non potest homo esse, non consistere, non mori potest. Christus autem est homo, & hîc constitit vt homo, atque vt homo est mortuus, non separatione diuinitatis ab humanitate, sed solutione animæ à corpore sibi adunato personaliter. Atque hoc cum verbis Athanasij optimè conuenit dicentis in Symbolo, *qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum* (humanitatis ait, quæ suam necessariò supponit hypostaticam vnionem) *vnus omnino non confusione substantiæ* (nam ne nostra quidem ex confusione

ſione animæ & corporis ſubſiſtit humanitas) *ſed vnitate perſonæ*. Non hoc Neſtorium ſapit, quum hypoſtatica vnio in perſona Chriſti re vna dicitur, ratione duplex; ſed ſi quis non diſtinxerit, imprudens ad Eutychianos transfugit.

27 Art. 33. *Arianorum veterum & verba & ſententias imitantur.*] Falſum. Nec Sarnicij verba in colloquio habita, nec Arianorum in ſermone adducuntur rectè, nec ad concluſionem iſtam ex veritate pertinent. Non ſolam diuinam naturam Sarnicius, ſed perſonam Chriſti etiam ſecundùm naturam diuinam Pontificem noſtram eſſe ſacerdotemque ſtatuit. Sed de hac re libro 5. cap. 3. futurus eſt dicendi locus.

28 Art. 34. *Hoc non eſt vincere Arianos, ſed vinci ac debellari à Sabellianis.*] Theologi eſt dicere Theologicè, Philoſophi analogicè, Chriſtiani verè. Hic philoſophum analogicè dicentem vt exagitet, non dicit verè quæ ab ipſo ſecundùm quandam analogiam fuerunt dicta. Atquin eamdem analogiam quàm multi Patres ſequuti ſunt? quàm perſequitur Magiſter ſententiarum anxiè? Nunquam id dixit, nunquam ſenſit Scheckius, vnicam eſſe Deitatis hypoſtaſin & treis potentias: ſed ex hypoſtaſeos vnius (puta Angelicæ aut humanæ) exemplo docuit, in creata quidem hypoſtaſi treis potentias ſeu facultates eſſentiales eſſe, vitam, intellectum, & voluntatem; in Deo verò, quandoquidem nihil eſt quod non ſit Deus, illas potentias non eſſe vt potentias (prout ſunt in animis noſtris) ſed verè eſſe Deum οὐσιωδῶς, relatione verò hypoſtatica eſſe hypoſtaſeis in ſe ſubſiſtenteis, & in quibus diuina eſſentia ſubſiſtit diuino modo, ſupra omnem rerum creatarum etiam metaphyſicarum modum. Quòd ſi quis hypoſtaſin pro eſſentia diceret, equidem non pro-



barem, quia nos sic loqui non docet Apostolus Hebr. 1. verumtamen ferrem æquo animo philosophantem donec meliùs ex Scripturis loqui didicisset; illud Hieronymi ad Damasum scribentis exemplum cogitans, qui deceptus vsu philosophantium clamat, *Tota secularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi vsiam nouit: & quis rogo, ore sacrilego treis substantias prædicabit?* & quæ sequuntur. Angeli, hominis cuiusque indiuidui vna est hypostasis subsistens in se, & tribus potentijs prædita quæ subsistenti insunt: at Dei vna est οὐσία siue essentia subsistens in suis hypostasibus seu personis, quæ non insunt Deitati vt subiecto, sed ipsæ sunt vnum, id est, vnus essentia Deus. Hoc Scheckius credidit, & dixit. Quod si tibi videtur, Bellarmine, obscuriùs dixisse, tu verò ne obscuriùs dicta obscuritate & iniquitate interpretationum tuarum prægrauato.

29 Art. 29. *nihil à seipso generari posit.*] Antecedens ab illo imprudentiùs dictum, ab hoc inuidiosiùs. Essentia trium personarum est, & persona quæque est subsistens (vt Anastasius Antiochenus loqui[illegible] ἐνούσιον. Essentiam generare qui dicit, non essentiam in se intelligit, quod hæreticum est; sed essentiam in persona, quod Wigandus fortè sensit. Etsi hanc loququtionem temere non probauerim: nam Wigandus à vero aberrauit, vt lib. 2. cap. 7. ostenditur. Verumtamen hoc sensu posito rectè negatur consequens, quod Bellarminus adstruit.

30 Art. 37. *rem creatam cum Arianis faciunt.*] Negantur ista. Sed de hac re in libro 5.

31 Art. 38. *sed etiam portam latißimam patefecisse.*] Ex falsis antecedentibus multa falsa consequentia. Sed quæ vera, quæ falsa, antè distinximus.

Quà

Quà ad nos ſpectant iſta, negamus omnia: aliorum errores non præſtamus, qui nunquam fuerunt noſtri.

32 Art. 39. *perſequimini quos genuiſtis?*] Reſpondebunt nec ſe Arianorum parentes, nec illos ſibi filios aut à ſe genitos fuiſſe vnquam: iſtam ementitam opinionem horum, & illorum criminationem eſſe.

33 Ibid. *Euangelij veſtri fructus colligitis?*] Reſpondebunt non Euangelij à ſe prædicati, ſed à Pontificijs celati atque abſconditi iſtos fructus eſſe.

34 Ibid. *à vobis, Lutherani & Caluiniſtæ, omnes prodiuimus.*] At contrà Socini, Seruetus, Gribaldus, Gentilis, Blandrata, &c. ex vobis, Pontificij, omnes prodierunt, & propter incerta tenebrarum Pontificiarũ mente moti, à vobis per nos ad Arium ipſum & tetros quoſque errores tranſuolarunt: morbum cerebri intuliſtis; quo agitati grauiſſimè, à nobis nec potuerunt in tranſcurſu, nec ſe curari paſſi ſunt.

35 Ibid. *hæc omnia damnare coacti ſumus.*] Conſequens falſum: nam res in Scripturis expreſsè legitur, licet non voces ſingulæ. Quòd ſi voces ſingulas exprimi oportuit, cur alio ſermone quàm Hebræo aut Græco dicimus? Quin harum vocum nonnullas in Scripturis expreſſas exiſtere iam olim probauimus Defenſione 2. de Trinit. Cogi ergo in contrarium à nobis illos, falſa eſt criminatio.

36 Ibid. *aliud credere, vel dicere.*] Antecedens falſum: vt controu. 1. lib. 1. cap. 1. & 2. & alibi dictum.

37 Ibid. *alium Chriſtum quærere debuimus.*] Antecedens nunquam noſtrum quiſquam ita ſimpliciter enunciauit. De Papa, controu. 3. de alijs verò, controu. 5. videbitur. Papiſtas omneis ad Antichriſti

membra pertinere promiscuè, nunquam sensimus. Antichristus autem de Christo quidem rectè non credit; sed aliquid tectè tradit de Christo, vt circumueniat speciosiùs. Non ergo alius Christus simpliciter, sed alio duce & alia via quærendus est Christus in spiritu & veritate.

38 Ibid. *omnia quæ nunc docemus colligere debuimus.*] Antecedens plura continet, quorum alia distinctè pronunciamus, quod hic dissimulat; alia negamus simpliciter. Sed de omnibus libro 5. dicturi sumus. Quæ sequuntur, verba sunt: at nos ad rem ipsam accingamur.

De Deo, LIB. I.

CAP. I.

1 Art.2. *Photinus apud Augustinum hæres.44. & 45.*] De Ebione distinguendum, vt infrà cap.15. & eadem quoque distinctio cap.5. obseruanda.

CAP. III.

1 Art.21. *Stobæus serm.45. vbi & alios permultos adducit.*] De hac quæstione ampliùs agitur in principio controuersiæ 3.

CAP. V.

1 Art.3. *& à Spiritu sancto, Lucæ 4.*] Etsi Bellarminus hoc in loco non animaduertit amphiboliam. Illa enim Prophetæ verba, *misit me,* tam ad Domi-

Dominum ipsum cuius est Spiritus, quàm ad Spiritum referri possunt. Sed de re conuenit.

2 Art.7. *à Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto,*] Simplicùs dixeris, à Deo Patre per Filium in Spiritu sancto, comitantibus myriadibus Angelorum, & numeris eorum circumstantibus. Sic enim sunt intelligendi loci Actor.7.& Galat.3.ex Deuter.33. Psalm.68. Habac.3.& alijs locis.

3 Art.15. *qui eumdem librum reÿciunt.*] vide controuersiæ 1.lib.1.cap.8.suprà.

4 Art.20. *sed de alia, quæ facta est ab Angelo contendente cum diabolo de Moysi corpore.*] Nempe vt vulgo obtinet loci illius interpretatio. Alioqui de eadem increpatione commodè potest accipi, si Iesum Christum intelligas Michaëlis Archangeli appellatione. Sonat enim Michaël Archangelus, si Latinè interpreteris, qui par est vel æqualis Deo, principem Angelorum.

5 Ibid. *non vt Angelus, sed vt Dominum repræsentans.*] Prius disiunctionis membrum est verissimum; posterius nec auctoritate, nec ratione ulla probabili, nec exemplo confirmari potest.

Cap. VI.

1 Art.4. *Spiritum à Filio procedere dicit Ioan.15. & alibi.*] Hæc argumentatio ex eo procedit, quòd interiori diuinæ œconomiæ respondet exterior, vt copiosiùs in lib.5.cap.8.dicturi sumus.

2 Art.5. *ac ideò filius Mariæ filius altißimi dicitur.*] Faciliùs cum alijs dixeris, virtutis nomine operationem à virtute Dei & descendentis in Mariam

Spiritus significari, qua operatione obumbrante factum est vt filius Mariæ secundùm carnem existeret.

3 Art.13. *poterant etiam addere Arium & Eunomium.*] De Erasmo, nihil mirum. Caluinus de singulari loci illius interpretatione ita sensit animo certè minimè malo, eo quòd aliam esse illius argumentationis viam statueret. Quòd si dissensit in huius loci interpretatione, at non discrepauit tamen in veritatis dogmate, quod & docuit sanctè, & acriter propugnauit. Vide quæ in præfationem adnotauimus numero 23.

4 Art.18. *ostendisse ex operibus se esse verum Deum.*] Atque hæc simplicior est interpretatio. Etenim prior responsionis locus est ex comparatione minoris; nempe hominum terrestrium ad quos mittitur verbum Dei & figuratè vocantur Dij, cum ipso Sermone æterno à Patre sanctificato & misso, qui Filius Dei propriè & vniuocè appellatur. Posterior locus autem confirmationis est.

5 Art.21. *non significat vnitatem naturæ, sed vnitatem concordiæ.*] Adde, & vnitatem ἕξεως in corpus Ecclesiæ in Christo, quod corpus ordinatione vnum est: siue (vt planiùs dicamus) vnitatem coagmentationis in Spiritu æternùm duraturam inter membra Christi & corporis mystici illius. Quapropter vnitatis conformatio est ἀνάλογος, siue (vt loquuntur) proportionata conditioni eorum quæ esse dicuntur vnum: quo respexit Chrysostomi interpretatio. Ergo Pater & Filius vnum sunt vniuocè; sancti verò per vnionem inter se vnum sunt æquiuocè. Sic Bellarminus posteà, quum de imagine Dei agitur, respondet non malè, vtens hoc distinctionis genere.

6 Art. 48. *locum cœlestem, sed testimonij qualitatem.*] Etsi id quoque de loco cœlesti excludi nullo iure debet. Nam eo ipso diuinum est testimonium, & demonstratur esse, quòd in cœlo existens nobis testificatur qui in terra sumus: quod profectò opus non vllius creaturæ, sed Dei solius est proprijssimum, qui eodem momento sine mora in cœlo terraque simul testimonium perhibet creatis rebus.

7 Ibid. *ex latere aqua & sanguis fluxerunt.*] De ista loci huius interpretatione Bellarminus viderit: equidem præstare nolim.

8 Art. 53. *proximam personam, quàm remotũ?*] Adde, & eam personam de qua propriè & ex professò agitur potiùs quàm alteram?

9 Art. 57. *est mentis proles seu notitia & conceptus.*] Meliùs in hoc sermone ex Basilio, Nysseno, Augustino, & Damasceno dixeris, est ipsa facultas essentialis mentis nostræ, λόγος puta ἔμφυτος ἢ φυσικὸς, non autem ἐνδιάθετος in animo nostro. Quarobrem in sequentibus nonnulla dicuntur paulò incommodiùs; quæ cùm propria sint τοῦ ἐνδιαθέτου λόγου, tamen huic ἐμφύτῳ tribuuntur. Deo autem cùm nihil accidat, nec λόγος ἐνδιάθετος ei competit, nec vlla proprietas eius.

10 Art. 65. *& verbum erat ille idem Deus.*] Atque hoc rectius, vt Græci articuli postulat & iubet ratio.

11 Art. 67. *planè ruit aduersarij argumentum.*] Sed hoc omnino infirmum est, ne dicam subtilius, & à veritate contextus Græci alienissimum. Priorem itaque interpretationem retineri præstat.

CAP. VII.

1 Art.5. *nec ara, nec Hierusalem dicuntur simpliciter* יהוה] Sed dicuntur, Iehouæ, puta ara & & ciuitas, ἐλλειπτικῶς.

2 Art.6. *vocē Iehoua, quæ nuper excogitata est.*] Hoc dictum probari testimonio certo aut ratione non potest, vel auctoritate iusta; & dignitati maiestatique testamenti veteris aduersatur. Et quis nuper excogitatum dicat illud Iao, ἰαώ, quo Gnostici, Valentiniani, & alij hæretici olim, corrumpentes nomen Iehoua, abusi sunt?

CAP. VIII.

1 Art.3. *Salomoni tribui soleant.*] Vide in controuersiæ 1. lib 1. cap. 13. nota 3. & . 9.

2 Art.7. *suprà disputatum est.*] cap. proximè præcedente.

3 Art.14. *ea dici de Christo, quâ homo erat, non quà Deus.*] Nos verò dici de Christo agnoscimus, quà est θεάνθρωπος mediator Dei & hominum, secundùm œconomiam illam dispositionemque salutis ab æterno præstitutam.

4 Art.15. *omnia dedit ei Pater in manus.*] Simplex responsio est, aliud πᾶσαν ἐξουσίαν esse, aliud omnipotentiam, vt rectè principio Bellarminus distinxit: hanc enim Christi esse, quà Deus, communiter cum Patre & Spiritu sancto, essentialem ex natura; illam verò Christi esse, quà θεάνθρωπος & Mediator noster, ex officio suscepto voluntariè: quod ex sequentibus Domini apud Matthæum verbis confirmatur.

5 Art.17 *hæc dici de Chriſto quà homo erat.*] Adde, & dici ex hypotheſi, nempe reſpectu humilis & infirmæ opinionis, quam de Chriſto habebant ij qui alloquebantur ipſum, quamuis ipſius diſcipuli.

6 Ibid. *de ſcientia animæ Chriſti.*] infrà lib.4. caput 5.

7 Art.25. *inuocationibus, feſtis diebus.*] de his diſtinctè agetur poſteà controuerſiæ 7. libro 3. vt & de diſtinctione cultus.

In Cap. ix.

1 Art.3. *vt ſuprà docuimus.*] ſub principium capitis 8.

2 Art.6. *Chriſtum inſtrumentum Dei vocat*] Si quis loquutiones illas expenderit, propriè non competunt Chriſto; ſed figuratè & impropriè tribuuntur. Id enim ſibi & Sirmienſes Patres qui ὑπουργηκότα apud Socratem lib.2.hiſt.Eccleſ. & alij qui inſtrumentum aut aliter dixerunt Chriſtum, voluerunt; non quaſi inſtrumentum accidentale & foris adueniens, ſed eſſentiale & in Deo ſubſiſtens deſignari: coniunctum inſtrumentum in rebus naturalibus dixerunt Scholaſtici. Atque in hunc modum Spiritus etiam ſanctus Dei manus & digitus Dei appellatur, vt Baſilius rectè in Eunomium obſeruauit. Manus enim & digiti eſſentialia ſunt & coniuncta homini inſtrumenta, actionibus humanis accommoda. Hæc boni piè dixerunt, alij impiè abutuntur. Quòd ſi hæc non ſatis commodè videntur dicta, certè non vſqueadeò dicuntur incommodè, vt impietatis damnari præciſè oporteat. Noſtrum eſt benignis interpretationibus acquieſcere in charitate, & cùm voces incommodas prudentia fu-

gere, tum malignas interpretationes in veritate & simplicitate Christiana amoliri. In re & substantia religiosè ea quæ pòst dicuntur suscipimus.

Cap. x.

1 Art.2. *Clementem, Ignatium, Dionysium, Martialem.*] Caput quidem doctrinæ religiosè colimus de quo hic agitur. Sed horum tamen librorum non immeritò vocatur in dubium fides atque auctoritas: quod vel ex Gratiani Decreto *dist.15.c. sancta Romana*, probari potest.

2 Art.9. *Deum meum, & Deum vestrum.*] Hæc planè melior interpretatio, Christum secundùm quid loquutum esse, vt loco sequente.

3 Art.15. *Patri attribui solet potētia & creatio.*] Nempe vt summo ac principiali (vt vocant) termino omniū in Filio, adeoque principio ipsius Filij & actionum ipsius. vide suprà in præfationem nota 20.

4 Art.19. *semper repetit vnū tantùm esse Deum.*] Quid multa? hæc verba, *vnum Deum*, constat ἀπὸ κοινοῦ, vt in Symbolo Apostolorum, ad membra quoque sequentia pertinere; posteà verò ante illud, *Iesum*, repeti eamdem vocem, *vnum*, propter longius hyperbaton.

5 Art.32. *solidior est & facilior.*] Et confirmatur ex analogia sequentis membri, quum Tertullianus inquit, *nec iudex ante delictum.*

6 Art.33. *per gradum intelligit ordinem personarum.*] id est, gradum originis. vide supra in præfationem nota 24.

7 Art.34. *Filium non esse alium à Patre.*] Duriter id quidem à Tertulliano dictum, sed commodè

modè à pijs exponendum. vide suprà in præfationem nota 18.

8 Art.46. *quòd Pater sit ille Deus, qui est Deus vnus.*] Nam etiam illa verba, *in vnum Deum*, sequentibus ἀπὸ κοινοῦ aptari debent, vt antè nota 4. dictum.

9 Art.50. *vnus & verus Dominus cum eodem Patre.*] Huic persimilis & eodem argumento locus ex Hieronymo paulo pòst adfertur, & huius ἐξηγητικός.

10 Art.59. *demonstrata est.*] Sed de hoc Ioannis loco ampliùs in caput 17. postea videbimus.

Cap. XI.

1 Art.1. *Sibyllæ multa clariùs prædixerunt, quàm vlli Prophetarum.*] nempe vt multis quidem videtur: sed quàm verè, viderint ipsi.

Cap. XII.

1 Art.1. *testatissimum esse voluit, eam verissimam esse hæresin.*] Doctrinam certè Trinitatis religiosè credimus profitemurque: sed harum visionum plerarumque veritatem, & librorum aliquot certitudinem ego quidem præstare nolim.

Cap. XIII.

1 Art.16. *si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis.*] Rem quidem ipsam non infitiamur planè; sed in testimonio adducendo Bellarminus

minus fallitur. Sic enim Græcè legitur, εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος ἰησοῦν, &c. nisi fortè in istum modum Bellarminus legerit, εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἐγείραν τὸν ἰησοῦν οἰκεῖ ἐν ἡμῖν, &c. sed lectionem istam non memini confirmari vllius exemplaris fide: nec verò confirmari potest, cùm euertatur verbis sequentibus, dicente Paulo, *is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis*. vide infrà lib.2.cap.22.

CAP. XIIII.

1 Art.3. *nec testimonia ab aduersarijs allata quicquam probant.*] Summa responsionis est, priorem illam propositionem falsam & ambiguam esse. Ambigua est, quia Antichristi nomen aliàs communiter & latè sumitur, aliàs angustè & singulariter, vt controu.3.lib.3.ampliùs exponitur: atque hæc duo inscitè ab istis & iniquè confunduntur. Falsam esse res ipsa clamat, & Bellarminus docet.

2 Art.4. *in nomine suo, non in nomine Patris.*] Nos verò statuimus, & docet ratio, non prædici istis verbis aduentum Antichristi singulariter, sed communem poni hypothesin & contingentem propositionem indefinitam. *Alius* enim illic quum dicitur, indefinitè oportet accipi pro eo quod est, aliquis alius, de indiuiduo (vt loquuntur) vago, siue de Antichristo quouis communiter; ac non de vno aliquo singulariter solùm. Non negatur singulare; sed commune affirmatur, in quo & singulare.

3 Ibid. *subiungit, dixit ergo eis Iesus, &c.*] Id quidem propriè & singulariter verum est; sed & ad alios pertinet ratione communi analogicè.

4 Ibid.

4 Ibid. *Augustinus, Cyrillus, & cæteri.*] De Antichristo quidem interpretati sunt; sed Antichristos siue Antichristum communiter dictum eadem opera comprehenderunt: quod Augustinus expresse & copiosè facit sermone 45. de verbis Domini.

5 Art. 6. *& Chrysostomi in commentario huius loci.*] Non displicet quidem hæc interpretatio: verumtamen haud scio an simplicius sit futurum, si diem acceperis secundùm quid, ex hypothesis ipsius de cœco, & adiunctorum ratione. Quam rem hac metaphrasi facilè assequatur Lector. Cæcum illum curaturus Christus sic ait, *me oportet facere opera eius qui misit me, dum dies est*, nimirum ille dies ad quem misit me in forma serui facturum voluntatem suam. *Nox venit*, id autem est, exitus diei illius, *quum nemo operari potest*, id est, quo tempore die desinente opera solent desinere, ac proinde ego desiturus sum ab hoc dispensatiuo ministerij infirmi genere in forma serui. Quapropter subijcit, *quamdiu fuero in mundo, ego lux sum mundi*, expositionis loco, id est, fax coràm prælucens mundo in hac infirmitate carnis meæ & similitudine carnis peccati.

6 Art. 7. *tempus appropinquasse, non quidem iudicij, aut Antichristi,*] puta singulari significato, vt antè distinximus.

7 Ibid. *sed multorum seductorum, qui sibi nomen Christi vsurparent;*] ac proinde illi vocantur Antichristi communi significatione. Sic etiam locis sequentibus.

CAP. XV.

1 Art. 1. *Igitur illi sunt veri Ebionitæ, qui Christum faciunt compositum ex duabus naturis.*]

Æquiuoca-

Æquiuocatione cauillantur. Nam Ebionitæ fuerunt duplices, ab Ebione, id est, paupere, inope, seu egente dicti. Alij enim cum Cerintho non senserunt de persona Christi, vt Irenæus auctor est libro 1.cap.26. sed magis cum Nazaræis, vt propago illorum: alij posteriores tempore, Cerinthianis sese adiunxerunt, & illis Cerinthiani. Sic in vnum corpus adsciti Ebionitæ communiter fuerunt dicti (nam hoc obtinuit nomen) alijs Nazaræi & Symmachiani. In hunc autem modum Tertullianus, & sequentes omnes acceperunt. Nec obscurè distinguit vtrosgue Eusebius lib.3.hist. Eccl.cap.27.

CAP. XVI.

1 Art.2. *Deum quasi currentem nominauerũt.*] Simplicissimum tamen videtur esse, si nomen Latinum, *Deus*, Æolicum δεὺς dicamus esse: hoc autem ab Hebræo nomine *Dai*, quod est sufficiens, profectum.

2 Ibid. *cùm sit Patri æqualis, Ioannis 5. & Philipp.2.*] Sed intelligendum, vt Deus tantùm: nam in Mediatione ratio diuersa est, voluntatis scilicet, ac non naturæ solùm.

3 Art.3. *exponere de Filio ratione naturæ humanæ*]. Adde etiam, si placet, & ratione personæ, quà ipse Deus sese inaniuit forma serui accepta, similis hominibus factus, & habitu inuentus vt homo ipse se submisit, Philip.2.denique θεάνθρωπος ille factus est mediator Dei & hominum κατ' οἰκονομίαν voluntariam atque liberrimam.

4 Art.4. *at hoc nusquam legimus.*] Non sequitur necessariò ex auctoritate negatiuè.

5 Ibid.

5 Ibid. *non autem ibat vt Deus, sed vt homo.*] Imò verò vt persona mediatrix, Deus homo, cuius ἐνυπόστατος humanitas loquitur enim de altera operis Mediatorij parte: nempe quòd prout venerat ad nos facturus τὰ πρὸς ἡμᾶς, ita se Patri stiturus esset facturus τὰ πρὸς τὸν θεὸν ὑπὲρ ἡμῶν, vt Apostolus ad Hebræos scribit.

6 Art. 5. *quam ipse idem habebat vt Deus.*] sed & quatenus voluntate sua inaniens sese, vt persona Mediatoris, personam suam subiecit Patri οἰκονομικῶς. Sed huic tamen responsioni toti præstare videtur hæc altera, ἔλλειψιν esse particulæ solùm, apud Hebræos & Gæcos receptissimam, vt Genes. 32. 28. & 35. 10. & 1. Sam. 8. 7. & passim.

7 Ibid. *secundùm formam serui, quam descendens assumpsit in terris.*] Quin potiùs obediebat Patri persona Christi, tum secundùm carnem per se naturæ creatæ lege, tum secundùm personam inanitam οἰκονομικῶς, voluntaria obedientia.

8 Art. 6. *loqui de Ecclesia, siue de Christo, vt est in suis membris,*] id est, de Christo mystico, vt orthodoxi Patres loquuti sunt. Sic enim accipitur nomen Christi in Scripturis aliquoties.

9 Art. 7. *ille autem est Filius in persona sua.*] Quid? nonne & Ecclesiæ in Christo subiecit omnia Pater, & pij in eo sessuri, iudicaturi, regnaturi dicuntur esse? Psal. 8. Matth. 19. & 1. Cor. 6. & Apoc. 1, &c.

10 Ibid. *de natura humana Christi, quæ verè subiecta erit Deo.*] Hæc quidem vera est sententia, ac non aliena interpretatio. Sed tamen haud scio an conuenientiùs ista ad singularem actum Mediatoris Christi referantur, quum regno hoc suo œconomico perfunctus fuerit; quòd nempe reddet in manum Patris,

Patris, à quo acceperat, regnum hoc Mediatorium, mandatum ipsi, & acceptum ab ipso οἰκονομικῶς, vt versu 24. dixerat Apostolus, quem versum interpretatur sequentibus. Nam regnum Christi duplex est; essentiale ex natura, quod commune est Patri, Filio, & Spiritui sancto; & personale ex dispensatione voluntatis, quod proprium personæ Christi: illud æternum, hoc finem habiturum. Itaque finem huius regni pronunciat Apostolus versu 24. dicens, *deinde finis, quando traditurus est hoc regnum Deo & Patri, &c.* probat ex Psalmo 110. quum addit versu 25. *nam oportet ipsum regnare, vsquedum posuerit omnes inimicos sub pedibus ipsius:* posteà verò effectu huius regni temporarij posito, versu 26. & causa illius, versu 27. nempe quòd omnes inimici supponentur sub pedibus eius ad vltimum vsque, nimirum mortem, idque eo quòd Pater omnia subiecerit sub pedibus eius; tandem concludit, *Quum autem subiecta ei fuerint omnia*, id est, quum regnum hoc suum consummauerit, *tunc & ipse Filius subijcietur ei qui subiecit ipsi omnia ista, vt Deus sit omnia in omnibus*, id est, solenniter subiectionem suam voluntariam erga Deum Patrem profitebitur singulari & gloriosa traditione huius regni œconomici voluntariè ab ipso suscepti de manu Patris; vt deinceps non mediator sit præfectus regno suo œconomico; sed Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus sit omnia in omnibus. Nam illud æternum & essentiale regnum perfectius hoc œconomico futurum est, quanto finis perfectior est rebus ad finem ordinatis, & res æternæ temporalibus. Subijcietur ergo, quum deponet regnum illud Mediatorium, sistens Ecclesiam sine macula & ruga Deo, vt æterna sit communio Dei & sanctorum eius immediatè in gloria. Propterea additur ab Apostolo *tunc*, id est, illo temporis momento

momento quo regnum hoc œconomicum ad finem ſuum, & filij regni ad perfectionem ſuam adducentur. Poſteà verò Deus omnia æternùm futurus eſt, non perſona Chriſti regnum mediatorium iſtud hoc modo ampliùs curatura. Quid? nonne hoc ipſum Chriſtus à Deo Patre petiuit Ioan.17.5.quum diceret, *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud te ipſum gloria; quam habui, ante quàm mundus eſſet, apud te.* Atque hic ille locus eſt, hæc interpretatio, cuius nomine diſputator antè in præfatione Caluinum flagellauit, ſi Deo placet, eumque accuſauit inſcientiæ tribus argumentis. Affirmat enim *non poſſe naturam diuinam Filij Deo Patri ſubiectam intelligi, quin à Patris natura diſtincta, & ea longè inferior, atque adeò res creata eſſe intelligatur.* Atqui, vir bone, hæc non de natura diuina Filij, ſed de perſona dicuntur ſecundùm vtranque naturam ipſius in communi indiuiſo, vt loquuntur; non autem diuiſim, prout à te vicißim tu ipſe accipi. Quis autem ſic argumentatur à communi indiuiſo? Sic tria illa abſurda quæ adfers ſua infirmitate corruunt. Sed de ſingulis dicamus paucis. Ergo, inquis, natura diuina Filij à natura Patris diſtincta eſt. Reſpondeo, natura diuina Deus eſt, communis eſt igitur naturæ diuinæ, vt Dei appellatio. At natura diuina Patris Pater eſt, vt & natura diuina Filij eſt Filius: nam vtrobique natura conſideratur determinata & ſubſiſtens in perſona; vtraque ſimplex, & natura, & perſona: & quis Chriſtianus pro abſurdo habeat, ſi Pater à Filio diſtinctus dicitur? Non vides te duo genera hoc tuo cothurno confundere, ſubſtantiam, & relationem? Natura enim, ſubſtantiæ; Pater & Filius relationis eſt: illa indiſtincta, hæ diſtinctæ perſonæ in vnitate naturæ atque eſſentiæ. Ad ſecundum veniamus. Ergo, inquis, natura diuina Filij eſt longè inferior naturâ Patris. Primùm de na-

 tura fal-

tura falsum, vt modò diximus. Sed interpretemur sanè de persona secundùm naturam: hoc enim tibi voluisti. Atqui ne hoc quidem verum est. Nam primùm non valet consequutio à persona ad naturam, à toto ad partem, vt ita dicamus. Quis ferat, si hominem dicas dormire secundùm animam, quia dormit; intelligere secundùm corpus, quia intelligit. Tum falsum est, si persona Filij est subiecta Patri etiam secundùm naturam diuinam in regno hoc mediatorio, ergo naturâ subiectum & inferiorem esse Patri, & naturalem subiectionem esse. Christus non secundùm naturam diuinam simpliciter, sed secundùm personam; non ex natura, sed ex œconomia & dispensatione voluntaria, qua inaniuit sese, Philip. 2. Patri subiectus est. Ambiguo fallis, Bellarmine: aliud est secundùm naturam subiectiuè, vt ita dicamus, aliud causaliter. Siqui nostrûm fortè Christum Patre inferiorem secundùm naturam diuinam dixerunt (etsi nos secundùm personam dici malumus) subiectiuè acceperunt, pro eo quod est, in natura diuina sua. Tu verò causaliter accipis, pro eo quod est, ex iure & modo seu conditione naturæ: quod est falsissimum. Non enim ex natura respectu diuinæ Christus est inferior Patre, sed ex libera voluntate, quæ liberum est principium actionum omnium quæ dicuntur voluntariæ, vt natura principiũ est naturalium: hic natura æqualis Patri, per voluntatem est factus inferior Patre, & humanitatem assumpsit in vnitatem personæ. Quis nescit multos homines natura æquales, aut etiam superiores, interdum sese per voluntatem submittere? Christus æqualis Patri se submisit Patri; superior nobis se submisit & ministrauit nobis, Ioan. 13. *Non destruitur æqualitas subiectione*, inquit Cyrillus lib. 10. thesauri, cap. 8. *Subijcitur enim æquali æquale plerumque dispensationis modo*

modo quodam, &c. Item, *hæc ministratio atque subiectio non repellit eum à naturali dignitate filij. Subijcimur nos filio, nec tamen propter subiectionem nostra natura in aliud mutatur: voluntatis enim atque cognitionis subiectio est. Similiter ergo Filius quoque subijcietur Patri non mutata natura: incommutabilis enim Deus est.* Restat tertium, Ergo, inquis, natura diuina Filij res creata est. Cur autem? quia subiecta est, scilicet. Hæc igitur argumentatio tua: Quicquid subiectum est, creatum est: natura diuina Filij subiecta est: ergo & creata. Propositionem distinguo: nam quicquid subiectum est natura sua, creatum est; at non quicquid subiectum voluntate: nam etiam persona increata se potest subijcere voluntariè, & re ipsa fecit. Minorem siue assumptionem negamus propriè loquendo; nam persona Filij propriè loquendo, in communi subiecta est: commune autem iniquum est diuidi. Deinde esto sanè, statuamus personam Filij secundùm naturam diuinam esse subiectam: non tamen sequetur id quod Bellarminus adstruit ex subiectione non naturali, sed voluntaria & œconomica, vt paulo antè dicebamus. Manet igitur illa certa & immota ex Scripturis interpretatio.

11 Art.8. *tunc in illo triumpho postquam tanta fecerit, subiectum fore suo Patri.*] De huius vocis, *tunc*, interpretatione diximus in præcedente nota.

Cap. XVII.

1 Art.4. *vbi, solus, non excludit Barnabam, sed includit.*] Atq. hæc interpretatio Græco articulo τὸν cõfirmatur: quasi dicat, vt cognoscant eum qui solus est verus Deus, nimirũ te & quem misisti Iesum Christum.

2 Art.6. *falsos Dominos, non Patrem.*] vide quæ ex Hilario adducta sunt antè cap.10.

3 Ibid. *Deum eo loco significare Trinitatem.*] Confirmat istud versus proximè præcedens ibidem, & instituta à Paulo comparatio.

4 Ibid. *addidit, homo Christus Iesus.*] malim dici, vt θεάνθρωπος, siue vt Deus homo (sic enim Augustinus loquitur) in vnitate personæ.

5 Art.8. *Christus mediator, est vt homo, non vt Deus,*] Nos autem ita dicimus, Mediator est in persona vt Deus & homo, &c. Sed de his posteà libro 5.videbitur.

6 Art.9. *quid aliud iubet, quàm inuocari Trinitatem?*] Quid? quòd dicebat filius Timæi cæcus, *Iesu fili Dauid, miserere mei,* Marc.10.& Luc.18.& latro ille, *Domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum,* Luc.23.& Stephanus plenus spiritu sancto, *Domine Iesu, recipe spiritum meum,* Actor.7.& Ioannes, *etiam, veni Domine Iesu,* Apoc.22.denique gratia & pax vbique à Deo Patre & Domino Iesu Christo expetitur in salutationibus Apostolicis?

7 Ibid. *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis.*] Hæc falsò in Lutherum atque Caluinum criminatio. Quid autem in Lutherum hanc criminationem excitarit, in præfationem suprà ostendimus nota 9.Id nos ex eis audire vel vsquam legere non meminimus. Adferatur locus: nam probatione saltem vna opus.

CAP. XVIII.

1 Art.5. *factum Dominum à Patre ratione humanitatis.*] legi malim, factum Dominum &

Christum

Christum à Patre, ratione mediationis & dominij illius œconomici quod habet persona Christi.

2 Ibid. *per vnionem verbi & carnis.*] hoc simile non planè antecedenti conuenit: sed res tamen vera est.

3 Art.9. *ἔκτισε est possedit.*] vel potiùs ἐκτήσατο, vt vertit Aquila. atque hæc verissima est loci interpretatio.

4 Art.11. *præcessit me dignitate, quia æternus erat, & ego temporalis.*] denique pro eo quod dicit Ioannes, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, reliqui Euangelistæ exponunt ἰσχυρότερός μου, fortior seu validior me.

5 Art.13. *si enim ante omnē creaturā prodijt, non est ipse creatura.*] Quid si primogenitum figuratè acceperis, pro eo qui in omnibus primas tenet? atque hæ primæ, τὰ πρωτεῖα, sequentibus exponuntur copiosissimè aliquot versibus.

6 Art.15. *debet intelligi de Christo, quà homo erat, non quà Deus erat.*] Legi malim & dici, non quà Deus erat simpliciter, sed quà homo factus & Mediator noster.

Cap. XIX.

1 Art.3. *quia Pater communicando essentiam communicat scientiam.*] Atque hæc solutio respicit ad naturam diuinam Christi simpliciter. Sed si ad personam eius quà homo, & quà Mediator est respexeris, alia ratio ineunda videtur esse. Nam quà homo, certè naturaliter fuit in potentia ad recipiendum; quà Mediator, id est, Deus & homo, fuit in potentia ad reci-

piendum etiam ſecundùm naturam diuinam in ſe per œconomiam voluntariam vſum earum rerum quibus ſe per eamdem œconomiam inaniuerat, Philip.2.quarum poſſeſſio tamen diuinitus penes naturam diuinam ipſius ſalua permanebat, vt natura eſt immutabilis. Iure naturæ omnia habet diuinitas Chriſti, & nihil accepit: iure œconomiæ voluntariæ ceſſit vſu rerum ſuarum diuinitas eius ad opus Mediationis & redemptionis noſtræ, quas ei Pater dedit, & ipſe à Patre οἰκονομικῶς, vt Mediator noſter, dicitur accepiſſe. Alia naturæ conditio, alia voluntariæ diſpenſationis vel diſpoſitionis illius. Dat Chriſtus vt Deus, & eſt beatiſſimus naturaliter, omnia dans, nihil accipiens: accipit vt homo, & vt Mediator, quod det; quia voluntariè ſe inaniuerat propter nos homines & ſalutem noſtram pauper factus, quum ſit diues, vt nos illius paupertate diteſceremus, 2.Cor.8.9. natura diues, conſilio miſericorde & voluntate pauper.

2 Art.4. *nec ſine verbo & Spiritu ſancto deſtinauit.*] Nemo Patrum ſimpliciter hanc ſolutionem hoc modo attulit, ſi Hieronymum exceperis: quem non puduit dicere, *regnum cœlorum non eſt dantis, ſed accipientis*,&c. contra quàm dicebat Dominus, *dabitur quibus paratum eſt à Patre meo.* Sed hæc ſimplex eſt interpretatio ex Chryſoſtomi ipſius & Cyrilli verbis: Chriſtum hæc dixiſſe ſecundùm illorum hypotheſin qui ex verbis Chriſti, *ſedebitis in duodecim thronis, &c.* imaginabantur regnum ipſius in hoc mundo obuenturum, & ſe in eo dignitates ampliſſimas adepturos; præſertim verò ſecundùm præſentem conditionem ipſius, vt qui tunc ad humilem conditionem ſerui, non ad maieſtatem gloriamque regiam exercendam adueniſſet. *Nemo certè hîc*, ait Cyrillus,

ſuſpicari

suspicari debet ideò à Patre honores præparatos dici, quia ipse præstare non possit; sed propter dispensationem incarnationis, sicut ab homine, dicitur. Solet enim omnia quæ naturam hominis excedunt, Patri vt Deo attribuere. Atque in hunc modum ad res quàm plurimas ex hypothesi & secundùm quid respondet Christus, siue ad aliorum mentem: vt quum de se diceret, *non ex solo pane viuet homo*, Matth. 4. *de die illo & hora nemo scit, non Angeli qui sunt in cœlo, nec Filius quoque, sed Pater*, Marc. 13. & alia multa eiusdem generis. De merito, quòd Bellarminus dicit, tomo 3. videbitur, iuuante Domino.

3 Art. 5. & cap. 17. *omnia tua mea sunt.*] Hæc quæ de merito dicuntur, nec à Christo dicuntur, nec ipsa vera sunt: datur vtrumque à Patre pijs, & cursus & præmiorum modus: *meritum nostrum*, vt ait Bernardus, *misericordia Domini.*

Cap. XX.

1 Art. 3. *donum orationis, quo anima clamat ac gemit.*] Sed huic præferenda est prior illa interpretatio; vt verbis Apostoli, præsertim antecedentibus, & tota argumentatione ostenditur.

2 Art. 4. *& rursum aliâs in linguis igneis.*] Deinde non ex quadam naturæ suæ & conditionis naturalis lege, sed secundùm œconomiam voluntatis suæ mittuntur eæ personæ, quæ alioqui secundùm naturam sunt vnius essentiæ & auctoritatis cum Patre. vide suprà cap. 16. nota 10. quæ de subiectione dicta sunt ex veritate rei, & auctoritate Cyrilli, sanctorumque Patrum consensu.

De Christo, LIB. II.

CAP. II.

1 Art.3. *nomina noua, quæ contra nouas hæreses instituuntur.*] id est, quæ nomina non inuenit vanitas aut curiositas, sed introduxit iusta & sancta necessitas veritatis declarandæ, & ædificationis procurandæ.

2 Art.3. *Patres enim nunquam omnes simul errant,*] nempe in rebus fundamentalibus fidei: nam in ratiocinationibus & determinationibus alijs omnes, vt homines, simul errare possunt.

3 Ibid. *id ipsum omnes Patres summa consensione docent.*] Isti ergo pessimè ex particulari concludunt vniuersè.

CAP. III.

1 Art.1. *etsi hæc vox non habetur in Scriptura.*] vt vulgo quidem exponi solet. Verumtamen siquis rem penitius introspexerit, nomen essentiæ apud Hebræos dici, & haberi in testamento vetere, alibi iam antè demonstrauimus, defensione 2. de Trinitate.

2 Ibid. *Græcè* θείας φύσεως.] Adde, & Coloss. 2. *in eo omnem plenitudinem deitatis habitare corporaliter,* Græcè, τῆς θεότητος.

3 Art.4. *& allegat hunc locum* Exo. 3. *ego sum* ὁ ὤν.] Tertium insuper responsionis genus in nota 1. ostendimus: & est verissimum.

4 Art.5. *confessus est in quadam epistola antiquos*

quos & illustres Patres hoc nomine vsos.] Et idem quoque Eusebius ibidem cap.8.agnoscit ante annos triginta quàm Nicæna synodus haberetur,hanc vocem fuisse à Patribus vsurpatam , vt adnotauimus controuersiæ 1.libro 4.cap.6. Enimuerò Gnosticos etiam in pessima sua causa iam olim fuisse vsos (à quibus Ariani) apud Irenæum permultis in locis legimus.

Cap. IIII.

1 Art.4. *vt videtur exponere Epiphanius hæres.69.*] Videtur quidem, sed alia tamen fuit mens ipsius, quamuis obscuriùs enunciauerit, vt alia multa. Consulatur locus. nam duo exépla adfert Epiphanius, quorum priore hypostasis essentiam significat, & posteriore subsistentiam. Vt itaque summatim dicam, hæ duæ voces, οὐσία καὶ ὑπόστασις, simpliciter enunciatæ idem sunt, vt tradit Epiphanius & Sardicense Concilium, quod posteà adducitur: opposité verò vsurpatæ, ratione inter se differũt, quia hypostasis modum subsistendi singularem nomini οὐσίας (quo notatur commune) superaddit,estque ἐνεστός,vt Anastasius Antiochenus loquitur ex verbis Apostoli Hebr.1. Hæc autem distinctio,ex quo semel secundùm rationem auctoritatemque Apostoli iusta conuentione & instituto firmata est, temere conuelli à quoquam non potest, Quisquis tentauerit, profectò aut mente est αἱρετικός, aut voluntate φιλόνεικος. neutrum verò fert aut facit Ecclesia Dei, Tit.3.& 1.Cor.11.

2 Art.8. τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.] Atque hoc ampliùs confirmatur ex præcedente hypothesi, quia hæretici οὐσίαν & ὑπόστασιν confundentes statuebant hypostases Patris, & Filij, &

Spiritus ſancti differentes & ſeparatas eſſe. Sic enim Sardicenſes Patres: καὶ ὅπερ τὸ τῶν αἱρετικῶν σύστημα φιλονεικεῖ διαφόρους εἶναι τὰς ὑποστάσεις τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ εἶναι κεχωρισμένας· ἡμεῖς δὲ ταύτην παρειλήφαμεν, καὶ δεδιδ.&c. hæc igitur omnia ex hypotheſi illorum dicta ſunt.

3 Art.10. *in eo enim ſymbolo vtrumque nomen eſt οὐσίας καὶ ὑποστάσεως.*] Quinetiam in actis Synodi Nicænæ à Gelaſio Cyziceno conſcriptis partis 2.cap.12. propoſitio ab Hoſio Cordubenſi facta nomine ſanctæ generalis Synodi aliquoties habet vtrumque nomen, & diſtinguit adeò euidenter vt nihil ſuprà.

Cap. V.

1 Art.3. *non quia ille plus meretur, ſed quia illam perſonam plus diligit.*] Incommodè refert Bellarminus Auguſtini mentem. Hanc enim diſtinctionem euertit ibidem Auguſtinus, & rem exponit luculentiſſimè per oppoſitionem litigantium debitorumque, his verbis: *Acceptio perſonarum ibi rectè dicitur, vbi ille qui iudicat relinquens cauſæ meritum de qua iudicat, alteri contra alterum ſuffragatur, quia inuenit aliquid in perſona quod honore vel miſeratione ſit dignum. Si autem quiſpiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, ſed neminem fraudat: nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt*, &c. Et ibidem poſteà, *Nec vlla eſt acceptio perſonarum in duobus debitoribus æqualiter reis, ſi alteri dimittitur, alter exigitur, quod pariter ab vtroque debetur.* Quid autem his verbis clarius?

2 Art.7. *notio Patris, id eſt, nomen quo Pater diſtin-*

distinctus cognoscitur à cæteris personis?] Hanc Græca voce γνώρισμα dixeris euidentiùs, & ad institutum accommodatiùs, penuria Latinitatis.

Cap. VI.

1 Art.1. *viris grauibus non dicimus, tu, sed vos: licet vnum, non multos alloquamur.*] Hanc verò Enallagen numeri, quamuis honorificam, in prima persona nunquam obtinere doctissimi Iudæorum confitentur, vt defensione 2. de Trinitate obseruauimus. Sic autem loquitur semper de seipso Deus.

2 Art.2. *non ita passim nomina pluralia cum verbis numeri singularis coniungerentur.*] Sed hæc Enallage aut honoris causa fit, aut syllepseos. Huius generis est exemplum primum, *non erit tibi dij alieni*, id est, deorum alienorum vllus: & Esai.1.3. *nouit asinus præsepe dominorum suorum*, id est, nouerunt singuli, vel nouit asinus quisque præsepe domini sui. Illius verò generis sunt alia exempla omnia quæ huc adducuntur.

3 Ibid. *Cur enim quæso, liceat Hebraicè diuinas personas appellare Deos, & hoc idem non liceat Latinè?*] Et liceret dicere certis restrictionibus cautionibusque, si exemplum testamenti noui, & vsus linguarum nostrarum receptus esset eiusmodi: sed quod in nouo testamento magis est declaratum, id in vetere fuit magis figuratum adumbratumque & rebus & verbis; prætereà neque ferunt linguæ nostræ, neque his hæresibus & his moribus expedit.

4 Art.3. *quare liceat Hebraicè de diuinis personis dicere, iuerunt Dij, & Latinè non liceat?*]

Ergo

Ergo siue nomen plurale verbo singulari iungas, pluralitatem personarum vides in vnitate essentiæ; siue pluralia nomina, vt *Dij sancti*, Iosuæ 24. *mariti tui opifices tui*, Esai. 54. siue nomen cum verbo: ita pluralitas non Deorum essentialiter, sed personarum τὸ ὑφιστάμενον in vna essentia diuina ostenditur. Hæc illa est ratio, quam Bellarminus desiderat. Negamus itaque sequentia.

5 Ibid. *Hebræorum consuetudo est, vt nomen plurale rem singularem significet*,] adde, præterquàm in prima persona, quæ ambitiosè apud Latinos plurali abutitur: at contrà Hebræi nunquam, vt olim ex Abben Hezra & alijs defensione 2. de Trinit. docuimus, & attigimus nota 1.

6 Art. 6. *nunquam* LXX, *nec Hieronymus vertit, Dij; nec vllus ita vertere auderet.*] Meritò: quia LXX. mysterium non ita aut viderunt ipsi, aut proponendum alijs censuerunt: Hieronymus verò stilum sequutus est testamenti noui, in quo res planiùs habetur expressa, non figuraliter, vt olim, adumbrata: alij verò cur nouare instituant, cùm stilum in nouo Testamento mutauerit Deus, Ecclesia mutatum acceperit? Præterea vt illud non esset, tamen aut infeliciores hæ nostræ linguæ dicendæ essent, quæ non ita commodè singularia pluralibus aptare possint, vt in Trinitate doceatur vnitas; aut seculum infelicius, quod non ita possit, vt Hebræa lingua facit, pietatem phrasibus recipere. Exempli causa, quàm multi σολοικίζειν & βαρβαρίζειν Paulum clamauerunt? quàm multi Ioanni impegerunt dicam, quòd stilo diuino, ac non humano nostro, scripserit Apoc. 1. ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, & cætera? Falsum igitur consequens.

7 Art. 5. *frequentißimè legimus vnum tantùm esse*

esse Deum, & tamen frequentissimè etiam legimus, Deos.] Scilicet, tamquam si esset in ijs contradictio quæ vario respectu dicuntur variè. Contrà verò, dixerit quispiam, per hanc contradictionis speciem vbi non est vlla contradictio, prisca Iudæorum Ecclesia eo fuit ampliùs excitata ad religiosam huius mysterij, tum quidem obscurioris, indagationem. Nunc verò, quum res est euidentior, phrasis figuralis (vt ita dicamus) cum alijs ceremonijs in testamento nouo sepulta est. Inania itaque sequentia.

8 Art.8. *à Patre acceperat esse.*] vide suprà libro 1.cap.18.

9 Art.13. *& difficile sit eos conuincere.*] Imò verò perfacile: nam plerasque harum phraseon Iudæi nullo exemplo, si bene obseruemus, à rebus creatis sumpto possunt eludere, vt confirment impietatem suam.

10 Art.16. *fidei nostræ fundamentum collocare.*] De his congruentijs non placet quicquam dicere, ne philosophari plus æquo videamur.

Cap. VII.

1 Art.2. *mulier, id est, ratio in Ecclesia taceat.*] Quidni etiam Wigandus taceat, qui ita ridicularium agit in rebus diuinis?

Cap. VIII.

1 Art.10. *Ruffinus explicat. symboli, & alij.*] Id quidem verum est simpliciter: sed non eo minus verum id esse potest quod sibi voluit Aretius, nomen Dei commodè distingui, vt doceatur ipsum ἀπὸ κοινοῦ

repeti

repeti oportere; & nos ita dicamus, credere in Deum qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Hoc ne Bellarminus quidem ipſe improbat ſequentibus.

2 Art.11. *bene monuit libro 1. retract. cap. 15.*] Sed hic ſermo figuratus eſt, ac metaphoricus.

CAP. XI.

1 Art.5. *ergo Filius non eſt æternus.*] Nempe ad communem illum generationis modum Caluinus reſpexerit, quæ dum eſt in fieri (vt loquuntur) ſupponit imperfectionem generati: quæ hæreticorum perpetua hypotheſis. Atque hoc ipſe perſpicuè ibidem oſtendit dicens, *ex quo liquet ab æterno treis perſonas in Deo ſubſiſtere*; non autem hanc, dum generatur, imperfectam eſſe. Sic Auguſtinus & Gregorius ſequentibus. vide quæ defenſione 2. noſtra de Trinitate exposuimus.

CAP. XIIII.

1 Art.8. *ſunt ſimiles in eſſentia.*] At non ſimiles eſſentia, quod propriè deſignatur voce ὁμοιούσιος. Quamobrem qui ὁμοιουσίους perſonas concedunt eſſe, faciunt καταχρηστικῶς. Nam aliud eſt ſimilem in eſſentia dici, aliud ſimilem eſſentia: quod fallit imperitos.

2 Art.10. *cùm per actum amoris procedat:*] Sed procedit ſimilis Spiritus ſanctus ex vi perfectionis quæ eſt in Patre & Filio. Nam hæc vtriuſque perſonæ eſt communis perfectio, quòd producit ſimilem perſonam ſibi.

CAP. XV.

1 Art.2. *vnum ſubſiſtere, quomodo eſt vnum ſapere.*]

sapere.] puta quasi genere absolutè, citra relationis mutuæ contemplationem.

2 Art. 5. *apertè plures ponit subsistentias.*] nempe subsistentias cum relatione consideratas, vt verba Damasceni & aliorum declarant planè.

CAP. XIX.

1 Art. 2. *lumen de lumine.*] De hac re diximus in præfationem nota 21.

2 Art. 3. *sola restet essentia, quæ est à seipsa.*] Et reuera hanc fuisse Caluini mentem ostendunt illa ipsa verba quæ antè adducta sunt. Nam cùm persona sit quiddã ex essentia velut cõmuni, & ex personalitate velut propria secundùm relationẽ constitutũ; profectò nec Filij, nec Spiritus sancti essentia vt essentia principium habet, sed persona Filij principium habet filiatione à Patre, & persona Spiritus processione à Patre & Filio. Itaque secundùm essentiam Filius est αὐτόθεος, secundùm personalitatem est à Patre: sed tamen ita vt propter vnitatem essentiæ quæ in personarum cõstitutione spectatur, sancti & orthodoxi Patres olim ve-tuerint Filium vel Spiritum sanctum principiatum appellare, vt refert ipse Thomas summæ p. 1. q. 33. Quid plura? fragmenta de verbis Caluini malitiosè decerpuntur ab illis criminatoribus, qui gladio pugnare nesciunt, volsellis sciunt; alij eorum consilium persæpe obtegunt, vt reprehensionis iniquæ materiam certam sibi oblatam prædicent.

3 Art. 10. *contrario modo loquendum esse demonstremus.*] Atqui non dixit hoc Caluinus simpliciter, sed ait, *quum de Filio sine Patris respectu loquimur simpliciter*, &c. Hæc ergo quàm iniquum est

exclusô

excluſo reſpectu agitari? Sequentia enim diuerſo reſpectu agnouit Caluinus,& docuit; cuius teſtimonia, ſi hic locus eſſet, adferri poſſent. Nam eſſentia, quà eſſentia, principium non habet: eſt autem tota Filij, & tota Patris. Sed perſona Filij, quà genita & filiata (vt ita dicamus) habet principium a Patre, eſſentiam, vitam, &c.

4 Art.11. *intolerabilis Caluini ſuperbia, qui eam formam loquendi reprehendit quam omnia Concilia primaria approbarunt.*] Imò verò intolerabilis malitia eorum qui illis verbis abuſi ſunt, vt deitatis perſonas diuiderent. Ad horum quippe nefariam interpretationem Caluinus reſpiciens exiſtimauit apud hoc hæreticorũ genus loquutionem hoc tempore incommodiorem eſſe; quæ tamen loquutio reſpectu illarum hæreſeon tunc fuit percommoda. Hanc benignam & veram interpretationem præcipit charitas,& docet veritas ſcriptorũ Caluini, ſiquis recto animo attenderit.

5 Ibid. *Petrus Carolus, qui interfuit, in epiſtola ad Cardinalem Lotharingiæ.*] Falſum. teſtis inimicus, accuſator falſus & in publico conſeſſu Bernæ conuictus calumniæ, profertur è ſinu. Qui teſtis qua fide loquutus eſt? aut quo iure credatur illius teſtimonio?

6 Art.12. *Deum de Deo, lumen de lumine, &c.*] Et quid aliud ſibi Caluinus voluit, quum illa reſtrictione vteretur antè ab ipſo Bellarmino poſita? *quum de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur.* Hoc verò eſt abuti & Caluini verbis,& Lectoris patientia.

7 Art.13. *ſola proprietas, ſed integra hypoſtaſis.*] Fallacia eſt æquiuocationis. Nam principium dicitur duobus modis, ortu, & actu. Verbi gratia, Vegetationis & ſenſus principium eſt in nobis anima vegetatiua & ſen-

& sensitiua ortu; actu verò in nobis, ex quo persona integrè constituta est, anima intelligens principium est vtriusque, non ortu, sed actu & ductu interno suo. Secundùm hanc distinctionem principij, istud, *à se*, dicitur dupliciter. Etenim filius ortu (qui relationis est) non est à se, sed à Patre: actu verò (qui personæ est in se) id est, modo subsistendi à se esse dicitur, quia in se & per se subsistit. Triplex enim est personæ considerandæ ratio, vt nota 20. in præfationem ostendimus, in essentia, in persona absolutè, & in ordine siue relatione ad personam alteram. Caluinus de persona absolutè dicit, hic de persona in ordine siue relatione obiicit. Elenchus indignus est. Clariùs quidem id dici potuerat: sed cùm restrictiones euidentes à Caluino adhibeantur, quid (malùm) aduersas & malignas etiam interpretationes arcessimus? Quamobrem sequentia adferuntur frustra, nec Caluinum attingunt propriè.

8 Art. 16. *similis creaturis, quæ aliunde suum esse accipiunt.*] id est, si essentia Filij, quæ est essentia Dei, non esset à seipsa. Nihil ergo fuit hac argumentatione opus, cùm idem sibi Caluinus voluerit. De sequente verò argumentatione iudicium idem.

9 Art. 18. *alio sensu quàm acceperint Valentinus & Caluinus hoc vocabulum.*] Atqui Caluinũ de argumento excusatũ Bellarminus iam antè habuerat, pòst de loquutione contendit solùm: cur nunc immemor sui Caluinum damnat? In re autem ipsa fallit æquiuocatione. Res enim à se dicuntur esse dupliciter: primùm absolutè vel propriè κατ' θέσιν, siue ortu, siue actu, quum à se producuntur ipsæ, aut à se subsistunt, vt nota 7. dicebamus: secundò impropriè vel figuratè κατ' ἄρσιν ἢ ἀναίρεσιν, quum non producuntur, aut subsistunt ab alio vllo. Caluinus autem quum

essentiam personæ Christi à se pronunciauit esse; id secundo modo prædicauit, prout loquuntur passim, & clamant ipsius libri. Hæc ergo pura puta λογομαχία est, quum de re conuenit euidentissimè, nempe essentiam Dei à nullo esse; siue communiter Patris, Filij, & Spiritus S. dixeris; siue particulariter Patris, aut Filij, aut Spiritus S. quà spectatur vt essentia. Atque hoc idem sibi Lactantius voluit ijs verbis quæ pòst adducuntur. Cautionem in verbis probo, cauillationem probare non possum.

Cap. XXI.

1 Art.1. *in suam sedem, ex qua pulsus fuerat, restitutus.*[De hac restitutione ex professo agetur controuersiæ 3. lib.2. cap.18.

2 Art.4. *& Latinos de Trinitate.*] Post aliquod tempus, alterum Aquisgrani habitum de eodem argumento, vt refert auctor Annalium rerum gestarum à Carolo Magno, anno 809. *Iis ita gestis, Imp. de Arduenna Aquasgrani reuersus, mense Nouembri Concilium habuit de processione Sp. S. quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primò concitauit. Cuius definiendæ causa Bernhartus Episcopus Wormaciensis, & Adelhartus Abbas monasterij Corbeiæ Romam ad Leonem Papam missi sunt:* vt Bellarminus ipse paulo pòst meminit.

Cap. XXII.

1 Art.13. *euangelizare pauperibus misit me.*] Non animaduertit Bellarminus hic & item lib.1.c.13. ambigua esse Esaiæ verba. Nam etsi cap.61. dixit, *Spiritus Domini est super me, eo quòd vnxit me,* &c. tamen

men hæc causa tam commodè Iehouæ, id est, Patri, quàm Spiritui aptari potest: vt intelligamus Prophetæ verba in hanc sententiam, eo quòd Deus Pater vnxit me Spiritu suo. Atque hæc sententia est luculentior, qua & vnctionem docemur Spiritus, & principium vel causam illius, decretum videlicet ordinationémque Patris. Etsi de re conuenit.

Cap. XXIII.

1 Art. 3. *Spiritum sanctum ex solo Patre procedere.*] In actis certè illius Synodi quæ à Gelasio Cyziceno fuerunt perscripta, dicitur duobus locis, aut tribus ad summum, Spiritus sanctus à Patre procedere; sed à solo Patre nusquam dicitur: quemadmodum & proximè de Constantinopolitana Synodo dicitur.

2 Art. 7. *sed Græcorum.*] De hac re inter ipsos bene conueniat: sed tamen de Latinis quod affirmatur non esse per omnia verum, suis locis demonstrabimus.

3 Art. 10. *vt patet ex cap. 4. eiusdem Concilij.*] Quæ de consensu Græcorum hîc & deinceps prædicantur, eorum fides penes auctorem esto. De dogmate non dico; sed quod affirmat hic, Græci factum negant, & vllum à se consensum datum. Quod autem patere dicit de præsentia & consensu Græcorum in eo Concilio, plurimùm fallitur. Adfuisse quidem Hierosolymitanum & Constantinopolitanum Patriarcham auctor est Platina; sed consensisse id nullo teste idoneo confirmatur. Aliud est adesse, aliud consentire: nam & qui adest, dissentire potest, & diuersam suam sententiam testari, protestari, reijcere in aliud tempus, ad referendum (vt loquuntur) apud suos prouinciam suscipere, & similia multa. At, inquies, nihil horum leguntur

fecisse. Respondeo, neque leguntur consensisse: vtrum ergo credibilius, cùm legatur neutrum? Certè quòd dicuntur consensisse, id suppositionis est. Secundò autem, demus consensisse eos qui adfuerunt: at eorum tamen & potestas, & euentus consequens respiciendus est. Nam potestas aut limitata fuit, aut plena. Si limitata, vel ad audiendum, vel ad cognoscendum, vel ad consultandum, vel ad referendum fuit: Si plena, etiam determinare potuerunt inauditis Orientalibus Ecclesiis. Plenam autem non fuisse & perpetua Græcorum dissensio & euentus docuit: nam semper Ecclesiæ Orientis plurimæ improbauerunt factum. Si ergo limitata, vt profectò fuit, eorum certè assensus particularis fuit, nec potest communi Ecclesiarum Orientis facere præiudicium. Viderint ergo homines nostri, quo iure Græcis & Orientalibus Ecclesiis assensum præbitum, & ex assensu mendacium perfidiamque sequutam obiiciant. Mihi profectò non liquet, vt dicam ex solemni formula. Simpliciùs modestiusque agi cum iis qui diuersum à nobis sentiunt optauerim.

4 Art. 11. *in sexto decret. tit. 1. cap. 1.*] De hoc Concilio sequutus communé illam sententiam quam modò diximus, sic ait Platina in Gregorio 10. *Eundum erat ad Concilium quod Lugduni indixerat, quò & Palæologus Imp. Constantinopolitanus cum magno comitatu profectus tertiadecima vice in sententiam Rom. Ecclesiæ Græcos totiens deficienteis pertraxit.* Durum profectò opus, in Ecclesia, & in causa fidei pertrahere.

5 Art. 12. *consentientibus Græcis & Latinis.*] Nempe de hoc argumento solùm consentientibus iis qui aderant cum certa interpretatione, excepto Marco Ephesio Episcopo: quorum consensum, quum perlatus esset, Orientales improbauerunt: præsertim quum literis

literis alia capita continerentur, de quibus Græci fuerant sæpius testati se nihil in mandatis accepisse; & suspicionem moueret mors repentina Iosephi Patriarchæ Constantinopolitani quæ Florentiæ acciderat. Nam eo demum mortuo aliæ quæstiones maximè sunt excitatæ, & illud etiam acriter postulatum, vt ibidem coram Eugenio 4. Patriarcha eligeretur ab ipso auctorandus: quas res non sine dolo malo gestas Orientales Ecclesiæ putauerunt.

Cap. XXIIII.

1 Art.2. *se schismatis accusare antiquissimam Ecclesiam?*] Diuersam quidem sententiam ostendunt, at non propterea accusant schismatis: persæpe enim vsuuenit, vt alij diuersum ab alijs sentiamus, & sine schismate. Inconsequens itaque criminatio.

2 Ibid. *vel potiùs docere, nunquam Græcos cum Latinis coniunctos fuisse?*] Non sequitur istud ex particulari: nempe si in hac re non fuit coniunctio, nullam igitur in totum siue vniuersè coniunctionem exstitisse.

Cap. XXV.

1 Art.2. *quia debent tolli occasiones errandi.*] De hac propositione nolim contendere: Sed tantùm moneo, si nihil aliud adferatur, responsuros Græcos esse, quòd principium petitur. Deinde confunduntur necessitatis gradus: nam quicquid in causa fidei definiuit Deus, id simpliciter est necessarium creditu, quià definitio Dei est. Tam itaque necessarium est, & fuit semper necessarium creditu, Spiritum sanctum à Filio procedere, quàm necesse est credi Filium à Patre gigni:

id autem non fuisse tam necessarium paulo pòst agnoscit Bellarminus ipse.

2 Art. 5. *ex illo Ioan. vlt. pasce oues:*] De hoc axiomate, & sequente consectario eius in controuersia 3. videbimus. Negatur.

3 Ibid. *definire autem res fidei ad illum pertinet, qui non potest errare, &c.*] Id est, ad Deum pertinet & Dominũ Iesum Christum, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν fidei nostræ, Heb. 12. qui est via, veritas, & vita, Ioan. 14. ad quemquam verò hominem ψιλὸν minimè.

4 Art. 6. *sufficeret Concilium aliquot Episcoporum ab ipso Rom. Pontifice conuocatum.*] Negamus. Non enim valet consequutio, est primæ sedis Episcopus, ergo sufficeret Concilium aliquot Episcoporum ab ipso conuocatum: Primus est ordine, ergo potestatem habet istiusmodi. Falsum. Tum falsum est, in eo quod omneis tangit & in re tam ardua, partem aliquam posse alteri facere præiudicium: id iuri ipsi naturæ aduersatur. Postremò verò antecedens non est diuini iuris, sed voluntarij, id est, humani atque positiui: quapropter nec in rebus diuinis auctoritatem potest obtinere, nec citra consensum auctoritatemque Ecclesiarum liberam. Reliqua duo argumenta in controuersia 4. dissoluentur: nam illius sunt loci.

5 Ibid. *rogaui pro te, &c. vt non deficiat fides tua, Lucæ 22.*] Immo verò ex complexione doctrinæ Christi per communicationem & præsentiam Spiritus: nam quòd ex particulari fit argumentatio de sede Petri æquiuocè, id controuersia 3. & 4. refelletur. Falsa itaque argumentatio.

6 Ibid. *Videmus igitur à sede Petri Conciliorum firmitatem esse, &c.*] Non sequitur ἐκ τοῦ μὴ αἰτίου, à non causa

causa pro causa, vt loquuntur. Causa est, quia illud improbauit Dei veritas; hoc approbauit. Nam in Ecclesia veritas Dei & salus populi suprema lex esto: qui contrà euangelizauerit, anathema. Gal. 1. Quid Episcopus, aut Presbyter vllus, nisi administer veritatis? quid Episcopi, nisi pares auctoritatis & officij consortio? veritas Domini lex omnium, & iudex Dominus.

7 Art. 8. *quanto magis tota natio Latinorum simul?*] at non alijs necessitatem inferre illius; quod facit Romanus Pontifex.

8 Art. 9. *conuocare maius Concilium.*] Quin potiùs definire ipsa per se in causa fidei nihil possunt, nisi Christus definiuerit: nulla est enim recta fides, nisi quam præit Christus ac definit verbo. Hanc fidem etiamsi omnia Concilia damnent, stat tamen eius auctoritas: huic si Concilia adiecerint, non fides, sed præsumptio est. Respondeat Tertullianus de præscript. cap. 14. *Fides in regula posita est: habes legem, & salutem ex obseruatione legis. Nihil vltrà scire, omnia scire est.*

9 Art. 10. *huiusmodi sunt infinita exempla.*] Inconsequens. Nam exempla hæc non iuuant [illegible]-τελοςπισκόπους, cuiusmodi Pontifex Rom. se εὔχεται εἶναι, (vt cum Homero dicam) sed de Episcopis dicitur, qui suis Ecclesijs & suo tractui prospectum voluerunt vbi hæreses inriasci animaduertebant; ex legitimo illo & prudente Augustini consilio, *vbi ortum est peccatum, ibi exstinguatur*, potius quàm vt imprudenter in publicum vlteriùs dispergatur. Secundò de causis eiusmodi hæc sunt exempla, in quibus de orthodoxa aliorum in Ecclesijs sententia constabat, non autem præfidenter Ecclesiæ vlli præiudicabatur: contra quàm in hac causa Rom. Pontifices obseruarunt. Nam cùm Sa-

mosatenus in Antiochena diœcesi nouaret, Macedonius in Constantinopolitana, Pelagius in Africa, Nestorius Constantinopoli; quid attinuit alias Ecclesias in consensione doctrinæ appellari, & de malo particulari conscias fieri? quæ res pietati, charitati, ordini fuisset aduersata. In hac autem controuersia profectò alia fuerunt omnia. Falsa igitur & aliena est consequentia quam Bellarminus subijcit.

10 Art. 11. *ignoramus an interfuerint Græci, nec ne.*] Vide suprà cap. 21.

11 Ibid. *quòd rei difficultas hæc exigeret.*] Imò verò talis est, vt propter eam Græcos vocari & audiri oportuerit. Nam primùm apud Orientaleis à monacho Hierosolymitano referunt excitatam Annales Caroli magni, vt suprà in cap. 21. ostendimus. prætereà si talis non est, cur nunc videtur talis, vt propter eam scindi Ecclesiam oporteat?

12 Ibid. *Episcopi aduocari.*] Contrà verò, in Oriente excitatam primùm hanc contentionem fuisse docuimus.

13 Ibid. *eo tempore nulli ferè erant in Græcia homines docti.*] Falsum: contrarium probant omnes historiæ, literatorum decuplo in Græcia & Oriente plus fuisse quàm in Occidente: idque duabus de causis; ingeniorum, literarumque omnium commoditate quibus Oriens abundauit: vt nihil dicam de frequentissimis Barbarorum in tractum Europæum nostrum incursionibus & infestationibus, quas Oriens seriùs & infrequentiùs expertus est, donec Mahumedes, Turci, & Tartari omnia perdiderunt.

CAP.

Cap. XXIX.

1 Art. 2. *sed addi aliquid contrarium superioribus*] Paradoxum. Nam Paulus è vinculis Roma ſcripſit ad Galatas, vt docet ſubſcriptio. Deinde tum ipſe, tum Ioannes poſteà ſcripſerint: at ſubſtantia tamen nihil in fide diuerſum ſcripſerunt, de qua hîc eſt controuerſia; licet alia quædam ſingularia, ſed communi ac planè eadem ſubſtantia, perſcripſerint. ſic etiam ſequentia. vide ſuprà ad cap. 10. lib. 4. controu. 1.

2 Art. 5. *intelligebant nihil facere contra nos?*] Error eſt calculi: dicendum fuiſſet, per annos circiter CLX. ſiluerunt, vt ex cap. 21. perſpicuum eſt, ſi cum his verbis comparabitur.

3 Art. 9. *occaſio huius Canonis ſcribendi idem confirmat.*] De hac re in controuerſ. 4. videbitur.

4 Art. 10. *non poſſe vllum ſuperiori ſuo, aut æquali legem dare?*] De hac re item in controuerſia 3. & 4. Ex falſis antecedentibus concluſiones falſæ. Summum Eccleſiæ Pontificem præter Chriſtum negamus eſſe quemquam.

5 Art. 12. *ſymbolum ſine hac particula dabat occaſionem errandi.*] Hæc ratio ex contingente accidentario: non ſequitur.

Cap. XXX.

1 Art. 1. *vtri errent, Græci an Latini.*] De his non tam probationibus quàm ſignis (ſi dicenda ſigna) quemadmodum vera ſint omnia, & quàm verè accommodentur huic cauſæ, docti viderint. Alia pro-

bantur mihi, & alia minimè: sed suum esto cuique per me iudicium liberum.

2 Ibid. *paucissimos homines doctos.*] Error est calculi, vt supra cap. 29. nota 2. dictum.

3 Ibid. *plurimos homines doctos.*] Atqui miracula non perdurare fatentur ipsi: ordines religiosorum, humani & superstitiosi sunt instituti, vt controuersia 5. dicturi sumus: quid hæc probare possint?

4 Art. 2. *& semper ad vomitum suum redierunt.*] Probationibus opus.

5 Art. 3. *iugum captiuitatis perferre coguntur.*] Ab euentu iudicium; vulgaris probatio est, sed contingens. Sic & sequentia.

De incarnatione, LIB. III.

CAP. I.

1 Art. 1. *hunc esse vnum ex præcipuis eorum articulis.*] Hoc Anabaptistæ illi primi docuerunt: non tamen idem docent in hoc tempore.

2 Art. 2. *ferè omnes Lutherani.*] Quidam videlicet; non omnes, nec fere omnes.

3 Art. 6. *ac proinde esse reuera Deum.*] Crassiùs hæc à Luthero dicta; addo etiam, imprudenter & licentiosè, quum æstu animi & contentionis feruore se transuersum abripi sineret impotentiùs: sed idem alibi quàm sæpe rei veritatem agnouit, quum extra contentionem illam infaustam scriberet!

4 Ibid. *non errasse nisi in modo loquendi.*] Vide in præfationem primam Romæ habitam nota 8. in

principio operis. Lutherus certè interdum perturbatus ita scripsit, vt in libro de Concilijs, Confessione maiore sua, &c.

CAP. II.

1 Art. 2. *panis conuertitur in carnem Christi.*] De hoc simili, quod esse negamus simile, tomo 2. videbitur.

2 Art. *de concordia discipulorum Lutheri.*] Prior nunquam Lutheranus, sed vir αὐτόνομος fuit: Musculo iniquè plusculum, quàm docuerit, hoc loco tribuitur. Etsi non probamus quæ ille de hac re docuit, & ipse tandem παλινῳδίαν.

CAP. III.

1 Art. 2. *vnum cum illo, & tamen minor Patre.*] Puta, secundùm idem, & eodem modo naturaliter. vide in lib. 1. cap. 16. nota 10. & seq.

CAP. IIII.

1 Art. 2. *per vnionem cum carne in vna hypostasi Verbi:*] Summa, responsionem esse æquiuocam; sublata æquiuocatione, veram.

1 Art. 10. *in carnē conuersam esse diuinitatem.*] Deum esse conspicuum in carne factum assumpta personaliter, 1. Tim. 3.

CAP. V.

1 Art. 5. *Christum hominem omnipotentem faciunt.*] *Hominem*, id est, quà homo, vt sic, vel secundùm

cundùm humanitatem. Ambiguè id quidem, fateor: ſed quid niſi inopia charitatis facit iniquitatem interpretationum? Et quàm ſæpe, obſecro, hac loquutione abutuntur orthodoxi Patres? quos quidem impium fuerit reos facere hæreſeon ab huiuſmodi argumento. Chriſtus Deus, id eſt, quà Deus: Chriſtus homo, id eſt, quà homo. Exempla (ne abeamus longiùs) vide ex Hieronymo, capite ſeq. & ex Auguſtino, cap. 7.

2 Art. 6. *Mediatoris perſonam nondū attingo.*] id eſt, perſonam Chriſti Ieſu, quà Mediator, vt modò diximus: ſic ſequentibus. Falſæ itaque & odioſæ criminationis iſta ſunt.

3 Ibid. *ſed quia mediatoris ſuſcepit perſonam & munus.*] Et hîc perſona dicitur æquiuocè ex communi Latinorum vſu; quem Bellarminus certè non ignorat, ſed criminandi ſtudio abreptus cauillatur. Cum bonis bene oportet agi.

CAP. VIII.

1 Art. 8. *ad ſubſiſtentiam ferri, neque contra.*] De hoc ſimili pluribus agetur infrà cap. 10.

2 Art. 27. *ad dexteram Dei.*] De hac propoſitione agetur poſteà lib. 5. cap. 9. & 10. huius controu.

CAP. IX.

1 Art. 6. *& Petrus Martyr in dialogo de duabus naturis.*] Id falsò Martyri & Bezæ tribuitur. Agunt enim illi de duabus naturis Chriſti oppoſitè, prout in quæſtione de communicatione idiomatum (puta naturæ vniuſcuiuſque per ſe) fieri poſtulat ratio; non autem compoſitè, prout ſunt communia in perſona:

ſona: quum autẽ ſit oppoſitio, aut naturæ habetur ratio in ſe, planè verbalis eſt cõmunicatio. Et quid aliud ſibi, obſecro, diſputator voluit ſequentibus? dicit enim, *eſt realis quidem, ſed reſpectu hypoſtaſis vtriuſque naturæ, non autem reſpectu ipſarum naturarum*, &c. Sic etiam infrà cap. 10. in argumenti 5. confutatione.

CAP. X.

1 Art. 9. *apertè docuit diuinitati tribuenda, quæ dicuntur de paſsione Domini?*] Falſum: vt in præfationem 1. nota 8. principio operis controuerſ. 1. oſtendimus. Non infitiamur quidem Lutherum æſtu contentionis abreptum, impropriè loquutum, & imprudentem cùm in ſermone & modo loquendi lapſum eſſe, tum in rebus interdum (nam homo fuit) aberraſſe: ſed hoc tamen nunquam Lutherus ſenſit, aut ita enunciauit grauiter prout obijcitur. vide ſuprà cap. 1. nota 3.

CAP. XI.

1 Art. 2. *non eſt relicta in inferno*, Actorum.] De hoc axiomate, ſequente libro (ſi Deus volet) videbitur.

2 Art. 8. *quomodo Brentium intelligunt de corpore Chriſti.*] De hoc quoque argumento poſteà tomi 2. controuerſia 3. videbitur.

CAP. XII.

1 Art. 4. *anima ad infernum deſcenderit.*] Et de hoc quoque argumẽto in libro ſequente viſuri ſumus.

2 Art. 12. *filios tenebrarum iuuat ludere, & iocari*

iocari de mysterijs Christi.] Sed & ipsi filij lucis nonnunquam in caligine & tenebris palpant, humani aliquid (vt homines sunt) patientes: hic enim sunt incrementa fidei, dum in terris sumus.

CAP. XIII.

1 Art.5. *sed solùm quamdam energiam eius.*] Hoc autem reuera nunquam Caluinus docuit: non igitur Caluinismus est.

CAP. XV.

1 Art.4. *pro loco æquali, non superiore, vel inferiore:*] Impropria interpretatio. Quin id potiùs verum est, agi de regno illo œconomico, quod Deus Pater dedit Filio θεανθρώπῳ, vt Mediatori Ecclesiam suam salutariter gubernanti: quod regnum tandem ipse Filius Deo & Patri traditurus est, 1.Cor.15.vt suprà lib.2.cap.16.nota 10.docuimus. Huc enim pertinet præcedens illa Nebrissensis interpretatio, & loci omnes qui ex Patribus deinceps adducuntur.

2 Ibid. *patet dexteram significarè æqualitatem.*] Hæc fallacia est figuræ dictionis, vt vocant. Nam aliud est sedere à dexteris; aliud, à dexteris esse. Sedere à dexteris, est communicare imperio, maiestate, gloria, &c. vt Psalm.45.10.at esse à dexteris significat commodissimè alicui adsistere ad perficiendum voluntatem eius, prout dextera & instrumentis ad ipsam adhibitis res institutæ efficiuntur commodè. Sic Psal.16.8.& Eccl.10.2.Itaque non valet consequutio.

3 Art.5. *& in cap.1.ad Ephes.& alij.*] Sic quidem exponunt Patres cùm his locis, tum alijs prætereà quàm

quàm plurimis. Sed expositiones duûm esse generum Bellarminus non ignorat: vnum primarium, quod est proprium & genuinum loci; alterum secundarium, quod ex primario illo exsurgit optimè per consequentiā necessariam. Horum autem locorum qui de Christo Mediatore, quà mediator, enunciati sunt, duplex est Patrum interpretatio: videlicet primaria atque genuina, qua Christo, vt mediatori, gloria diuinæ proxima tribuitur; & secundaria, qua eidem Christo, vt Deo vero & vnico cum Patre & Spiritu sancto, gloria diuina tribuitur eadem quæ Patri & Spiritui sancto: quam gloriam Patres ad essentiam respicientes appellauerunt eamdem; quum verò ad personarum inter se comparationem, gloriam parem nominarunt. Et rectè quidem: quoniam personæ secundùm essentiam vnum sunt; secundùm τὸ περσοπτικὸν, pares, Philip. 2. Rem, vt meliùs intelligatur, paulo altiùs repetamus. Quæcunque de Christo enunciantur, aut diuina sunt simpliciter, ad naturam diuinam ipsius pertinentia; aut humana humiliaque, ad humanam; aut communia mediaque, ad personam totam in vtraque natura ipsius pertinentia. Hoc cuiuis Christiano constare puto. Gloria itaque, potentia, maiestas, de Christo quum enunciantur, his tribus modis consideranda est, vt diuina, vt humana, vt media siue mediatoria. Vt diuina, essentialis est, propria Dei vnius & solius & semper, nec cum re vlla creata communicabilis: ergo & Christi, sed duntaxat quà Deus. Vt humana solùm, propria fuit Christi, dum hîc in terris ambularet in forma serui, in carnis infirmitate. Vt media denique & mediatoria, propria est personæ Christi in vtraque natura simul atque communiter; tum per gratiam vnionis, quæ in solo Christo est ad opus mediationis; tum per exaltationem illam supra omne nomen, quæ perpessiones

eius

eius sequuta est. In his autem locis omnibus, vbi de exaltatione personæ Christi ad dexteram Patris agitur, humana illa atque humilis gloria expungitur: hæc in rationem venire non potest. Ergo aut de diuina gloria, aut de media illa sunt accipiendi loci, aut de vtraque simul. Atqui hi loci propriè de Christo, vt θεανθρώπῳ & Mediatore agunt: res ipsa loquitur. Non ergo propriè, primariò, & per se agunt de gloria illa purè diuina ac essentiali, quæ & personæ Christi competit secundùm essentiam illam in tribus personis subsistentem; sed potiùs aut de media illa, aut de vtraque simul. De vtra igitur? dixerit quispiam. Certè, non de vtraque simul: ratio, quia non potest de vtraque simul & confusè dici, nisi æquiuocè. In hoc autem æquiuocationis vitium Spiritum sanctum semel, nedum toties, incidisse vt dicamus, absit: qui os & intellectum homini dedit; Spiritus scientiæ, eò prolabi neque vult, neque potest. Restat ergo, vt locos illos omneis propriè, primò, & per se de gloria illa media & mediatoria statuamus dicere: quæ gloria non est essentialis illa Dei, quæ est incommunicabilis simpliciter; sed proxima diuinæ atque essentiali illi, & tamen longè gloriam rerum creatarum omnium superans: etsi hanc gloriam paulo antè Bellarminus humanam, sed angustiùs, appellauit. Nam Pater *collocauit eum ad dexteram suam in cœlis, longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, verumetiam in futuro*, &c. Ephes. 1. Quid ergo? an malè interpretati sunt Patres? Respondeo, minimè gentium: sed meliùs interpretati sunt, qui ad mediam illam & mediatoriam gloriam retulerunt. Vtrique interpretati sunt bene: sed hi primarium sensum attulerunt, illi ex primario consectarium. Primaria eorum est, qui de media

media illa θεανθρώπε & mediatoris gloria acceperunt: eorum ſecundaria, qui de gloria diuina eiuſdem perſonæ accepêrunt, eo quòd ille Mediator noſter eſt Deus. Nam media illa gloria eſt Chriſti, vt Mediatoris propria: cùm autem Mediator ſit Deus, diuinam gloriam diuinitus habet, vt Deus. Hoc ipſum ijdem Patres paſſim diſtinxerunt. Exempli cauſa, Baſilius poſtquam de gloria diuina dixit lib. de ſpiritu ſancto in cap.6. ſtatim ad mediam illam & mediatoriam cap.7. & 8. tranſit, oſtendens aliter ſermonem inſtitui in Scripturis de perſona Chriſti, reſpectu τῆς οἰκονομίας ἐν αὐτῷ καὶ τῆς ἐνεργείας ἧς ἐνεργεῖ εἰς ἡμᾶς, id eſt, reſpectu mediationis, quam & aſſumpta humanitate diſponit in ſeſe coram Patre, & operatur in nobis: denique (ſi aliter ex Damaſceno cap. ſequente placebit colligi) vtramque gloriam in perſona obtinet; diuinam, vt Deus natura; mediam quamdam inter Deum & creaturas, vt Mediator voluntario officio per diſpenſationem præſtito. Hæc eſſe ſine illa non poteſt, quia eſt vnius perſonæ: illa ſine hac eſſe poteſt, quia eſt eſſentiæ, ac proinde trium perſonarum in deitate communis, infinita, æterna, &c. vt de eſſentialibus attributis apud omneis conſtat.

4 Art.6. *dixit aliquando, ſede à dextris meis.*] Verum id quidem eſt, ſed tamen ſecundaria (vt modo diximus) interpretatione: nam altera interpretatio eſt locorum illorum primò & per ſe propria. Etſi prioris loci probatio nihil ad rem facit: non enim ex ea loquutione, *ſedere ad dexteram*, Chriſtus argumentatus eſt, ſed ex eo potiùs quòd Chriſtus à Dauide fuerat Dominus appellatus.

5 Art.8. *ſedere eum fecit ad dexteram ſuam.*] Imò verò data eſt perſonæ illi θεανθρώπῳ, quæ vt Deus ſe inaniuerat ſubmiſeratque voluntate; vt homo,

Patre minor erat natura sua: vt præfationis cap.16. nota 10. ostendimus.

6 Ibid. *non enim conuenit deitati exaltari, & constitui ad dexteram;*] Non secundùm naturam ipsius exaltari conuenit, sed secundùm œconomiam, & humanitatem assumptam. Ascendit enim (vt dicit Aquinas 3.q.57.) *ad consessum paternæ dexteræ, æqualiter secundùm naturam diuinam, aliqualiter autem secundùm humanam:* prout duplex descensus in Scripturis ipsi tribuitur; secundùm exinanitionem, quà Deus; & secundùm motum localem, qua homo. Sic Rufinus, Leo, Theodoretus, &c.

7 Art.9. *datam esse humanitati istam sessionẽ,*] Hæc de sessione æquali, non de aliquali (quæ per se humanitatis est) pius Lector dici meminerit; de tertio, non de secundo sedendi modo.

8 Art.10. *Pater maior me est, sine dubio intelligit ratione humanitatis.*] Dicendum potiùs, ratione personæ, secundùm deitatem voluntaria œconomia, secundùm humanitatem natura sua.



Cap. XVI.

1 Art.5. *de potentia collata Christi humanitati in omnes creaturas.*] Dicendum, Christo θεανθρώπῳ, siue personæ Christi vt Mediatoris, etiam secundùm humanitatem: sic deinceps. nam secundùm diuinitatem se inaniuerat & subiecerat voluntariè, Philip.2.

2 Art.10. *sed etiam filius Dei.*] Sic etiam interpretatur Syrus manifestissimè, itemque Arabs.

3 Art.12. *qui propter carnem assumptam factus est visibilis.*] id est, de potestate regia Christi, vt

Mediatoris

Mediatoris à Deo Patre dati: nam fecit eum Pater Dominum & Christum, Actor. 2.

4 Art. 15. *latêre thesauros scientiæ in Christi humanitate, quod Paulus dixit.*] Imò verò dicit, *in eo*, id est, in Christo, in persona eius, ac non in humanitate solùm.

5 Art. 17. *voluit enim Christus omnia replere gloria sua.*] Mallem dici, *replere donis suis*, ex versu 7. quæ in omneis partes admetitur vnicuique prout vult. Atque hæc genuina est interpretatio, iudicio meo: siue exposueris, *vt impleret hæc omnia*, nimirum superiora & inferiora, donis suis: siue *vt impleret hæc omnia*, id est, perficeret, ex antecedentibus: nam eodem redit vtraque interpretatio reipsa, licet diuersa modo. Confirmatur autem sequentibus, dicente Paulo, *Propterea ipse dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas*, &c.

6 Art. 19. *non simul, sed successiuè obeundo omnia loca.*] Imò verò aliud sonant verba Oecumenij: non enim de impletione corporali agit, vt Bellarminus homonymia verbi πληρώσῃ deceptus putat, sed de energiæ siue effectus complemento. Sic enim ille: ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. καὶ γὰρ καὶ γυμνῇ τῇ θεότητι πάλαι τὰ πάντα ἐπλήρου· καὶ σαρκωθεὶς, ἵνα τὰ πάντα μετὰ σαρκὸς πληρώσῃ, κατέβη καὶ ἀνέβη. id est, *vt impleret hæc omnia. etenim & deitate ipsa nuda implebat olim hæc omnia; & caro factus, vt omnia hæc cum carne impleret, descendit ascenditque.* Si de præsentia illa deitatis repletiua ageret, non fuisset dicturus, implebat olim; sed potiùs, implet à principio, vel iam olim, dixisset Oecumenius.

CAP. XVIII.

1 Art.4. *& fami, siti, iniuriæ, morti obnoxiam,*] Non agit ibi Paulus de modo carnis Christi in se, sed de modo cognitionis nostræ, qua ipsum cognoscimus in Ecclesia. Sed de his alibi.

2 Art.5. *sed vbique vbi sunt qui communicant.*] Neuter hoc dixit, aut sensit. Demonstrant præcedentia Cyrilli verba, quum ait: *In quatuor partes vestimenta diuisa sunt, & tunica solùm indiuisa remansit: quod mysticæ cuiusdam rei signum fuisse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ indumentum verbi, id est, carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulos enim partibiliter transiens vnigenitus,* & quæ sequuntur. Singuli, inquit, partibiliter, id est, μερίστως ἢ κατὰ μέρη inter se diuisi partiuntur, id est, participant carnem eius impartibiliter, ἀμερίστως, in solidum puta singuli virtute Spiritus. Nec alia Theophylacti sententia.

3 Ibid. *potest enim fieri, vt simul in omnibus mundi partibus distribuatur communio.*] Nimirum partibiliter in sacramento, impartibiliter autem in persona, vt Cyrilli vtamur verbis.

4 Ibid. *nec postulat immensitatem:*] Nihil refert: est enim vtrumque contra naturam & perfectionem essentialem corporis, siue omnibus, siue multis in locis dixeris ipsum esse. Negamus distinctionem hanc quicquam ad rem facere. vide tomo 2.

5 Art.8. *sed successiuè, id est, posse migrare ad quæ loca voluerint.*] Propterea dixit Ioannes Apoc.14.4. *sequuntur agnum, quocunque vadit*; prout ab Hieronymo adducitur. Est autem vadere successiui

ſiui & localis motus: non vadunt autem, nec volunt vadere, niſi ſequendo agnum.

CAP. XIX.

1 Art.8. *ſed non poſſumus nos ipſos ponere in pluribus locis.*] Hæc quidem vera eſt loci illius interpretatio: ſed quàm vera ſit ſententia, auctor illius viderit. Nos de his agemus poſteà in tomo 2.

CAP. XX.

1 Art.3. *& ſumma fidei noſtræ myſteria impiè abnegarentur.*] Quin potiùs huc ſpectauit Deus, vt per iſtarum nugarum reprehenſionem ad veræ pietatis inſtaurationem ſecundùm Deum veniretur: quod mundus ſua incredulitate, & Satanas offucijs impedit indigniſſimè.

De Christi anima, LIB. IV.

CAP. I.

1 Art.2. *Fuit hæreſis antiqua Agnoitarum,*] Meliùs Agnoëtarum, vt Græci dixerunt, ἀγνοητῶν. Hic autem obſeruandum eſt, confundi Agnoëtarum nomen apud auctores quamplurimos, & eorum quoque exemplo Bellarminum confundere. Nam Eutyches primùm naturam vnam in Chriſto adfirmauit ex duabus confuſis eſſe: ab eo Eutychiani. Hunc ſequutus Theodoſius naturam eſſe corruptum & corruptibilem in Chriſto dixit: ab eo dicti Theodoſiani, & Phthartolatræ, ſiue (vt Liberatus vocat) Corrupticolæ. Hunc

verò Themiſtius diaconus excepit, dicens ergo & animam Chtiſti ignorantem eſſe: ab eo Themiſtiani, ſeu Agnoëtæ priores. His denique Agnoëtæ poſteriores ſucceſſerunt, qui & Agnoëtæ ſimpliciter dicti, etiam ſecundùm diuinitatē ignorantiam tribuentes Chriſto. Rabanus libro 2.de inſtitutione cleric. cap. vltimo, *Agnoëtæ & Tritheitæ*, inquit, *à Theodoſianis exorti ſunt: ex quibus Agnoëtæ ab ignorantia dicti, quia peruerſitati à qua exorti ſunt id adijciunt, quòd Chriſti diuinitas ignoret futura quæ ſunt ſcripta de die & hora nouiſſima*, &c. Conſulatur Nicephorus. A vero igitur aliquantum aberrant ſequentia.

2 Art.3. *Chriſti animam paulatim didiciſſe quæ verè ignorabat; & aliquid etiam egiſſe, quod corrigi debuerit.*] Duplex criminatio: quarum poſteriorem, quà nos Bellarminus voluit attingere, negatione; priorem verò diſtinctione refellimus: vt ſingillatim poſteà videbimus.

3 Art.7. *Lutherum & Caluinum.*] Hactenus loci ad criminationem priorem pertinentes: deinceps qui ad poſteriorem pertinent adducuntur.

4 Art.8. *abruptum fuiſſe votum.*] Hem rhetorem, qui neſcit abruptum apud auctores idoneos τὸ ἀπότομον καὶ ἀπερσφάσιστον appellari.

5 Ibid. *Nota illa verba, ſubitò elapſum; Item illa, caſtiget ac reuocet.*] At notari quoque, & proximè his præcedentia addi oportuit bona fide, vbi Caluinus dicit: *Tenendum quidem eſt, non fuiſſe turbulentos Chriſti affectus, qui more noſtro eius animo puram moderationem excuterent: ſed quantum fieri potuit ſanâ & integrâ hominis naturâ, metu perculſus & anxietate conſtr.* & quæ ſequuntur.

6 Ibid.

6 Ibid. *ſed etiam obliuionem & peccatum Chriſto tribuere non veretur.*] Falſum conſequens : vt poſteà demonſtrabitur cap. 5.

7 Art. 10. *vt mox videbimus.*] De ſcientia animæ Chriſti, negatur hanc omnium vniuersè & abſolutè ſententiam eſſe: & ipſe Bellarminus ex parte concedit aliud in capite 5. reſpons. 3. Nam etiam reuera contrà expreſsè adfirmat Thomas ſummæ p. 3. q. 9. art. 4. quum dicit, *Quamuis aliter alibi ſcripſerim, dicendum eſt in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam*, &c. Item Caietanus in eumdem locum, & alij multi. De actionibus Chriſti quod affirmari dicit, falſam criminationem eſſe pòſt ſuo loco demonſtrabimus, iuuante Domino.

Cap. II.

1 Art. 1. *Chriſti animam ab ipſa ſua creatione ſapientia & gratia pleniſſimam fuiſſe.*] Hæc propoſitio vera eſt de anima Chriſti in ſuppoſito ſiue in perſona ipſius. Nam primùm, quà diuinitas eſt vnita humanitati Chriſti ſecundùm perſonam, certè anima Chriſti per lumen immediatè, adeoque perſonaliter participatum à diuinitate & in diuinitate, in qua ſubſiſtit, fuit pleniſſima ſcientia beata illa qua Deus per eſſentiam videtur, præter illam increatam ſcientiam diuinitatis eius; idque ſupra naturam & modum animæ rationalis noſtræ. Secundò præter ſcientiam illam beatam, prædita fuit eadem anima ſcientia, quam infuſam vel inditam vocant; idque in ſummo fine quem natura humana aſſequi vnquam poteſt, ſecundùm rationem intellectus quem philoſophi dixerunt poſſibilem. Tertiò acceſſit ſcientia acquiſita ſecundùm ratio-

nem intellectus agentis humano modo: quæ ſcientia ſucceſſiuè per incrementa ſua procedit, non ſolùm ex parte recipientis animæ, verumetiam ex parte agentis cauſæ, cuius ſpecies intellectu agente in anima inſormatur. Atque hæc ſcientia ordinis tertij, acquiſita vel experimentalis in vulgo Scholaſticorum appellatur: qua Ieſum Chriſtum credimus adfirmamuſque omnino profeciſſe, vt optimè docet Thomas ſummæ p.3. q.9.art.4.& q.12.art.2.& ſequentibus. Damus ergo animam Chriſti ſapientia & gratia inde à primordio ipſius fuiſſe pleniſſimā: ſed ſi quis ex eo inferre voluerit, nulla ergo ſcientia profeciſſe ipſum, negamus. Indefinitam quidem & particularem concedimus vtramque, profeciſſe animam Chriſti ſecundùm quamdam ſcientiam, & ſecundùm quamdam minimè profeciſſe: vniuerſalem verò, ſiue adfirmatiuam, ſiue negatiuam, negamus, improbamuſque. Certa enim eſt communis hæc orthodoxorum Patrum & catholicorum ſententia doctrinaque de animæ Chriſti ſcientia, quam his paucis theſibus concludemus:

1. duas eſſe in Chriſto naturas inconfuſas, & proprietates ipſarum: ac proinde (vt antè ex Agathone dicebatur lib.3. cap.10.) *omnia in Chriſto duplicia eſſe, id eſt, naturas, proprietates, voluntates, operationes, ſola excepta ſubſiſtentia, quæ eſt vna.*

2. ſcientiam itaque duplicem eſſe in perſona Chriſti: vnam increatam, puta naturæ diuinæ illius in ſe; alteram creatam, naturæ humanæ illius; vtramque integris ſuis proprietatibus.

3. proprietatem ſcientiæ diuinæ eſſe, quòd infinita eſt, omnis ſucceſſionis & mutationis expers, habétque omnia ſibi præſentiſſima: creatæ verò, quòd cum diuina illa adæquari non poteſt, ſed res ſucceſſiuè cum mutatione percipit.

4. huius

4. huius creatæ ſcientiæ, quæ quidem poteſt in creaturam cadere, tria eſſe in nobis genera: ſcientiam beatam, atque hac Chriſtus Deum videt iu vnione ſecundùm naturam humanam ſuam: ſcientiam inditam vel infuſam, qua homo res cognoſcit per ſpecies intelligibiles ipſarum in intellectu poſſibili, cùm naturali tum diuino motu: & ſcientiam acquiſitam ſiue experimentalem, qua res cognoſcit ſecundùm naturam agente intellectu, ſiue per inuentionem intus, ſiue per apprehenſionem foris.

5. His ſcientiæ gradibus ſic fuiſſe inſtructam animam Chriſti, vt in aliqua ſcientia creata aliquo pacto potuerit proficere, atque reipſa profecerit, quaſi effundente ſe magis ac magis ſpiritu in humanitatem ipſius, vt Bellarminus ipſe agnoſcit poſteà cap. 5.

6. Hunc profectum non malè circumſcribi poſſe Caietani verbis, vbi comparationem inſtituit ſcientiæ Adami cum ſcientia Chriſti humana, dicens: *Adam creatus eſt vt principium naturæ humanæ in naturalibus, tam ſecundùm corpus, quàm ſecundùm animam: & quia perfecta ſunt ſecundùm naturæ ordinem priora imperfectis (vt 12. Metaphyſic. Ariſtoteles dicit) ideò Adam, ſicut ſecundùm corpus creatus eſt perfectus quantitate, ita & ſecundùm animam creatus eſt perfectus in ſcientia. Chriſtus autem non eſt productus vt principium hominum in eſſe naturæ, nec in naturalibus pro hoc ſtatu, ſed vt doctor myſteriorum Dei & regni cœleſtis: in cuius ſignum productus eſt ſecundùm corpus quantitatis imperfectæ; & ſimiliter ſecundùm animam in pura potentia, quoad ſcientiam naturaliter acquiſibilem: & ſicut creuit ætate & verè augmentum corporale habuit, ita creuit ſapientia. ſimul enim Euangeliſta hæc dicit.* Ex his ergo ſequentia omnia deinceps diſtinguemus.

2 Ibid. *vnxit eum Dominus Spiritu ſancto & virtute.*] Hæc omnia teſtimonia ad vnctionem perſonæ Chriſti, quà donorũ, quà vocationis reſpectu pertinent: ſpeciatim verò donorum reſpectu ſecundùm naturam vnctam beata illa & indita infuſaque ſcientia propriè. Ex particulari autem vniuerſale confici nulla ratione poteſt, neque ex negatione ſpeciei vnius negatio alterius.

3 Art.2. *in comment. Iſaiæ, cap.* 61.] Hoc difficultatis argumentum nõ eſt neceſſarium, quia vtrumque vnctionis tempus optimè coniungi & poteſt & debet, vt pòſt demonſtrabitur. Malè itaque res opponuntur coniunctæ.

4 Art.4. *ſuper Chriſtum cum omni donorum ſuorum copia.*] ac proinde coniungit ſcientiam tum beatam, quæ actus eſt, tum inditam & infuſam, quæ habitus: hanc enim inde à primordio ſuo in natura humana ſua poſſedit Chriſtus per gratiam vnionis. De acquiſita verò ſeu experimentali negatur. Nam hæc ſcientia, prout cauſatur ſiue efficitur ab intellectu agente, qui non ſimul totum agit (hoc enim ſolius deitatis eſt) ſed ſucceſſiuè ſingula, ſemper quidem fuit perfecta in Chriſto ſecundùm tempus & modum ipſius, id eſt, omni imperfectione carens; at non ſemper fuit perfecta ſecundùm naturam ſimpliciter. Tum enim demum fuit perfecta ſecundùm naturam ſimpliciter, quum natura eius ad perfectionem ſuam euecta eſt: prout hominibus ſingulis videmus accidere pro cõditione ipſorum. Itidem ad ſequentia omnia reſpondemus: nam de ſcientia beata, & de indita infuſaque conceduntur iſta, de acquiſita minimè.

5 Art.6. *proinde hìc etiam cum incarnatione coniun-*

coniungitur plenitudo gratiæ.] Res quidem non negatur secundùm ea quæ antè diximus: sed hæc constructio, quam disputator adfert, angustiorem sententiam efficit quàm Ioannes voluerit: nam illud membrum, *plenum gratiæ & veritatis*, ad duo simul antecedentia pertinet, nempe *verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Malè itaque Bellarminus concludit per diuisionem rerũ coniunctarum. Nam qua ratione coniungitur plenitudo gratiæ cum incarnatione, eadem quoque & cum σαρκωθέντος verbi conuersatione iungi necesse est. Si illud valet, hoc etiam valeat oportet: si non hoc, nec illud.

6 Art. 7. *non ergo exspectauit spiritum sapientiæ & gratiæ per annos* XXX.] Assumptionem distinguimus. Nam (vt nota 2. diximus) vnctio donorum, aut vocationis est. Vocationem certè præsentissimam ea ætate accepit, quum Spiritus sanctus descendit super eum: priùs designatus erat, necdum vocatus. Tum & de donis distinguimus. Nam de scientia quidem beata & indita infusaque nihil dicimus: sed acquisita & experimentalis cùm gradatim augescat in nobis, quid vetat quo minùs & eo ipso tempore in Christo ad vocationem venturo prouexerit?

7 Art. 8. *vnctionem, quam intus anteà iam acceperat.*] Ampliùs sibi voluit Hieronymus. Non enim cœptam vnctionem aut perfectam (quod fuisset ambiguum) dicit exstitisse, sed *expletam* ad capessendum vocationem suam: ac proinde expletam dicens, principium & progressum vnctionis discernit à complemento ipsius. Principium beatæ & inditæ scientiæ esto sanè à conceptu humanæ naturæ illius: at experimentalis scientiæ progressus & complementum fuit suo ordine. vt ea quoque instructus aggrederetur illam voca-

vocationem ſuam. Id poſtquam Hieronymus ex Lucæ 4. probauiſſet, concludit propè iiſdem verbis dicens, *Si ergo illo completa eſt tempore prophetia*, & quæ ſequuntur. De ſubſtantia & fine vnctionis agit Hieronymus; non autem de modo, aut tempore, vtrùm viſibilis an inuiſibilis fuerit, vtrùm à conceptu, necne: docet tum expletam fuiſſe vnctionem Chriſti ad obeundam vocationem ſibi impoſitam. Quamobrem alienum eſt quod hîc diſtinguitur.

8 Art. 9. *Chriſtum non potuiſſe proficere*;] Vniuerſè dictum negamus, vt nota 1. & 4. ex parte ſi accipitur, agnoſcimus.

9 Ibid. *quia initio accepit gratiã ſine menſura*;] Rectè, *gratiam*: ſed eo ipſo diſputator fallitur dupliciter: primùm, quia naturam omittit, Chriſtus autem natura profecit & gratia; non ſequitur ex parte vniuerſale, ex ſpecie genus: ſecundò quia non diſtinguit gratiam. Nam aliud eſt gratiam dicere, aliud naturam, cuius ordinem non euertit gratia. Tum huius gratiæ, quà ſcientiam ſpectamus Chriſti, gradus triplex, vt antè diximus. Primus eſt gratiæ vnionis, per quam ſcientia diuina & increata eſt hominis Chriſti. Secundus, gratiæ beatitudinis in vnione, per quam ſcientia beata eſt humanitatis Chriſti. Tertius, gratiæ inditæ & infuſæ ad opus Mediatoris ab vnione, per quam ſcientia infuſa eſt perſonæ Chriſti ſecundùm humanitatem eius. Reſtabat natura, cuius ordo ab imperfecto ſolet ad perfectionem cõtendere pro menſura ſua. Gratiam ergo ſine menſura accepit Chriſtus: ſed naturæ menſuram ordinemque ſeruauit proportionaliter, vt ita dicamus, gratia plenus à principio, naturâ verò proficiens. Quapropter hæc omnia, ſi bene accipiantur, nos quoque adfirmamus: ſin ad euerſio-

nem

nem naturæ, experimentalisque scientiæ (vt vocant) rapiantur, negamus constantissimè: nam sua est gratiæ, sua naturæ ratio. Ad gratiam solum Dei opus superuenit: ad naturam & scientiam experimentalem seu acquisitam eius, opus hominis cooperante Dei gratia & virtute interuenit.

10 Ibid. *de plenitudine eius omnes accepimus.*] Non sequitur, ergo à principio habuit omnem omnino plenitudinem, nec ei accessit quicquam. hæc sunt ἀνακόλουθα.

11 Ibid. *nimirum Filio suo.*] Verissimè dictum: sed *spiritum* dicit, non autem naturam, aut scientiam experimentalem naturæ accrescentem: & de tempore dicit quo iam Christus in vocatione erat, non de eo quod antecesserat inde à conceptu. Inconsequens.

12 Ibid. *in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei.*] Prius de diuina scientia dicitur: posterius de omni scientia & sapientia, ex quo Christus in gloriam euectus est, consummato mysterio redemptionis nostræ. An verò inde sequitur omnem scientiam omnino infuisse humanitati Christi inde à conceptu ipsius?

CAP. III.

1 Art. 1. *te tamen Deum meum videbam, &c.*] Nimirum naturâ vt Deus, per increatam; vt homo in gratia vnionis, per beatam quoque scientiam. Explicat ipse Eusebius, quum ait, *te tamen Deum meum videbam, vt qui inconfusus & impermixtus in hac carnis communione permanserim, ac potiùs tum etiam incorporeus essem, & omni vinculo liber,* &c. quibus verbis circumscribit illum suæ visionis, de qua dicebat, modum.

2 Ibid.

2 Ibid. *licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus.*] Hic locus de scientia Christi infusa est. Sed quid non adduntur ea quæ Eusebius ibidem subiicit? *neque facultate, neque substantia par eram multis:* quæ verba de natura humana secundùm conditionem modumque ipsius in se prædicantur.

3 Art.2. *non quòd aliquid ipse nesciret, &c.*] Hæc de Christo dicit Ambrosius secundùm totam personam, ac non secundùm totum personæ, id est, etiam secundùm humanitatem ipsius. Nam alioquin vbi de anima humana Christi seorsim agit, & acquisita scientia aut ignoratione illius, & Christi profectum asserit, & illum dubitauisse disertè dicit. Lib.2. de fide, cap.4. *Per naturam hominis & dubitauit, & tæduit, & resurrexit.* Ibidem sub medium capitis vtrumque distinguit luculentissimè de eo secundùm humanitatem dicens seorsim, *Mihi prodest scire, quia propter me suscepit Christus meas infirmitates, mei corporis subiit passiones: pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, pro me atque in me subditus atque subiectus: pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me seruus, pro me filius ancillæ, pro me diem iudicii ignorans, pro me nesciens diem aut horam.* Posteà verò anticipatione excipiens naturã diuinam illius subijcit, *Nam quomodo posset diem nescire, qui dies fecit & tempora? quomodo posset diem ignorare iudicii, qui & horam iudicii futuri expressit & causam? Factus ergo maledictum, non secundùm diuinitatem, sed secundùm carnem.* Et paulo pòst: *Lachrymæ illæ nos lauant, fletus illi nos abluunt, ac dubitatio illa nos firmat, ne tu, si cœperis dubitare, desperes.* Eumdem audiamus lib. de incarnationis dominicæ sacramento, cap.7. dicentem Christi verbis: *Deus ante carnem, Deus in carne, perfectionem natura*

naturæ assumpsi humanæ, suscepi sensum hominis, sed non sum sensu carnis inflatus. Sensu hominis animam meam dixi esse turbatam; sensu hominis esuriui; sensu hominis rogaui, qui rogantes exaudire consueui; sensu hominis profeci, sicut scriptum est, & Iesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, & profectus sapientiæ: sed humanæ est; ideo ætatem antè præmisit, vt secundùm hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia. Iesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis sensus proficiebat? si humanus, ergo & ipse susceptus est: si diuinus, ergo mutabilis per profectum: quod enim proficit, vtique mutatur in melius. Sed quod diuinum est, non mutatur: quod ergo mutatur, non vtique diuinum. Sensus igitur proficiebat humanus: sensum ergo suscepit humanum. Et vt sciamus quia secundùm hominem loquebatur, præmisit dicens, puer autem crescebat, & confortabatur, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat cum illo. Et puer, nostræ nomen ætatis est: nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo diuinitatis impleri: quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. & quæ sequuntur. Non pugnat secum Ambrosius, sed distinguit in persona Christi proprietates & sensum vtriusque naturæ ipsius euidentissimè.

4 Ibid. *sed quòd hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.*] Ita Nazianzenus, ἐκεῖνός τε γὰρ προέκοπτε, φησὶν, ὥσπερ ἡλικίᾳ, οὕτω δὲ καὶ σοφίᾳ καὶ χάριτι· οὐ τῷ ταῦτα λαμβάνειν αὔξησιν (τί τοῦ ἀπ' ἀρχῆς τελείου γένοιτ' ἂν τελεώτερον;) ἀλλὰ τῷ κατὰ μικρὸν ταῦτα παραγυμνοῦσθαι καὶ παρ-

ἐκφαί-

ἐκφαίνεσθαι. *Proficiebat enim ille, inquit, vt ætate, ita & sapientia & gratia: non quòd hæc caperent incrementum*, videlicet in persona secundùm totum ipsius, de qua subiicitur respectu naturæ diuinæ, *quid eo qui à principio perfectus est, fieri possit perfectius? sed quòd paulatim denudarentur ista atque apparerent*; videlicet tum carni ipsius assumptæ & proficienti in vnione verbi, tum aliis hominibus atque consortibus eius. Explicat idem elegantissimè orat. 2. de Filio, dicens, *nouit quidem vt Deus, ignorare verò dicit vt homo*, ἢ πᾶσιν ἔυδηλον, ὅτι γινώσκει μὲν ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος, ἄν τις τὸ φαινόμενον χωρίσῃ τοῦ νοουμένου. τὸ γὰρ ἀπόλυτον εἶναι τοῦ υἱοῦ τὴν προσηγορείαν καὶ ἄσχετον, οὐ προσκειμένου τῷ υἱῷ τοῦ τινὸς, ταύτην ἡμῖν δίδωσι τὴν ὑπόνοιαν· ὥστε τὴν ἄγνοιαν ὑπολαμβάνειν ἐπὶ τὸ εὐσεβέστερον, τῷ ἀνθρωπίνῳ, μὴ τῷ θείῳ ταύτην λογιζομένους.

5 Art. 3. *descendit in eum omnis fons Spiritus sancti.*] Rectè, *in eum*, id est, in personam eius: quis negat? sed ita vt successiuè altera eius natura quæ proficere potuit profecerit: nam alioquin natura humana non fuisset.

6 Ibid. *iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate.*] Hic locus nihil ad institutum: nam verbum *videbitur*, quod Bellarminus rapit æquiuocè, non est accipiendum figuratè, vt hîc putat; sed propria significatione, pro eo quod est, videbunt omnes eum sapienta & ætate proficere. Est autem Christus inde à conceptu vir specie, & vir perfectus per gratiam vnionis habens in se omnem plenitudinem deitatis, Col. 2.

7 Art. 4. *se loqui etiã de Christo, quà homo erat.*] Glossema falsum: rem enim aliter se habere tum ipsa argumentatio docet, tum locus & pagina tota. Argumentatio,

mentatio, quia non esset consequens illud quod ex absurdo Samosatenicæ doctrinæ colligit; sed tantùm sequeretur istud, profectum quidem capere Christum, sed non pro conditione aliorum hominum capere. Locus verò & tota fermè pagina, quum ait: *Sed tamen cur ita sermonem temperauerit, ne filium quidem hoc cognitum habere, cùm hoc omnium optimè cognosceret, ne id quidem infidelibus obscurum arbitror, eum hîc per carnem hominis more & ex persona hominis loquutum esse. Neque est vt aliquid detrimenti verbo Dei accessisse putes; cùm ignoratio ista ad naturam humanam, cui id peculiare est, solummodò pertineat.* Deinde paulo pòst, *Siquidem hominis proprium est ignorare, ac præcipuè ea quæ sunt istius generis: & in eo ipso proprium quiddam est beneuolentiæ Saluatoris nostri erga nos homines,* & quæ sequuntur plurima. Quamobrem totam restrictionem cùm neget Athanasius, negamus & nos.

8 Art. 5. *Christum profecisse, & mutationem passum, non autem in dotibus animæ.*] De ignorantia miserabili (vt Augustinus distinguens vocat) agitur in eo loco, & infesta perturbationibus: ac proptereà ibidem subiicit, *Per hanc enim etiam quum m[...] tibus irrationabilibus perturbantur: nulla ratione, nul[...] imperio; sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohibentur,* &c. quæ noster Bellarminus transsilijt, vt sequentia mutila produceret, falsumque ex eis concluderet. Hæc verò quid ad quæstionem? nam de ignorantia naturæ simplicis, ac non peccatis coniunctæ dicimus; cui scientia acquisita vel experimentalis opponitur, & medicinam (vt ita dicam) facit.

9 Ibid. *quàm ipsa conceptione.*] Et idem nos quoque adfirmamus bene intellectum, prout suprà cap. 2. nota 6. declarauimus, & sequentibus.

 10 Art. 6.

10 Art. 6. *nihil additum Christo, etiamsi legamus eum profecisse sapientia & gratia.*] id est, nihil additum personæ Christi: dictum verissimè: sed à persona ad naturam, id est, à non distributo (vt loquuntur) non valet argumentatio. Atque hoc ibidem Cyrillus est interpretatus luculentissimè, dicens, *non sapientiam ipsam* in sapientia, *inquantum est sapientia, sed humanam naturam in sapientia profecisse.* Consulatur locus: præferet legentibus, quamuis me tacente, lucem.

11 Ibid. *illorum potiùs de Iesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia.*] Vtrumque ergo Cyrillus ponit, vt nos facimus; & personæ Christi perfectionem esse, & huius naturæ profectum: nam certè alterum altero minimè conuellitur, vt idem ipse lib. de recta fide ad Reginas explicat; copiosissimè verò lib. 10. thesauri cap. 7. iisdem argumentis vtens cum Athanasio, & hæreticos appellans his verbis, *Cur igitur omnia quæ homini sine peccato conueniunt, etiam Verbo non attribuitis? præsertim cùm hinc nulla in re deitati verbi derogetur. Quoniam igitur carni proficere proprium ..., dicas eum vt hominem proficisse: sibi enim attribuit ... quæ carnis sunt. Sic enim mortem etiam perpessum prædicamus; neque vt Deum, sed vt hominem id perpessum credimus,* &c. Concludit tandem his verbis: *Sic igitur quæ de Christo scribuntur intelligenda sunt, vt nec quæ deitati conueniunt humanitati eius attribuantur, nec quæ humanitatis propria sunt, ad deitatē ipsius detorqueantur.*

12 Ibid. *damnat Themistium auctorem Agnoitarum.*] Et nos tam improbamus quàm fecerunt illi: hæc igitur nihil ad nos. Vide suprà cap. 1. nota 1.

13 Art. 7. *sapientiam cæteris ex tempore ministrando,*

ſtrando, &c.] Nempe Beda vtrumque ponit, profectum naturæ humanæ in ſe, & profectum perſonæ apud alios: vtrumque verum. Sed tamen id in Bedæ verbis obſeruandum, quòd in profectu naturæ humanæ noluit immorari, quia in contemplatione perſonæ Chriſti difficiliores explicatus habet, ac minus populareis: de perſona verò & profectu ipſius agere facilius & ad captum popularem eſt accommodatius. Hoc autem ſapientes viri in homilijs ϗ δημηγορίαις affectant maximè. Sic à natura ad perſonam illico tranſſilit; non id quidem quod eſt perſonæ negans, ſed ad argumentum quod populo magis conuenit reſpiciens. Quamobrem non ſequitur ex hoc loco id quod Bellarminus adſtruit.

14 Ibid. *non ſecundùm hypoſtaſin adorant vnionem, &c.*] Damaſcenus apertè oſtendit toto illo cap. ſe de profectu ſapientiæ & gratiæ agere ſecundùm perſonalem duarum naturarum vnionem in ipſo, ac non ſecundùm naturam humanam ſimpliciter. Eſt autem harum conditionum diſcrimen maximum, vt ipſe Damaſcenus præcedente cap. diſtinxerat. Statuit enim de natura, *eam ignorantem & ſeruam à Christo aſſumptam eſſe: nam & hominis naturam ſeruam Dei eſſe qui fecit ipſam, ac non habere ſcientiam rerum futurarum: proinde ſeruam carnem & ignorantem dici, ſiquidem ſecundùm Gregorium Theologum, id quod videtur ab eo quod mente cernitur ſepares*; ſiue (vt idem paulo pòſt loquitur) ἐὰν ἰσχναῖς ἐπινοίαις, ἤτοι νοῦ λεπταῖς φαντασίαις διέλῃς τὸ κτιστὸν ἐκ τοῦ ἀκτίστου. ſed aliter conſiderari in vnitate perſonæ, & ſecundùm vnionem duarum naturarum in perſona eius: hoc eſt, aliter ſe habere naturam abſolutè in ſe, aliter perſonam ex vtraque natura conſtitutam. Naturam abſolutè diſtinguit

cap.21. & ignorantem asserit: personam verò (de qua vulgo agendum est magis, quàm de subtili distinctione naturæ huius) concludens dicit, φαμὲν καὶ κύριον πάσης τῆς κτίσεως τὸν ἕνα χριστὸν, τὸν αὐτὸν ὁμοῦ θεόν τε καὶ ἄνθρωπον, καὶ κύριον εἶναι πάσης κτίσεως, καὶ πάντα εἰδέναι, *dicimus vnum Christum, eumdem simul Deum & hominẽ & dominum esse omnis creaturæ, & omnia nosse.* Hinc ad profectum transit cap. seq. & secundùm vnionem hypostaticam duarum naturarum quam superiore cap. dixerat, inuestigat quomodo Christus dicatur sapientia & gratia profecisse. Nonpugnant igitur quæ de persona Christi tam diuerso respectu dicta sunt. vide quæ suprà ex Patribus nota 3. & sequentibus attulimus.

15 Art.8. *vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur.*] Eadem Bernardi verborum ratio, quam modò in Damasceno diximus: nam de persona agit in vnione, non de natura humana absolutè in se. At priùs de natura dixerat, siue de persona secundùm naturam hanc seorsim. Sic enim ille; *Ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed, quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans.* Et paulo pòst: *vir igitur erat Iesus, necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minùs habuit sapientiæ, vel potiùs non*

nō minùs fuit ſapientia Ieſus conceptus quàm natus, paruus quàm magnus. Secundùm hunc reſpectum tandem illa ſubiicit quæ Bellarminus adfert: *Siue ergo latens in vtero, ſiue vagiens in præſepio, ſiue iam grandiuſculus interrogans doctores in templo,* &c. Hîc ergo de perſona in communi eſt, ac non de natura ſermo. Eadem quoque Anſelmi & Theophylacti ratio. Elenchus perpetuus in hoc argumentationum genere.

Cap. IV.

1 Art. 1. *in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat.*] Vera eſt propoſitio, ſi *omnia dona* rectè & propriè acceperis de ſcientia omni donatiua, eique oppoſita quæ natura acquiritur: hæc enim donatiua non eſt propriè, non ergo donum. Sed acquiſitam hanc, quam ſuprà excepimus, inuoluit Bellarminus impropriè ſimul & falsò. Nam 1. qui proficit ætate vel ſtatura, idem proficit humanitate: quo profectu potentia quoque naturalis & habitus (vt ita dimus) in actum proficit. hoc in pueris naturæ ordine animaduertimus. 2. inconſequens eſt à diſparatis: effudit in humanitatem Chriſti omnia dona, id eſt, ſcientiam quoque donatiuam, qua beatorum ſcientia, infuſaque & indita continentur; ergo & acquiſitam infudit. Sic nulla fuerit ſcientia acquiſita Chriſti, quem tamen acquiſiuiſſe gloriam ijdem auctores aſſeuerant. 3. effudit in eum Pater omnia dona quæ ad rationem ſanctæ illius perſonæ & officij adminiſtrationiſque eius pertinebant, vt ſermone quarto contra Arianos commodè diſtinguit Athanaſius. Profecit ergo Chriſtus non bonorũ donatiuorũ illorum incremento (niſi κατὰ φανέρωσιν cum orthodoxis Patribus dixeris) ſed naturalium, in quibus ſcientia experimentalis eſt.

2 Ibid. *absurdum est enim animam sapientiæ aliquando insipientem fuisse;*] Hoc absurdum æquiuocum est, atque inconsequens. Æquiuocum est insipientis nomen: nam *insipiens* negatiuum significatione, aut positiuum est contrarij habitus: atque hæc significatio, non æquè ac illa, est in communi vsu: deinde inconsequens est, quia (vtut negatiuè accipias solùm) vtrumque non eodem respectu dicitur, prout multoties præcedente cap. ex Patribus & Damasceno ipso nota 13. ostendimus.

3 Ibid. *non credere incarnationem, qui credunt illam animam paulatim profecisse.*] nimirum donatiua illa scientia quam antè distinximus: idque non secundùm humanitatem solùm de qua agimus; sed secundùm personam, de qua agit Damascenus, vt cap. 3. nota 13. fuit confirmatum.

4 Art. 2. *dicitur naturalis, quia statim & abundantissimè manauit.*] Concedimus propositionem, si bene accipiatur. Sed disputator fallit homonymia. Etenim natura alia communis, alia singularis est: atque hinc naturalis aut communiter dicitur, aut singulariter. Naturæ communis in Christo est, quòd homo est; singularis, quòd θεάνθρωπος, homo Deus. Sapientia & gratia homini Christo naturalis est natura singulari: sed ex natura communi illud est, quòd Christus profecit acquisita seu experimentali scientia. Prætereà Augustini loco Bellarminus abutitur. Non enim aut de tota gratia, aut de hac ipsa loquitur Augustinus; sed de gratia sanctificationis ex eo consequente, quòd conceptus dicitur ex Spiritu sancto. Hoc verò ex diuersis cõcludere est: quod ratio Logica vetat.

5 Art. 5. *secundus Adam debuit in ipsa conceptione*

ptione sapientissimus fieri.] Has treis rationes vltimas accipimus iusto intellectu: nam verbum *dare* & *dona* de scientia donatiua propriè & solùm prædicantur; nos verò de scientia acquisita & experimentali dicimus, vt capite 2. habetur distinctio.

CAP. V.

1 Art. 1. *dicens se alio tempore soluturũ,*] Nihil Agnoëtis commune cum sententia Caluini aut nostra, vt cap. 1. demonstrauimus. Sed hæc inuidiosè, vt alia multa.

2 Ibid. *accepit aliquos defectus consequentes naturam nostram corruptam, vt mortem, famem sitim, &c. non tamen omnes defectus.*] Nos contrà adfirmamus eum suscepisse omneis ἀσθενείας, id est, infirmitates & defectus nostros, excepto peccato, Hebr. 4. siue (vt cum Damasceno dicamus lib. 3. orthodoxæ fid. cap. 20.) ὁμολογοῦμεν ὅτι πάντα τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ἀνθρώπου ἀνέλαβεν· ὅλον γὰρ τὸν ἄνθρωπον καὶ πάντα τὰ τοῦ ἀνθρώπου ἀνέλαβε, πλὴν τῆς ἁμαρτίας. *Confitemur*; inquit, Christum *omneis naturales & quæ sine crimine sunt passiones hominis assumpsisse: totum enim hominem & omnia quæ sunt hominis assumpsit, excepto peccato.*

3 Ibid. *non accepit peccatum, fomitem, ignorantiam.*] Hic distinctione opus. Nam defectuum alij sunt miserabiles simpliciter (vt Augustinus vocat) alij damnabiles, siue (vt Damascenus vocat) διαβλητοὶ & detestabiles, vt sunt peccatum & fomes peccati: nam & fomes peccati, vtut Bellarminus distinguat, peccatum est, quod tomo 3. declarabitur. Ignorantia verò dicitur æquiuocè, & appellatur defectus æquiuocè.

uocè. Dupliciter enim dicitur ignorantia, negatiuè, aut priuatiuè. Ignorantia negatiuè (quam & nescientiam Scholastici dixerunt διακειτικῶς) etiam in Angelis & beatis est semper (non enim sciunt quicquid scit Deus) nec nisi καταχρηστικῶς dici defectus potest. Ignorantia priuatiuè, quæ rerum earum est quas potest & debet quis scire, hæc verè defectus est; & rationem habet pœnæ secundùm se; culpæ verò & peccati secundùm causam vel effectum ipsius. Priorem naturæ humanæ Christi absolutè consideratæ adscribimus, vt fecerunt Patres; posteriorem minimè. Consimiliter autem ignorantia appellatur defectus æquiuocè: quia defectus negatiuè aut priuatiuè enunciatur. Quid nobis, Bellarmine, cum istis tuis homonymijs? Defectum negatiuè habuit etiam Adam in integritate, priuatiuè habuit post lapsum, & omnes in ipso: Christus naturam humanam assumens naturales defectus nostros coassumpsit, excepto peccato. Non negamus plus in persona Christum habuisse, sed hoc tantũ dicimus, ipsum in natura assumpta defectus eiusdem naturæ coassumpsisse, vt & naturam & affectiones illius curaret in persona sua & nostra omnium. Hæc veritatis vox, hæc Patrum sententia, πάσας ἀσθενείας χωρὶς ἁμαρτίας ἀνειληφέναι αὐτόν. Alia enim est naturæ in se, alia in persona consideratio. Vide suprà cap. 3. nota 14.

4 Ibid. *ad finem incarnationis, qui erat saluare homines.*] Antecedens non est verum ratione defectus negatiuè dicti, cùm nulla substantia creata vel integerrima hoc defectu careat; sed eius duntaxat qui priuatiuè defectus est. Ad consequens verò assumptionem hanc adijce, Conducebat autem ad finem incarnationis, vt omnes defectus naturales priuatiuè dicti inessent ei, excepto peccato, id est, defectus miserabiles, ac non

ac non detestabiles: ergo cum natura assumpsit eos. Peccatum autem non φύσει habuit in se Christus, sed ἐφαρμόσει siue οἰκειώσει (vt loquuntur Patres) assumpsit in sese, à reis innocens. De ignorantia verò tum ratio naturæ docet, tum historia Euangelica, & ex ea locus Athanasij, Cyrilli, &c. quem cap. 3. nota 7. & sequentibus protulimus.

5 Ibid. *non erant vtilia ad saluandos homines, sed potiùs noxia.*] Aliqua ignorantia quidem, sed non omnis: nam ea demum ignorantia fuisset noxia quæ priuatiuè dicitur, id est, qua res ad commune omnium & ad singulare Mediatoris officium pertinenteis Christus nesciuisset: impium fuerit, ignorantiam istam Christo adfingere. Sed ex particulari non sequitur vniuersale, ex specie genus.

6 Art. 2. *defectus qui non erant vtiles redemptioni.*] Negamus istam synecdochen: etenim sine auctoritate, exemplo, & ratione est.

7 Ibid. *omnia quæ ad perfectionem naturæ pertinent, vel ad redemptionem conducunt.*] Falsa est restrictio. Nam primùm omnes defectus vniuersè coassumpti dicuntur in natura humana eius, excepto peccato; Christum *per omnia similem fratribus fieri debuisse*, Heb. 2. & *tentatum similiter fuisse in omnibus, excepto peccato*, Hebr. 4. omneis ergo suscepit infirmitates, præterquàm eas quæ redemptioni nostræ fuissent aduersaturæ. Deinde verò defectus illi etsi non fuisse dicerentur singulari modo ad opus redemptionis vtiles; tamen aliquo modo non fuerunt inutiles, siue ad rationem secundi illius Adami velut exemplaris nostri, siue ad effectum redemptionis (nam ea assumpsit quæ erat vindicaturus) siue ad institutionem nostram & redemptionis salutaris nostræ applicationem. *Non*

enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus, excepto peccato, Hebr.4.15. *qui ex ijs quæ passus est didicit obedientiam; & consecratus, factus est auctor salutis æternæ omnibus qui ipsi auscultant,* Hebr.5.8. Postremò falsæ sunt enumerationis partes, si minutatim placeat expendere. Nam defectus naturales negatiuè dicti ad perfectionem naturæ pertinent; exempli causa, defectus volandi pertinet ad perfectionem naturæ nostræ, & alij defectus quàm plurimi. Quæ autem ad redemptionem conducunt, eorum nos nihil habemus planè: quomodo ergo dicatur in eis Christus nobis assimilatus? Hæc certè aut æquiuocè dicuntur, aut falsò. Bellarminus viderit.

8 Ibid. *non debuisset concipi de Spiritu sancto, nec nasci ex Virgine,*] Hæc duo non sunt de esse Christi (vt more Scholasticorum dicam) sed de ortu ipsius: non sunt qualitates personæ, sed originis. Tum etiam ad redemptionem conducunt, vt hîc agnoscitur. Negamus consequi absurda ista.

9 Ibid. *nec in infantia impleri sapientia.*] Et hoc absurdum negamus sequi: nam ad Redemptoris conditionem pertinet istud inde à principio, si acquisitam scientiam vel experimentalem exceperis.

10 Ibid. *nec carere rebellione partis inferioris,*] Negatur: quia hæc rebellio peccatum est, vtut alleuare studeant multi: at peccatum disertis verbis exceptum est suprà.

11 Ibid. *podagra, cæterisque morbis afflictari.*] Negatur: nam hæ affectiones non sunt naturales vniuersè, sed personales vel particulares; nec omni, nec semper contingentes, & ad speciem quoque diuersam pertinentes. Etenim (vt horum omnium fundamen-

tum

tum semel explicemus) passionum aliæ à causa extrinseca, aliæ ab intrinseca sunt. Quæ adueniunt a causa extrinseca, eas subijt Christus, quascunque subire oportuit ex consilio Dei & vocatione ipsius promiscuè. Quæ autem ab intrinseca, quia ex defectu sunt, pro ratione defectuū distinguuntur. Defectuum autem, qui quidem priuatiuè dicti, alij perfectioni repugnant, fugiendi per se & damnati; alij communes sunt omnium, fugiendi quidem voluntate naturæ per se, non tamen damnati; alij denique personales & particulares, personis accidentes ὥσπερ ἔτυχεν. Hinc passionum tres item classes. Prima à primo illo defectuum genere obueniens, passionum vitiosarum est: has autem, quia sunt detestabiles, vt Damascenus vocat lib. 3. orthodoxæ fidei, atque διάβλητοι, non est expertus Christus. Secunda à secundo defectuum genere, passionum est communium sine vitio aut labe peccati; has, quia essentiales sunt siue naturales hominis corrupti, Christus omneis in sese pertulit. Tertia à tertio defectuum genere est singularium passionum siue personalium, vt sunt febris, podagra, morbus, &c. has autem, quia singulares & contingentes sunt, Iesum Christum non legimus suscepisse: nec verò decuisse Christum S[cho]lastici plerique omnes putauerunt. ego ἐπέχω. Neq[ue] hoc igitur absurdum ad causam Bellarmini quicquam facit.

12 Art. 3. *debuit aßimilari per omnia quæ ad naturaram pertinent.*] Illa autem ignoratio, quæ est scientiæ acquisitæ vel experimentali opposita, naturalis est ignoratio: in hac ergo Christum similem suis fratribus fieri oportuit. Vt enim proficere ætate naturale est; sic proficere naturali scientiæ & sapientiæ modo, ad gradum ordinemque naturæ pertinet, ab imperfe-

imperfectis ad perfecta naturalia hominem euehentis.

13 Ibid. *tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.*] Nihil refert: siue absque peccato, siue excepto peccato verteris, eadem est consequutio: idem obtinebitur.

14 Ibid. *nulla harum tentationum eum ad peccatum vnquam adduxit.*] Negatur ista interpretatio, quia fallit à non distributo, vt vocant. Nam infirmitatum aliæ sunt habituales, & qualitatis actiuæ; aliæ potentiales, & qualitatis passiuæ: ad has restringit Bellarminus excludens illas, & restrictione cupit illudere: sed frustrà. hæc enim tum argumentationi aduersantur quam instituit Apostolus, tum ætiologiæ quam subiicit principio capitis 5. Quòd si de infirmitatibus solùm potentialibus dicebat, quid attinuit, quæso, peccatũ excipi? hoc enim certè est habitus, ac nõ potentiæ.

15 Art. 5. *hanc significationem sequutus est noster interpres, qui vertit plenus.*] Negamus, tum hanc propriam esse vocis Græcæ interpretationem, tum verò germanam esse & cõuenientem loco Luc. 2. postremò autem, vt detur exemplum, tamen ab exemplo vel potiùs interpretatione particulari (nam exemplum non adfertur) necessaria non fit argumentatio. vide insignem locum Ambrosij suprà cap. 3. nota 3.

16 Art. 5. *atque aptabantur ad opera excellentiora facienda.*] id est, effectiuè (vt loquuntur) erat in corpore sapientia. Atque hoc quidem verum est: sed non dicitur satis. Nam subiectum sapientiæ & scientiæ anima est primò & per se, non corpus: sapientia autem plenus dicitur, non effectiuè, sed habitualiter. Falsa igitur consequentia.

17 Ibid. *serm. 4. contra Arianos,*] Negatur:

nam

nam planè facit nobiscum eo in loco Athanasius; vt suprà cap.3. nota 7. ostendimus.

18 Ibid. *sed qui in ipso erat, vt opera perfectiora faceret,*] Quorsum hoc? non enim memini dicere quemquam nostrum, quòd spiritus extrinsecus aduenerit; sed tantùm quòd puer roborabatur spiritu, vt dicit Lucas.

19 Ibid. *quodammodo se extendebat spiritus, & totum replebat.*] Scilicet, tamquam si pugnarent hæc duo inter se, ac nõ coordinata essent, in vnum idemque subiectum simul concurrentia, indita sapientia & acquisita. Atqui hoc disputator ipse agnoscit sequente responso. Negatur itaque oppositio, & consequentia.

20 Art.6. *& tamen sensu humano profecisse.*] Sensus est (nunc enim demum aliquid disputator dicit) profecit Christus non solùm effectiuè secundùm corpus, sed etiam habitualiter secundùm animam acquisita & experimentali scientia. Hoc illud est quod nos affirmamus: quid tanta fuit circuitione opus, Bellarmine? Sed falsa restrictio quæ mox subijcitur, scientia practica, ac non theorica profecisse Christum. Quid enim scientia, nisi habitus? quid scientia theorica, nisi habitus internus mentis? quid scientia practica, nisi actus ex habitu? Hic actus autem an acquisitus est? minimè gentium. forma interna, id est, habitus acquiritur: forma externa ac velut materiata non acquiritur propriè, sed ab acquisita in actum prodit. Tragelaphos certè disputator pingit nobis, vt imprudenteis abducat à cognitione & sensu veritatis. Negamus itaque sequentia: quibus & veritati naturę Christi, rerumque in eo naturalium, & piorum consolationi, & sermonibus Ambrosij non parum detrahitur, volun-

voluntate, an imprudentia? Ambrosij verborum partem bona fide suprà cap.3.nota 3.expressimus.

21 Art.7. *sed quia magis apparet eius virtus.*] Omnino quidem certa est illorum expositio, quà de persona, quà de humanitate Christi; personam in alijs profecisse, humanitatem profecisse in se tum effusione spiritus, tum acquisita & experimentali scientia: sed hic incertam expositionem illorum cupit efficere adiectis falsò glossematis.vide in caput 3.

22 Art.9. *non cum profectu in sapientia vel ætate.*] Negatur restrictio: est enim fallacia duplex, diuisionis, & æquiuocationis, vt vocant. Diuidi coniuncta, res ipsa loquitur: nam illud membrum, *apud Deum & homines*, cum verbo construi oportere omnes docebunt Grammatici, & videbunt pueri, si appellabuntur; à verbo vero communiter regi hæc tria nomina, *sapientia*, *statura*, *gratia*. Ita nominatim præcipit Ambrosius lib.de incarnat.dominicæ sacramēto, cap.7. Æquiuocatio committitur in nomine *gratiæ*. Est enim gratia hoc quidem in loco habitus ille gratus siue gratiosus existens in Christo, secundum quem habitum ipse gratiam conciliabat sibi, id est, effectum illius gratiæ apud Deum & homines. Sed Bellarminus pro effectu solùm accipit: frigidè simul atque præposterè sic omnia contorquens interpretationibus, & sese verbis implicans, vt in hac sua interpretatione gratiam veritatemque amiserit.

23 Ibid. *non enim solemus dicere aliquem profecisse sapientia vel ætate apud Deum & homines.*] Idoneum auctorem aliquem velim istius regulæ: nam certè nec Ambrosius, nec Gregorius, nec alij adhuc eam animaduerterunt. Et cur non dicatur Christus sapientia profecisse apud Deum, nempe *in natura humani-*

manitatis, vt glossa interlinearis ponit, cùm eadem ratione dicatur *sapientia huius mundi stultitia esse apud Deum*, 1.Cor.3.19.& similia multa? Nam vocem ἡλικίας non ætatem solùm, sed & staturam significare in vulgo notum. Etsi quidni dicatur ætate proficere, qui ad bonam ætatem, vt loquebantur veteres, assurgit? Hoc certè Grammatici, Rhetores, Poëtæ facilè dixerint: at non fortè Itali poëtæ & Romani, quorum thymelen Bellarminus totam in hac causa testem appellabit. Bellè sanè.

24 Ibid. *at rectissimè dicimus, aliquem proficere in gratia apud alios, quibus in dies fit gratior.*] Argutiæ. Differunt quidem genere ætas & sapientia: nam ætas quantitatis est, sapientia qualitatis: sed gratiæ commune genus est cum sapientia; genus est qualitas, & in qualitate habitus est vtraque. At, inquit, sapientia est absoluta, nec ab alio pendet: gratia longè aliter se habet. Negatur, nisi gratiam ceperis æquiuocè. Non dicam quod nouerunt omnes, nullam qualitatem absolutam esse, ab alio pendere vnamquamque, nimirum à suo subiecto: nam rectè Bellarminus videt ex voce παρὰ statuendum esse, quòd hîc agatur de pro-fectu quem percipiant alij. Sed hoc cogitari ab [illegible] oportuit, quandoquidem qui agunt per qualitat[illegible] agunt, & apud alios plus agunt aut minus, eamdem esse rationem sapientiæ & gratiæ in hac causa: id est, si vt habitum absolutè in subiecto, sapientiam & gratiam respexeris, vtramque in Christo prouexisse secundùm naturam humanam ipsius, habitum, inquam, sapientiæ & gratiæ: sin autem vt habitum agentem ac minimè otiosum, tum intus coram Deo, tum foris apud homines contempleris, vtrumque habitum fuisse efficacem, & se apud Deum & apud homines diuinis mo-

dis

dis probauisse. Habitus enim vterque, vt omnes alij, considerantur modis tribus: simpliciter, vt sunt in suo genere; absolutè (prout Bellarminus vocat) sicut sunt in suo subiecto; & relatè siue respectiuè, prout agunt tum in suo subiecto, tum in alieno secundùm modum ipsorum. Sed disputator chirurgum agit in Logica; & exsectis primis illis duobus modis, sine quibus non subsistit tertius, noua quadam ratione in Scholis excitat illud nouellum monstrum, quod *Accidens sine subiecto* vulgo appellamus. Sequentia itaque non negamus vera esse; sed negamus veram & germanam esse loci qui agitur interpretationem, si ab illis duobus modis quos oportet præstrui discesseris.

25 Art.13. *satisfacere videbatur.*] Neque verò ad hoc argumentum pertinet.

26 Art.14. *at si sciebat diuina reuelatione, certè poterat docere.*] Hæc quidem Gregorij expositio vna est; sed non affirmat, quia adfert & alias, quemadmodum & Ambrosius & Nazianzenus: omnes alteram expositionem magis probant. Ambrosius, *temporum finem non per naturam hominis, sed per naturam D[illegible]ouit.* Nazianzeni verba suprà cap.3. nota 4. ad-[illegible]imus. Cyrillum audiamus: *Non oportet*, inquit, *[illegible]ropter hanc vocem ignorationem inurere Deï verbo, sed potiùs misericordiam eius admirari; quòd non recusauerit propter nos ad tantam humilitatem descendere, vt omnia nostra & ipsam etiam ignorantiam humanam susciperet. Quam enim ob rem Angelos & Filium nominauit Saluator, Spiritus verò sancti nullam mentionem fecit? non enim dicit Spiritum sanctum ignorare, sed Angelos & Filium: nec filium Dei dicit, sed filium solummodò? Perspicuum igitur est Angelos ipsum dixisse, quia ignorant vt creaturæ. Quum autem discipulis id patefacere noluisset*

buisset ratione quadam occulta (quis enim nouit mentem Domini?) ne mœrorem illis efficeret, filium etiam ignorare ait, de seipso vt homine loquens, nec sibi derogans vt Deo. Scit enim vt Deus, quod vt homo ignorat, &c. Varias quidem interpretationes adhibent; sed hunc Bellarminismum non viderunt multi.

27 Art.15. *expositio est Epiphanij in Ancorato*,] Aliter sentit Epiphanius; nempe Filium honorem Patri habere hoc pacto voluisse: quod & Nazianzenus oratione 4. de Theologia attulit. hæc igitur expositio quarta.

28 Ibid. *eam diem, siue non sciret.*] Addatur & quinta, si placet, Hilarij dicentis, *Filius & Spiritus sanctus, quia non sunt à se, de die illa nesciunt à se: Pater autem, quia à se est, scit à se:* arguta quidem, sed non illius loci expositio.

29 Art.16. *& quia eos nescientes faciebat.*] Nempe hoc dixerunt respectu personæ, ac non humanæ naturæ simpliciter. De Ambrosio suprà cap.3. nota 3. Hieronymi eadẽ ratio: de persona dicit, non de hac natura solùm. sic & alij omnes in illis locis. Verumtamen hæc interpretatio quadrare satis non potest loco. Etenim verbum οἶδεν, *nouit*, communiter ad homines, Angelos, Filiumque refertur constructione vnica, quum dicitur, *de die illo & hora nemo nouit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed Pater.* Vnius autem semel positi verbi in eadem constructione vnicam significationem esse quis ignorat, aut vnicam dici oportere? Hìc autem singulis membris illis non potest competere, vel bene aptari ista interpretatio.

30 Art.17. *nunc ostendi tibi & alijs quantum me colas.*] Hoc exemplum tertiæ quidem interpre-

tationi conuenit, quæ est de scientia practica; huic verò interpretationi minimè.

31 Ibid. *quæcunque audiuerat à Patre ad dicendum illis.*] Et huius exempli negatur accommodationem ad institutum Bellarmini facere: nam & falsa in se est interpretatio, & à consilio Christi aliena. Prior locus de omnibus rebus in substantia enunciatis à Christo loquitur communiter, nihil substantiale (vt ita dicamus) non esse ab ipso enunciatum; posterior verò de multis singularibus. vide controuersiæ 1.lib.4. cap.5.& deinceps.

32 Art.19. *in eo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei*, Colos. 2.] Rectè sanè, *in eo*, id est, in persona Christi, non autem simpliciter in hac natura nostra, quam seruam & ignorantem assumpsit, ait Damascenus, in vnitatem personæ. A persona enim ad naturam, tamquam à toto ad partem, affirmatiua argumentatio est inconsequens. Expositionem itaque negamus, probationemque illius.

33 Art.20. *lib.1. de Genesi contra Manichæos, cap.22.*] Hæc adducuntur malè: nam Augustinus simpliciter dicit Dominum, ad personam respiciens, non ad hanc naturam solùm. Pater enim dedit cognitionem Filio, vt pater principiumque Filij. Hæc illius verba: *Secundùm ipsam loquutionem dicit & Dominus noster nescire se diem & horam de fine seculi: quid enim potest esse quod ipse nesciat? sed quia hoc vtiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos occultando faciebat. Secundùm hanc figuram etiam Patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eumdem Filium scire faceret.* Hæc de persona Augustinus dixit eadem mente, qua Hilarius dicebat illa quæ antè nota 28. posuimus: *Filius, quia non est à se, de die illa nescit à se.*

Cæte-

Cæterùm omnes huc interpretationes veterum fermè adferuntur, præterquam illa interpretatio vera, quam ex Patribus cap.2.& 3.protulimus. Sed hanc Bellarminus nesciuit volens: etsi à Nicolao de Lyra non incommodè adducta est in Lucæ 2. & vtraque libero lectoris iudicio modestè permissa.

34 Art.21. *aut correxerit, vel reuocauerit orationem suam.*] Falsum crimen est, vt diximus in caput 1. nam hoc nemo nostrum affirmauit vnquam, ac ne cogitauit quidem. Nos ea quæ proximè sequuntur, sanctè probamus omnia. Caluinum quidem respicit Bellarminus his obiectionibus, sed Caluino iniuriam facit. Nusquam dixit Christum sine spiritu orauisse. votum quidem reuocauisse, & correctione vsum esse dicit: sed bona fide referri verba, quæ in caput 1.posuimus, bono animo accipi & enarrari mentem illius oportebat. Quid? tu, mi homo, ignoras sic loqui auctores idoneos de modificato illo orationis genere quo Christus vsus est? Apud Græcos ἐπανόρθωσις Hermogeni, Dionysio, alijsque, apud Latinos correctio Ciceroni & Fabio dicitur, *quæ tollit id quod dictum est, & pro eo id quod magis idoneum videtur reponit: vt pacto*, inquit auctor ad Herennium, *Quòd si iste suos hospites rogasset, imò innuisset modò, hoc facilè perfici posset*, & quæ sequuntur. Hoc disputatorem & oratorem nescire, miraculum est; reprehendere, piaculum. Itidem etiam *reuocare* Caluino dicitur, quum Christus sese euexit à voluntate naturali vltrò ad voluntatem electiuam consiliumque officij sui perficiendi ex vocatione & consilio Dei. Hoc scilicet nefas, correctionem & reuocationem de Christo prædicari. Atquin est etiam correctio quædam & reuocatio sine peccatō aut peccati labe; nempe reuocantium se non à malo,

ſed à bono ad alterum, aut etiam melius bonum: hæc ſine peccato aut veritatis offenſa de Chriſto prædicari poteſt. Et quid leuius, obſecro, de hoc ipſo argumento, & in hunc locum dixerunt Patres? Origenes tractatu 35. in Matthæum, *Rurſus reuocans deſiderium ſuum, & videns quanta vtilitas mundi totius eſſet futura per paſſionem ipſius dicebat, ſed non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* & paulo pòſt: *propter ſalutem autem totius humani generis quæ per mortem eius Deo fuerat acquirenda, dicebat quaſi recogitans, ſed non ſicut ego volo,*&c. Itidem contra Celſum lib. 2. περὶ ἀρχῶν. Hieronymus, *Attamen reuertens in ſemetipſum* Chriſtus, *quod ex hominis perſona trepidanter renuerat, ex Dei Filijque confirmat, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam, cap. 14. *Nam & huiuſmodi exemplum præbuit nobis ille Mediator; qui quum dixiſſet, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, humanam in ſe voluntatem ex hominis ſuſceptione transformans continuò ſubiecit, verùm non quod ego volo, ſed quod tu vis, pater.* Quid eſt transformare, niſi reuocare; recogitare, quod Origenes; caſtigare, corrigere; quod Caluinus ῥητοεικῶς, & reuerti in ſemetipſum, quod Hieronymus & gloſſa interlinearis dixerunt? Non decet bonos horum dicta amuſſi iuſta, illorum alba exſequi: nam quid Caluinus hîc commeruit ampliùs?

35 Art. 22. *nam ad hoc venerat vt pateretur.*] Quis hac vtitur argumentatione? Quæ autem deinceps ex Scriptura ſacra Patribuſque de iuſtitia Chriſti prædicantur, οὐ κατὰ θύρας, quod aiunt: Etſi de Chriſto eadem nos & piè credimus, & religioſè profitemur.

CAP.

CAP. VI.

1 Art. 1. *Ephes. 4. descendit ad inferiores partes terræ.*] Hic locus eò non pertinet, vt pòst suo loco demonstrabimus.

CAP. VII.

1 Art. 1. *descendere ad inferos sit penitus interire & exstingui.*] Ecquid ab elephante differre videtur, qui sic interpretatur? equidem neminem audire me, aut legere in hac sententia memini. Quid enim? quomodo sibi constarent cum sententia illa sequentes articuli? *tertia die resurrexit*, &c.

2 Ibid. *esse penitus interire.*] Nihil horum Brentius: indicari locum, verba adferri velim. Nam mihi quidem non compárent.

3 Ibid. *sentiam dolores inferni, & planè periisse videbor.*] Hanc disputatoris criminationem refellit (vt alia taceam) verbum istud, *videbor*. Aliud enim est si dixeris, planè peribo; aliud, si *planè periisse videbor*: sequitur enim, videbor, at non peribo tamen. Sed ne mirere, Lector, sua glossemata & somnia disputator oppugnat hoc toto cap. Ab hac portentosa ridiculaque sententia omnino Brentius atque Caluinus abhorruit.

4 Art. 3. *per infernum intelligere perfectam exstinctionem animæ.*] Sicui fortè hoc videtur, deprauatum habet iudicij sensum morbo quodam animi, ac potiùs cacoëthe, quod studia partium & præiudicata appellamus: id enim minimè sapiunt, ac ne præ se quidem ferunt Caluini verba. Animam certè exstingui Caluinus non dicit, sed *in perditionem ruere*; id

autem eſt, abire in mortem æternam. Etenim animæ vita eſt duplex, vt rem exponam planiùs: vna abſoluta in ſe, οὐσιώδης, eſſentialis; altera relata ad aliud, σχετικὴ, ſiue habitudinaria, vt ita loquamur (nam habitualem non auſim dicere, ne in qualitatum cenſum referre videar) eſſentialis in ipſa; in Deo & ordinatione ad Deum, σχετική. Eſſentialis nunquam perit: nam animæ eſſentia eſt metaphyſica, αἰώνιος, ortum quidem habens, ſed expers interitus: σχετικὴ in relatione & reſpectu ad Deum poſita perire poteſt, quia non eſt de eſſentia animæ, ſed de bene eſſe (vt loquuntur Scholaſtici) coniuncto voluntatis actu. Hoc igitur ſolùm modo anima exſtingui vel mori dicitur, manente nimirum integra eſſentia ipſius. Hic autem noſter inuidioſè, & contra veritatem ſcientiarumque principia, quas non ignorauit Caluinus, illudens enunciatis eius, mala fide obijcit Caluino quę ne per ſomnium quidem Caluino in mentem venerant: & (quod iniquius) ex mala interpretatione & conſequentia criminationes alias ex alijs nectit ſine veritate, charitate, modo, fine. Legatur liber 3 Inſtit. cap. vltimo. §. 6.

Ibid. *niſi animam penitus exſtingui?*] Inconſequens ex homonymia. Nam coniuncta quidem ſunt iſta duo inſeparabiliter reſpectu animæ: prius, exſtingui, id eſt, vitam (vt Caluinus loquitur) perdere; & poſterius, ab inferno abſorberi, id eſt, in mortem æternam ruere. Sed cùm animam eſſentialiter viuere ſemper, & nunquam mori conueniat, & contrà σχετικῶς poſſe viuere & mori: qua tu mihi fronte quæ etiam communi vſu de anima noſtra dicuntur κατὰ σχέσιν audes κατ' οὐσίαν de ea exponere? Aufer cauillum, aufer παρεγχείρησιν, ſi viri boni, ſi Chriſtiani facere officium voles.

6 Ibid. *animā igitur saluam in morte habuit.*] Quidni saluam salute illa, quæ nobis quidem σχέσιν ordinatione, Christo verò personalis per gratiam vnionis est? sic & sequentia.

7 Art. 4. *nam est fundamentum Atheismi.*] At hoc fundamentum Bellarminus iecit, vt pro sua fide & charitate dicam insontibus de eo impingeret. Sequentia nihil ad Caluinum, aut Brentium; quia ab æquiuocatione sunt, quam si Bellarminus ignorauit, discat; si nouit, cur dissimulat, præsertim agens cum mortuis? Non metuis vt te repercutiat Plancus, qui cum mortuis non nisi laruas luctari prædicabat?

8 Art. 5. *& seipsam destruit, & Atheismo viam aperit.*] Hæc omnia nihil ad Caluinum, vt antè diximus. Nam mors æterna, quæ animarum hominumque impiorum est, figuratè dicitur respectu amissæ illius σχέσεως salutaris vitalisque: hic autem noster ex significatione propria de morte essentiali argutatur logicè, an sophisticè? Quid autem, quòd sequente cap. alteram Caluini statuit esse interpretationem? Profectò non fuit Caluinus tam hebes, vt in hac quæstione ipse tam oscitanter aduersaretur sibi, & toties, & iisdem locis. Fabulæ.

CAP. VIII.

1 Art. 1. *descendisse ad inferos, quia passus est dolores animarum damnatarum.*] *Damnandarum* potiùs dixerim, siquis euidentiùs Caluini mentem cupiat exprimi, id est, earum quæ ex peccato suo damnandæ fuerant, nisi pro eis Christus intercessisset. Quamquam non est ille Caluini sermo; sed à Bellarmino adfictus, vt deinceps multa.

2 Art. 2. *nullum esse locum subterraneum pro impijs, nec purgatorium, nec etiam limbum Patrum.*] Primum membrum Caluino falsò tribuitur, qui doctrina sana fidei & resipiscentiæ ab inferis quasi reuocauit multos, vt seruum Dei decet: etsi de inuestigando situ loci illius minimè laborauit. Sequentia duo Caluinus dixit: hic autem omnia promiscuè, sed indignè & malitiosè coniunguntur; vt vnius dicti inuidiâ obruantur pariter cætera. Meminisse nos semper oportet, Bellarmine, ὅτι ἄφθονοι μουσῶν θύραι.

3 Ibid. *pueriles fabulas ista omnia,*] Probatio falsa: nam de limbo solùm, quem olim consarcinauerunt artifices, eo in loco agitur: *ista omnia* Caluinus non dixit vsquam.

4 Ibid. *Deum sibi esse iratum & infestum.*] Negatur: nam hoc quidem ille in pœnis numerat; sed *nihil aliud esse* exclusiuè non legitur apud illum: probari velim.

5 Art. 3. *qualem pateretur qui sciret se in æternum esse periturum.*] Et hoc quoque falsum: non enim descensum hunc Caluinus in sola mentali (vt volunt) apprehensione & imaginatione statuit; sed etiam in reali perpessione dolorum mortis & inferni, quæ hîc veteratoriè, non bona fide, omititur.

6 Ibid. *verba desperationis eum protulisse affirmat.*] Hoc Caluinus profectò nusquam.

7 Ibid. *diros in anima cruciatus, inquit, damnati ac perditi hominis pertulit.*] id est, quos cruciatus homo damnatus & perditus, in sese fuerat experturus, nisi Christus Redemptor noster in se recepisset. Hoc autem quis neget, nisi impius? quis nisi malitiosus criminetur, aut mente captus? Eiusdem gene-

generis est sequens in eumdem Caluinum obiectio: huc enim pertinent tres loci pariter.

8 Ibid. *vt quid dereliquisti me?*] Atqui hæc verba non dicit Caluinus ex seipso; sed eorum sermonem amarulentum refert μιμητικῶς, qui obijciebant & oppugnabant doctrinam suam; prout res exaggerare solent verbis aduersarij quàm possunt maximè. Itaque dicit, *Sed absurdum videtur, Christo elapsam esse desperationis vocem:* deinde subijcit, *solutio facilis est*, &c. in qua solutione nullum de obiecta desperatione verbum, vbi aperit mentem suam. Exponit idem Institut. lib. 2. cap. 16. §. 12. dicens, *deinde calumniam duriùs exagitant, me desperationem adscribere Filio Dei, quæ fidei contraria sit.* Calumniam istam esse, & duriùs exagitari verba sua apertè pronunciat.

9 Art. 4. *& seuerissimum iudicium irati Dei sustinuit.*] Vnde ista, obsecro? Magis sobrius fuit Caluinus, quàm vt curiosa diligentia has res minutatim per momenta graduum inuestigaret, aut confidenter adfirmaret, quas ipsi pro auctoritate disputator tribuit. Hos duos postremos gradus à Caluino ita distinctos equidem non obseruaui.

10 Ibid. *innuit fuisse vsque ad resurrectionem.*] Et hoc commentum alterum, quod Caluino in mentem nunquam venit.

11 Art. 5. *similia repetit, & fusiùs in cap. 27. Matthæi.*] Artificiosè res coniunctæ hîc diuiduntur quodammodo, vt Caluinus obruatur. Sed exponit ille in Matthæum sententiam suam euidentius, dicens, *Neque enim corpus solum in pretium nostræ cum Deo reconciliationis obtulit, sed in anima etiam pertulit debitas nobis pœnas: atque ita verè factus est vir dolorum, vt Iesaias loquitur. Et verò nimis insulsi sunt, qui has*

redemptionis parte posthabita, tantùm in externo carnis supplicio insistunt, &c.

12 Art.6. *vbique esse inferos vbi sunt impij, qui tentantur de æterna sua damnatione.*] Hæc Brentius interdum (nam homo fuit) æstu contentionis abreptus: qui extra feruorem istum alia omnia. at idem in Euangelium Ioannis quanto meliùs?

13 Art.7. *Christum desperasse, & esse damnatũ:*] Hinc? at certè à Caluino minimè, qui suam Institutionem demum scripsit anno 1536. Basileæ: nec à Melanchthone, aut Brentio: nam hi posteà scripserunt plurimùm. Ergo de ortu huius historiæ, ac potiùs fabulæ, falsum: de fabula, quam dicit historicè, nouit Deus, neque laboramus: nam infidelitas cuiusquam non potest abolere veritatem Dei, Rom. 3. etsi hoc aut nunquam putamus gestum, aut morbum animi, si res gesta est, loquutum esse. Quàm bellè sapere videntur, qui aut mendacijs pugnant, aut hominum abalienata mente furentium testimonijs!

14 Ibid. *Hieronymus Hermes Bolsec, medicus Lugdunensis, qui Caluini vitam scripsit.*] ὡς [illegible]ὰ ψεύδονται ἀοιδοί, quod vulgo dici solet. Narrationem istam non fortè, sed fortiter commentus est quisquis est ipsius auctor. nihil planè habet veritatis. Nam morbi ex quo decubuit Caluinus ad mortem vsque & sanctè migrauit ad Dominum, testes adhuc sunt superstites; mortis verò, vnicus testis est pius Dei seruus & adhuc superstes, nomine Scoffierius, qui idem Caluino ministrauerat; & placidè agenti animam solus interfuit, quum tempestiuè nemo aduenisset. *Dæmonibus inuocatis iurantem, exsecrantem, & blasphemantem miserè expirauisse*, falsum: plures *decumbenti ad extremum vsque halitum ministrauisse, &*

huius

huius rei testimonium perhibuisse, falsum: *diem atque horam detestatum & exsecratum esse, quam vnquam studiis vel scriptionibus impendisset*, falsum. Quis nisi dæmon hoc dicat? nam nemo homo qui interfuerit, horum vidit vel audiuit quicquam: & compositus mortui vultus etiam die postero, testatus est mortem compositissimam illius. Quin Genebrardum ipsum, quamuis omnibus maledicentiæ aculeis Caluinum confodiat impotentissimè, puduit tamen istius mendacij: nec ausus est pudens ille & simplex historicus in suo Chronico istam maculam scriptioni suæ, aut crimen istud mendax Caluino impingere. Hic vnus exstitit, medicus scilicet Caluino datus curandæ valetudini, imò iuratissimus diuinæ veritatis & Caluini hostis, desultor perpetuus, ex agro Geneuensi & Bernate merito suo relegatus, ex Carmelita medicus, ex medico agyrta, μητραγύρτης potiùs; cui soli (cùm tamen iam totos annos ampliùs decem Geneua abfuisset) infido, inimico, venali testi habeatur fides contra iuris diuini, humani, naturalis, & ciuilis leges. Siccine testimonia se habere æquum est Romano iure?

15 Art. 8. *nullam vlteriùs pœnam agnoscu[illegible]* Sententiam illam impietatem negamus esse. Prin[illegible] autem hæc responsio exiliùs dicta est de beneficio Christi, quàm vt probari à nobis possit. Scripturæ totam salutem nostram tribuunt toti & soli Christo, qui seipsum stitit Deo & Patri pretium pro peccatis in Spiritu æterno per sanguinem & mortem crucis, & resurrexit propter iustificationem nostram, Rom. 4. Nam (vt verbis Thomæ vtar 3. q. 53. art. 1.) *sicut per hoc quod mala sustinuit humiliatus est moriendo, vt nos liberaret à malis; ita glorificatus est resurgendo, vt nos promoueret ad bona: secundùm illud Rom. 4. traditus est propter delicta*

licta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Has duas partes flagitat essentialis ratio salutis nostræ: quæ nisi perfectam liberationem à malo & communicationé perfecti boni habuerit, imperfecta est. Deinde verò nusquam Scriptura dicit nostram salutem tribui morti corporali solùm. Dicit quidem morti communiter; sed corporali solùm & singulariter, nusquam dicit. Hoc nihil est aliud, quàm parte pro toto posita παραλογίζεται. Ne longiùs abeam, sequens probatio ab auctoritate Pauli nobiscum facit. Nam quis nobis salutem attulit? Christus, qui *humiliauit semetipsum*. Quomodo attulit? 1. *factus obediens*, id est, tota obedientia sua. 2. *vsque ad mortem*, id est, ad vltimam vsque clausulam obedientiæ. 3. *mortem autem crucis*, id est, maledictione Dei & Legis coniunctam, Gal. 3. postremò autem, *propter quod Deus exaltauit illum*, &c. id est, resurrectione & gloria à Patre data. Christus totus est seruator nobis, non vna aliqua harum parte solùm, sed his rebus coniunctis omnibus ad perfectionem salutis nostræ. Non igitur soli corporali morti (vt de morte dicamus solùm) id est, separationi animæ à corpore, quæ mors naturalis est huius seculi, verum-[illegible]n morti illi χετικῇ (vt cap. 7. nota 4. distinximus) [illegible]ius accepta ferenda est, cuius mortis vim anima Christi οἰκονομικῶς allidentem & impetentem experta, quum diceret, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* debellauit in postremo actu dicens, *consummatum est*, item, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. Ioan. 19. quæ mors supernaturalis & alterius seculi, peccatori Adamo & posteris eius cum hac temporali fuerat imposita, dicente Domino, *moriendo morieris*, Genes. 2. Itaque ex contrario planè dicendum est, tota salus nostra morti tribuitur, & morti crucis, id est, tentationi mortis maledictione spirituali coniunctæ;

non

non ergo morti corporali ſolùm: nam maledictio illa & exſecratio diuina eſt mortis alterius, quam χετηκλὼ diximus, proprietas.

16 Art. 9. *obedientiæ vſque ad mortem omnia tribui,*] Imò verò mors illa crucis, vt crucis maledictionem apportantis, mors inferorum eſt, ſi Paulo credimus, Galat. 3.

17 Art. *nulla autem mentio inferni.*] Falſum: nam etſi nomen ipſum inferni ibidem non exſtat, tamen τὸ ἰσοδυναμοῦν, quod nomen inferni figuratè ſignificat, exprimitur Pſalm. 22. 2. & ſeq. & Iſai. 53. 4. & 6. & 10. Quid plura? qua morte prior Adam deuictus eſt, eam poſterior debellauit: duplice morte prior Adam victus eſt, corporis & animæ: vtramque ergo Chriſtus, Adam poſterior, debellauit. Quapropter etiam mortes plurali numero appellantur, Iſai. 53. 9. Bifariam ergo in his omnibus locis diſputator peccat: primùm, quòd diſtribuit non diſtributum, corporalem ſolùm mortem attribuens Chriſto, eamque ſolam faciens ſalutarem: deinde etiam quòd res diſiungit in vno actu coniunctiſſimas, nimirum mortem & maledictionem, quas in Symbolo Apoſtolorum d[illegible]rtè confitemur.

18 Ibid. *reliquit dolores damnatorum, & cruciatus gehennæ?*] Rectè, crucem Dominus prædixit vt ſignum; mortem verò communiter pronunciauit, nec vſquam expreſſit corporalem ſolùm dici. vtramque igitur prædixit ſuo modo expugnandam.

19 Ibid. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*] Mortuum dicit cõmuniter: quid hoc Caluino aduerſatur?

20 Ibid. *redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo, &c.*] Siue mors, ſiue ſanguis dicitur, omnino

crucis

crucis intelligitur, id est, diuina illa exsecratione coniunctus ad mortem alteram pertinente: est enim mors, & sanguis crucis, vt Paulus Philip.2. & Colos.1. loquutus est. Sanguis autem quum dicitur, per Hebraïcam συνεκδοχὴν cruenta mors Domini intelligitur Ecclesiam suam sanguine suo redimentis.

21 Art.10. *dolorum autem inferni ne meminerunt quidem.*] Res coniunctas Bellarminus nō bellè diuidit: nusquam enim Caluinus dixit corporalem Christi mortem nihil prodesse nobis, sed dixit non esse sine altera profuturam, quam Petrus Act.2.24. dolores inferni (vt in Vulgata translatione legitur) appellauit. Verba autem Caluini habentur suprà nota 11. ex quibus meliùs cognosci potest illius sententia, quàm ex inuidiosa relatione istius. De sponsione sequente deinceps videbimus.

22 Art.11. *vsque ad resurrectionem Christus fuit in inferno,*] Terminus ille, *vsque ad resurrectionem*, non est à Caluino positus. Sic oppugnantur suffectæ & affictæ imaginationes loco doctrinæ illius.

[illegible] Ibid. *desperantis aut metuentis de salute pro-[illegible]a.*] Et hoc nusquam in Caluino exstat, securum non fuisse de sua salute Christum: vana igitur argumentatio. Nam quod de metu adfertur, id ex verbis est Apostoli Hebr.5.7.

24 Art.12. *deberent figuræ præcessisse.*] Et præcessèrunt certè: nam sacrificia pro peccatis mactabantur, & comburebantur planè, neque in sancta sanctorum importabatur eorum quicquam, &c.

25 Ibid. *Eucharistia in memoriam passionis.*] Argutiæ meræ: quasi verò descensum hunc ad inferos non docuisset Caluinus esse acerbissimam illam passionis

sionis partem, quam semper Ecclesia orthodoxa celebrauit.

26 Ibid. *passionis, mortis, resurrectionis.*] Et reuera celebrat, cùm hæc pars quædam sit passionis & mortis illius.

27 Ibid. *legimus vnquam factum.*] De hoc argumento pictores viderint, donec ad controuersiam 7. venerimus.

28 Art. 14. *& alij in homilijs de Paschate.*] Hæc omnia sancti illi Patres figuratè ϗ ῥητορικῶς de efficacia illius descensus ad inferos, & certaminis, quod pro nobis & salute nostra obiuit Christus, pronunciauerunt: quæ Bellarminus propriè accipit, mutato prædicationis modo; vt pòst demonstrabimus cap. 14.

29 Art. 15. *esse in inferno, nihil sit aliud, quàm timere Deum iratum.*] Negamus hoc Caluini esse, vt suprà nota 4. & 5. dictum. Christus enim dolores inferni sensit rupitque: doluit præsenteis, non metuit futuros, quum in cruce decertaret: vana ergo sunt quæ superstruuntur omnia.

30 Ibid. *veros inferos esse loca subterranea.*] de hac re agetur cap. 10.

31 Art. 16. *à peccato redimere potuit?*] A[illegible]tecedens falsum, vt suprà nota 4. diximus: & falsa iter responsio, quæ pòst Caluino adfingitur.

32 Art. 17. *Christum emisisse verba desperationis,*] Falsum: non enim hoc respondet ille, sed sibi obiectum esse, & per calumniam attributum narrat.

33 Ibid. *& timuisse de sua salute, quantum ad sensum carnis,*] Nusquam apud Caluinum hæc verba. *Sensum quidem naturalem carnis apprehendisse exitium* dicit, sed sensum fidelem cordis sibi in illa tristitia

ſtitia conſtitiſſe. Et quid aliud veteres, obſecro, dixerunt? Damaſcenum, ſi placet, omnium loco, & Athanaſium ex eo audiamus. Sic enim ille orthodoxæ fidei lib. 3. cap. 23. *Timoris nomen duplicem habet intelligentiam. Nam eſt timor naturalis, quum non vult anima ſeparari à corpore propter naturalem illam ſympathiam & familiaritatem ipſi ab opifice inditam, propter quam naturaliter timet, &* ἀγωνιᾷ, *& mortem renuit. Cuius definitio hæc eſt: Timor ſecundùm naturam eſt facultas quæ tuetur eſſe rei per contractionis modum. Nam cùm omnia per opificem ex non eſſe ad eſſe producta ſint; naturaliter eſſe, non autem non eſſe appetunt: & horum ſecundùm naturam eſt proprium, quòd feruntur ad ea quæ conſtituunt & continent ipſa. Deus itaque Sermo factus homo hunc appetitum habuit; cùm in ijs quæ naturam continent demonſtrans motum, cibum & potum ſomnumque appetens, & horum naturaliter experiens; tum in ijs quæ interimunt demonſtrans fugam, adeò vt in paſſione vſus ea contractione ſit quæ adhibetur ad mortem. Nam etſi lege naturæ fiebant iſta quum fierent, at non coactè tamen, vt nobis accidit: vltro enim has res naturaleis ſuſceperat volens. Itaque timor ipſe & pauor & agonia paſſiones ſunt naturales, ac non vertendæ vitio, neque peccato ſubiectæ. Rurſum verò timor eſt, qui ex abiectione ratiocinationum & diffidentia fit, & ex eo quòd tempus mortis ignoratur, vt quum de nocte timemus aliquo ſtrepitu excitato, qui timor præter naturam eſt. Hunc autem ſic definimus: Timor præter naturam, eſt rationi aduerſa contractio. Hunc non ſuſcepit Dominus: propterea nec timuit vnquam niſi paſſionis tempore; etſi per diſpenſationem contraxit ſæpius ſeipſum: non enim tempus ignorabat. Verè autem ipſum timuiſſe ſanctus Athanaſius dicit ſermone in Apollinarium: Propterea dixit Dominus, nunc turbata eſt anima mea. Nunc autem iſtud, tum eſt quum*

voluit.

voluit. Verumtamen id quod erat demonstrauit: non enim id quod aberat nominauit ac si adesset; tamquam si ea quæ dicebantur facta essent specie: nam natura ac veritate omnia illa fuerunt facta. Et post alia: Nequaquam verò diuinitas passionem suscipit, patiente seorsim corpore; neque perturbationem & tristitiam demonstrat, contristata seorsim & turbata anima; neque angitur & orat, anxia & orante seorsim mente. Enimuerò quamuis hæc quæ diximus fieri non contigerit defectu naturæ, tamen demonstratione existentiæ facta sunt quæ fuerunt facta: non autem contigisse defectu naturæ ea quæ facta sunt, ostenditur eo quòd non inuoluntariè vel inuitus ea sustinuerit. Hæc Damascenus & Athanasius dixerunt verissimè respectu humanitatis Christi; quibus Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, alij consentiunt: quos auctores sequutus Caluinus, metu naturali, at non perturbato, Christum fuisse affectum pronunciat. Nam glossemata κεκαττυμένα Bellarmini, cùm à Caluino profecta non sint, neque moramur, neque præstare statuimus: ipse viderit.

34 Ibid. *quæ sunt verba desperationis,*] Hæc Caluini non sunt: sensum quidem carnis exitium apprehendisse in Christo dicit; sed desperatione tactum minimè.

35 Ibid. *cum desperatione, inquit luctatus est; non fuit tamen victus.*] Hem disputatoris argutiā: Christus luctatus est cum desperatione, ergo desperauit saltem aliquo modo: hoc enim vult efficere. Ac siquis diceret, Christus luctatus est cum tentatione, cum diabolo; ergo tentationi cessit saltem aliquo modo. Palæstram suam veterem Bellarminum oportet oblitum esse, aut semper in lucta fuisse victum, qui neminem luctari quin ruat putet. Atquin illa non

sunt desperationis verba, siquidem luctæ sunt victricis: nec illud ignotum est dictum in Plutarcho, νικώμενοι ἄνδρες τῇ ἀψυχίᾳ δίκην.

36 Art. 18. *cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit.*] Bene est, *pertulit:* id est, sic tulit vt superauerit, sic oppugnauit vt debellaret: impetum sensit, quem depelleret: vim sensit, quam frangeret. de hac autem re agetur cap. 10.

37 Ibid. *iste ad breue tempus pœnas sustinuit.*] id est, asserit quod & Propheta Esaias 53. *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit,* prout à Magistro sententi. lib. 3. dist. 15. adducitur: quod Ambrosius lib. 10. in Luc. 23. *Propterea addidit, voce magna: in qua Dei professio gloriosa, vsque ad mortem se pro nostris descendisse peccatis (ergo nec ego erubescam fateri, quod Christus non erubuit voce magna profiteri) vel euidens manifestatio contestantis Dei secessionem diuinitatis & corporis. Sic enim habes: clamauit Iesus voce magna dicens, Deus Deus meus respice me, quare me dereliquisti? Clamauit homo diuinitatis separatione moriturus: nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtique mors esse non poterat nisi vita discederet, quia vita diuinitas est:* quod Hieronymus in Esai. 53. *verè reputatus est inter peccatores & iniquos, vt descenderet ad infernum,* &c. quod Rabanus Maurus. *Saluator hoc dixit,* nempe Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me, *nostros circumferens motus, qui in periculis positi à Deo deseri nos putamus. Humana enim natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta: sed quia Filius Dei factus est noster aduocatus, quorum suscepit culpam, deplorat miseriam,* &c. quod denique Aquinas ipse summæ p. 3. q. 46. dicens, *passus est Christus in anima per tristitiam, tædium, & timorem.* Et post alia, Christi *anima secundùm vires interiores*

interiores efficacissimè apprehendit omneis causas tristitiæ. Et paulo pòst, *Christus vt satisfaceret pro peccatis omnium hominum, assumpsit tristitiam, maximam quidem quantitate absoluta, non tamen excedentem regulam rationis.* Omnium verò euidentissimè in conclusione articuli 6. *Dolores quos Christus passus est, omneis excesserunt dolores quos homines pati possunt in hac vita; non modò propter passionis acerbitatem & generalitatem, verumetiam propter Christi patientis constitutionem & voluntariam dolorum assumptionem, quæ secundùm quantitatem fini proportionata fuit.* Et vbi, quæso, excessus ille acerbitatis, & generalitas dolorum, & quidem fini proportionata, si tantum in corpore statuantur esse? ô hominem hæreticissimum. Et certè quos dolores Christus sit perpessus, non meliùs possumus ediscere, quàm ex consequuto gaudio & contraria liberationis à doloribus perceptæ gratulatione, quum ait Psal. 16. Act. 2. *Propterea oblectatum est cor meum, & exultauit lingua mea; atque adeò caro mea commorabitur cum spe: Quoniam non deseres animam meam in inferno, neque sines sanctum tuum sentire corruptionem: notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate in tuo conspectu.* Duplex enim hîc causa ponitur, vindicatio à malo doloribusque mali, & boni communicatio; vindicatio autem à malis duobus; animæ ab inferno, & corporis à sepulcro. Quid euidentius?

38 Art. 19. *salutis nunquam amittendæ.*] Falsum: nam damnatio aut absoluta est, aut hypothetica. Desperationem non includit pœna damnatorum, nisi eorum qui absolutè damnati: & non includit reipsa essentialiter, sed tantùm consequenter, quia non est de damnationis essentia. Prius omnes Pontificij, prout res vera est, confitentur, quum ignem purgatorium

adfirmant esse. Posterius probatur distinctione pœnæ. Est enim pœna damnationis à causa extrinseca, aut intrinseca, aut vtraque. Vtramque ferunt qui absolutè sunt damnati: Christus eas solùm pœnas quæ foris aduenerunt pertulit, ac non à causa intrinseca (nam intrinseca detestabilis est, vt Damascenus vocat) vt suprà cap. 5. nota 11. ostendimus, & eas subijt voluntariè, quando *sustinuit crucem confusione contempta*, vt loquitur Apostolus Hebr. 12. Desperatio autem est detestabilis ex causa intrinseca; nec pœnæ causa, sed consequens. de cætero itaque bellas nugas Bellarminus agit in hoc argumento & sequentib.

39 Ibid. *& proinde secundùm Caluinum non verè nos liberauit.*] Ex falso antecedente & falsum consequens.

40 Art. 20. *Caluinus dicit in cap. Matth. 27.*] Suppositio falsa: nam Caluinus contrà sibi dicit obijci, ex veritate negat. Putidè ergo & falsò maledictum hoc toties recoquitur: & huic superstruuntur firmæ argumentationes scilicet, fulmentis falsis impositæ.

41 Art. 21. *vt non posset ex fide quatuor verba continuare.*] De voluntate deliberata in Caluino, verbum nullum. Dicit quidem non fuisse *meditatam* orationem illam, *transeat à me calix iste*. At tibi, Bellarmine, si meditatum & deliberatum idem est, crassa hæret inscientia, an malitia? Etenim meditatus est Christus secundùm naturam humanam, secundùm vtramque deliberat.

42 Ibid. *etiam ista non sunt extorta?*] Expressum, non extortum Caluinus dicit. Sed esto. Inconsequens est Bellarmini argumentatio: nam quis nescit duplicem animi affectum vel sensum exprimi posse, & sæpe exprimi reipsa in eadem sententia? Stoicus est, qui negat;

negat; Stoicum agit Bellarminus: hoc enim Stoa, non Ecclesia docet.

43 Art.22. *nonne correctio sequi debet errorem?*] Quis fallaciam elenchi à Bellarmino credat ignorari, qua tam dextrè vtitur? Primùm enim Caluinus eo in loco de Dauide loquitur, vt typo Christi; non autem de Christo. Idem prætereà correctionem dicit non insolente, sed plurimùm frequentata à Rhetoribus appellatione, vt cap.5. nota 34. docuimus. Postremò quid nouus hic Rhetor correctionem dictis præire negat? toties Hermogenes, & Vlpianus in Demosthenem, & in Thucydidem scholiastes, & alij προδιορθώσεως καὶ προθεραπείας meminerunt, vt hanc infantiam mirari satis non possim. Sed desine mirari, pie lector: nam sequenti Rhetoricæ declamationi operam totus Bellarminus dabat τὸ στόμα βύσας κέρμασι τῶν ῥητόρων. Nihil in hac re tota Caluinus impiè.

44 Art.23. *ostendimus ex lib.2.Institut. cap.16. §.12.*] Atquin illa non sunt affirmantis Caluini verba, sed aduersariorum ipsi obijcientium calumniosè, vt nota 8. diximus, & in obiectione facienda studiosè αὐξόντων καὶ παθαινόντων, vt Dionysij Halicarnassei verbis vtar. Negamus hanc fuisse Caluini sententiam, aut dictum, nec probari potest: itaque nec consequentia omnia illi obesse possunt.

45 Ibid. *sed immissam à diabolo per tentationem.*] Respondebit negatione: dubitasse Christum de salute sua non dixit; sed obiecerunt falsò aduersarij. Vana itaque sequentia omnia. Etsi quid Caluino obijcitur istud? Ambrosij sermo est, & sæpius repetitus lib.2.de fide cap.3.& 4. Christum dubitauisse, etiam de Patre dubitauisse; sed addit, *hominis affectu*. amplius

Iustinus martyr dialogo cum Tryphone, ex Psal.22. ὅτι ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου καὶ λέγοντος, παρελθέτω, εἰ δυνατὸν, τὸ ποτήριον τοῦτο· ἐντρόμου τῆς καρδίας δηλονότι οὔσης, καὶ τῶν ὀστῶν ὁμοίως· καὶ ἐοικυίας τῆς καρδίας κηρῷ τηκομένῳ εἰς τὴν κοιλίαν· ὅπως εἴδωμεν ὅτι ὁ πατὴρ τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν καὶ ἐν τοιούτοις πάθεσιν ἀληθῶς γεγονέναι δι' ἡμᾶς βεβούληται, καὶ μὴ λέγωμεν ὅτι ἐκεῖνος τοῦ θεοῦ υἱὸς ὢν οὐκ ἀντελαμβάνετο τῶν γινομένων καὶ συμβαινόντων αὐτῷ. Quid Tertullianus? lib. de resurrectione carn. cap.18. *quamquam & animam*, inquit, *circumferret trepidantem vsque ad mortem, sed non cadentẽ per mortem.* & similia. At certè ἔντρομον εἶναι, & trepidare est sæpe dubitatione grauius.

46 Art.24. *ne perfectam quidem fidem cum Lutheranis.*] Ex falsa suppositione conclusio falsa.

47 Art.26. *sed pro nobis omnibus tradidit illum.*] Non ergo percussus esset à Patre, sed potiùs ἐαθεὶς percuti. Responsio falsa duobus nominibus: nam.1. non modò permisit Pater, sed etiam (quod ait Apostolus) non pepercit, tradidit, siue non parcens tradidit, & ipse pastorem percussit, Zach.13. vt Christus Matth.26. interpretatus est.2. Christum percussit Pater, quia peccatores & peccatum odit; Christus autem vadem se peccatorum siue reorum nomine præstitit, & peccata eorum sibi ᾠκειώσεν, id est, appropriauit, vt loquuntur vulgo: propterea itaque cùm simus naturâ peccatores, & Christus voluntarius fideiussor atque mediator propter nos homines & peccata nostra, Deus Pater *fecit vt qui non nouit peccatum, esset pro nobis peccatum, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo,* 2.Cor.5.21. Rom.8. Galat.3.

48 Ibid. *sine vlla ira, vel odio erga se.*] Verumtamen

tamen non ad tollenda peccata mundi, vadimonio misericordiæ. Exemplum dispar.

49 Ibid. *de quibus nullus veterum somniauit, cùm de passione Christi ageret.*] Falsum. Nam dicit Hieronymus in Esaiæ 53. *despectus erat & ignobilis quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum peccata nostra portabat, & loquebatur Patri, Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Item, *Ille vulneratus est propter iniquitates nostras dicens in Psalmo, foderunt manus meas & pedes, vt suo vulnere vulnera nostra curaret; & attritus est siue infirmatus propter scelera nostra, vt factus pro nobis maledictum nos liberaret de maledicto: maledictus enim omnis homo qui pendet in ligno. Vnde disciplina pacis nostræ super eum est: quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terra, siue quæ in cœlis sunt. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitiā in carne sua, & liuore eius sanati sumus. Ex quo perspicuum est, sicut corpus flagellatum atque laceratum signa iniuriæ in vibicibus ac liuore portabat, ita & animam verè doluisse pro nobis, ne ex parte veritas & ex parte mendacium credatur in Christo.* Item, *pecca[ta] nostra portauit in corpore suo, ligno crucis affigens ea, vt deleret chirographum quod diabolo & angelis illius feceramus:* hæc peccata, hoc chirographum quis nescit ad mortem huius seculi & futuri pertinere? Et sub finem cap. *verè reputatus est inter peccatores & iniquos, vt descenderet ad infernum, qui in multis scripturarum locis vocatur lacus, & vinctos in carcere liberaret.* Hæc inter alia Hieronymus in illud caput, ne aliunde sit opus colligere. De aliis iam antè diximus in nota 37. & suis locis dicturi sumus. Cæterùm duplex in hoc argu-

mento est homonymia: nam & mortem & temporalem dicit æquiuocè. Mors enim duplex coniuncta est, vt nota 17. & 21. & suprà cap. 7. nota 4. & 5. ostendimus: hic res coniunctas diuidit. Tum quæ mors in damnatis non est temporalis, sed infinita secundum tempus, ea in Christo temporalis est, sed infinita quantitate absoluta, vt antè ex Thoma fuit allata distinctio nota 37. Harum inaniarum orthodoxis Patribus ne semel quidem in mentem venit, quæ hîc à Bellarmino tam seriò adducuntur.

50 Ibid. *quàm sæpe enim Deus in hoc mundo flagellat impios, qui tamen non dicuntur propterea iam esse in inferno?*] Neque verò id Caluinus dixit vsquam. Dixit quidem tentatum fuisse, luctatum esse, adeoque pertulisse diros cruciatus mortis, id est, diritatis illius ita sustinuisse impetum vt superauerit: sed nunquam de omnibus hoc dixit vniuersè, cùm damnatio & cruciatus ex damnatione absolutè contingat, aut hypotheticè, vt nota 38. dicebamus. Contrà verò hoc docet Caluinus quod etiam Thomas summæ p. 3. q. 46. neminem vnquam à Deo sic percussum esse vt Christus fuit: ex quo non id sequitur quod disputator [illegible]ert, sed contrà id potiùs, solum Christum in hac [illegible]ita ad inferos descendisse.

51 Art. 27. *alioqui solùm redemptor corporum esset.*] Nempe sufferendo impetum correctionis, & tollendo effectum illius infinito merito passionis suæ.

52 Art. 28. *& infinitum propè numerum pœnarum perpeti.*] Negatur consequens, argumento eorum quæ antè diximus nota 37. & 49. Nam in pœnis gehennæ quæ hic appellantur, tria sunt consideranda: causa

causa efficiens, actio cum passione, & conditio illius. Efficiens est Deus Pater corrigens ad pacem nostram: actio cum passione est pœnarum inuectio cum propassione illius, vt vocat Hieronymus: conditio est infinitas, in Christo secundùm quantitatem absolutam, in damnatis verò secundùm tempus. Actionis autem & passionis est duplex modus: vnus in fieri, vt loquuntur Scholastici; alter verò in factum esse: sic liceat dicere breuitatis ergò. Actio autem & passio competunt personæ Christi in fieri solùm: quapropter Hieronymus ex Origene tract. 35. in Matth. verbis philosophicis ita distinxit, vt damnatis πάθος siue πάθημα, perpessionem iustam tribuerit; Christo verò propassionem, quam Græci dixerunt προπάθειαν, adducens commodè ad probationem dicti verba illa Euangelistæ de Christo Matth. 26. *cœpit contristari & mœstus esse.* Nam reuera ex quo anima impiorum discessit à corpore, passiones eorum secundùm animam sunt in factum esse, vt ita loquamur: Christus verò in hac vita pœnas gehennæ pertulit in fieri, superauitque, & virtute meriti, satisfactionis, & sacrificij sui redimens nos, causam efficientem conciliauit sibi, sedata ira Dei Patris aduersus electorum suorum peccata: itaque sublata causa fac[tum] ipsum, siue effectus & exsequutio pœnalis est subla[ta]. Sic ergo Christus pœnas re infinitas, at non infinita tempore tolerauit, quia infinitatem istam temporis quam experiuntur damnati; infinita vis meriti, satisfactionis, sacrificij, & redemptionis Christi modis omnibus superauit.

53 Ibid. *& sumus propè infiniti qui hoc merebamur.*] At illam innumerabilitatem nostrã (nempe secundùm quid de nobis dictam) æternitatemque pœnarum (quæ censetur quædam temporis infinitas)

exſuperat abſolutè virtutis Chriſti infinitas, vt modò dicebamus.

54 Ibid. *vnam pœnam temporalem Chriſti ſatisfacere potuiſſe pro multis æternis:*] Imò verò hanc vnam pœnam, temporalem reipſa vel duratione, ſed infinitam æternamque virtute.

55 Ibid. *mortem corporis Chriſti ſatisfacere potuiſſe pro morte animarum omnium.*] Negamus eſſe iuſtam analogiam inter paſſiones iſtas, diuiſa perſonæ, quæ patiebatur, ſubſtantia; id eſt, inter mortem corporis ſolùm & pœnas æternas humani generis. Nam pœnarum re infinitarum impetu voluntariè ſuſcepto ſublata eſt earum infinitas ſecundùm tempus virtute Chriſti: ſed ſubſtantiam humanitatis illius totam occupari in pœnis luendis oportuit, vt totum hominem ſeruaret, τῷ ἰδίῳ αἵματι λυτρωσαμένου ἡμᾶς τοῦ κυρίου, καὶ δόντος τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, καὶ τὴν σάρκα τὴν ἑαυτοῦ ἀντὶ τῶν ἡμετέρων σαρκῶν, inquit Irenæus lib. 5. cap. 2. & repetit Theodoretus dialogo 3. atque hoc tandem Bellarmino extorquet veritas, dicenti paulo pòſt, *quia Chriſtus animo & corpore paſſus eſt.*

56 Ibid. *ſed ex dignitate perſonæ quæ patiebatur, & ex caritate qua patiebatur.*] Negauit etiam Thomas ſuprà nota 37. quum de acerbitate pœnarum & generalitate diceret.

57 Ibid. *vna pœna corporis erat infiniti pretij.*] Imò verò ſequeretur, ſi corpore ſolùm paſſus eſſet, non etiam anima: de qua dicebat Chriſtus, *anima mea triſtis eſt vſque ad mortem.* Hieronymus in Eſai. 53. *Quòd autem infert, homo in dolore & ſciens ferre infirmitatem, ſiue virum dolorum & ſcientem infirmitatem, verum corpus hominis & veram demonſtrat animam, qui ſciens*

sciens ferre infirmitates omnes, eas diuinitate superauit. Augustinus tract. 78. in Ioanné, & adducit Leo epist. 95. ad Leonem Aug. *Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui.* Item eiusdem, *Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola.* Cyrillus libro de recta fide ad Theodosium, ὅλον οὖν ὅλῃ συνῳδὰ φαμὲν τῇ καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητι τὸν ἐκ θεοῦ λόγον. οὐ γάρ τοι τὸ ἄμεινον ἐν ἡμῖν, τουτέστι τὴν ψυχὴν ἐνδεὸς ἠξίωσε λόγου, μόνῃ δωρούμενος τῇ σαρκὶ τῆς ἐπιδημίας τοὺς πόνους· ἐπράττετο δὲ δι' ἄμφω καλῶς τῆς οἰκονομίας τὸ μυστήριον. προσεχρήσατο δὲ καθάπερ ὀργάνῳ τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ πρὸς τὰ σαρκὸς ἔργα τε καὶ ἀρρωστήματα φυσικὰ καὶ ὅσα μώμου μακράν· ψυχῇ δὲ αὖ τῇ ἰδίᾳ, πρὸς ἀνθρώπινά τε καὶ ἀνυπαίτια πάθη. πεινῆσαι γὰρ λέγεται, κόπους τε ὑπενεγκεῖν τοὺς ἐκ μακρῶν ὁδοιπορειῶν, πτοίας τε καὶ φόβους, καὶ λύπην, καὶ ἀγωνίαν, καὶ τὸν ἐπὶ τῷ σταυρῷ θάνατον. ἐπαναγκάζοντος γὰρ οὐδενὸς τέθεικεν ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν ἰδίαν ψυχὴν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα καὶ νεκρῶν καὶ ζώντων κυριεύσῃ· σαρκὰ μὲν τὴν ἰδίαν τῆς ἁπάντων σαρκὸς ἀνταποτιννὺς ἀληθῶς δῶρον ἀντάξιον, ψυχὴν δὲ ψυχῆς ἀντίλυτρον τῆς ἁπάντων, εἰ καὶ ἀνεβίω πάλιν, ζω[illegible] τὴν φύσιν ὑπάρχων ὡς θεός. καὶ γοῦν ὁ θεσπέσιος Πέτρος, ἄνδρες ἀδελφοὶ, φησὶν, ἐξὸν εἰπεῖν, & quæ sequuntur Act. Sed quid multis opus est? cùm Christum agnoscat disputatur ipse animo & corpore passum. Verumtamen hæ duæ causæ sunt inter se pugnantes, quum dicit Christum animo & corpore passum, & tamen vnam pœnam corporis esse infiniti pretij, siue (vt antè dixerat) mortem corporis Christi satisfacere potuisse pro multis æternis. Nam si vna corporis fuisset satis, iniquè Deus vtramque exegisset: at vtramque exegit,

quando

quando Chriſtus in cruce pependit & factus eſt pro nobis peccatum & exſecratio (nam anima, non corpus, eius ſubiectum eſt; corpus verò animæ inſtrumentum) vna ergo non fuiſſet futura ſatis.

58 Art.29. *ſed etiam animæ periculũ metuebat.*] Hîc inuidioſè quædam Caluini, & aliter quàm ab ipſo dicta ſunt adferuntur. Sed ad rem, omiſſis tricis.

59 Art.30. *hunc timoreũ Chriſti fuiſſe de ſalute animæ.*] Non dixit Caluinus ita ſimpliciter *de ſalute animæ:* ſed quia hîc ſimpliciter negat quemquam hoc inſinuaſſe, legatur (ſi placet) Iuſtinus martyr dialogo aduerſus Tryphonem adducens verſum illum Pſal.22. *libera à gladio animam meam, & de manu canis vnigenitam meam:* & Hieronymum in eundem locum Pſalmi dicentem, *humanitas ad diuinitatẽ loquitur, vt auxilietur ei in tempore paſſionis.* Sic Euſebius lib.10. demonſtr. Euang. cap. vltimo: Theodoretus in eumdem Pſalm. Burgenſis, & alij.

60 Ibid. *ita etiam diſcipuli mei bibant.*] Aliud eſt de propria loci interpretatione dicere, aliud de anagogica & accommodata. Nos de propria & genuina dicimus, Hilarius de anagogica. Prior nunquam à poſteriore euertitur, poſterior ſæpe ſeipſam euertit ſua in[illegible]itate: omnino inter ſe diuerſæ ſunt. De hac re Auguſtinus ſæpe regulam tradidit neceſſariam, de Chriſto quædam enunciari vt perſona ſingulari & capite ſolùm, quædam vt de corpore, & quædam ad vtramque interpretationem accommodari per anagogen capitis & corporis: vt quum exempli cauſa, Chriſtus paſſus dicitur, quatuor modis ſpectari poteſt: 1. vt perſona. 2. vt caput, Mediator, & Redemptor noſter. 3. vt corpus, quod eſt Eccleſia. 4. vt caput & corpus. ſic alia quàm plurima.

61 Ibid.

16 Ibid. *fac ne illi me occidant, sed aliqui alij.*] Hæc aliena est interpretatio: quamobrem & Origenes pluribus locis eam improbauit, & Hieronymus in Matthæum incogitatè fudit interpretationem, quam meditatè in Esaiam scribens reijcit. Certè prooemio commentariorum in Matthæum celeritatem excusat, & absolutum opus alio tempore pollicetur Eusebio scribens, *ut scias quid intersit inter subitam dictandi audaciam, & elucubratam scribendi diligentiam.*

62 Ibid. *Christum naturali affectu mortem corporis horruisse.*] Ambrosius & Chrysostomus dixerunt mortem simpliciter, & naturalem affectum cum Origene, Hieronymo, Damasceno, alijsque agnouerunt. fuit autem mortis corporalis passio, & alterius tentatio, quam propassionem dicunt. vide in nota 16. Et quid aliud his verbis sibi volebat Ambrosius? *confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico.* Crux enim, diuinæ maledictionis est: qua quod grauius periculum animæ intendi potest? hoc sibi denique Caluinus voluit, quod ab Ambrosio dici in Lucam obseruauimus nota 37.

63 Art. 32. *pœnam mœroris & timoris subire.*] Imò tentationem & impetum dolorum inferni, q[illegible] soluit, Act. 2. quam propassionem διακειτικῶς Origen[illegible] & Hieronymus appellarunt. Verum Bellarminus hî[illegible] dicit, sed non totum. Falsa itaque in eum modum assumptio.

64 Ibid. *in omnia tormenta impendentia.*] In his autem fuit maledicto crucis à Patre imposita, Galat. 3. & impetus spiritalium tormentorũ, quæ homo peccator sibi parauerat, & chirographo legis scripto cauerat se reum esse. nam Christus interueniens apud Patrem chirographum nobis contrarium, cruci affixum

xum è medio ſuſtulit,& expoliata imperia ac poteſtates ipſum oppugnantes traduxit palàm, triumphatis illis per crucem, Coloſ.2. hæc omnia eſt eluctatus Chriſtus. Metuit ergo Chriſtus, & non metuit; mœſtus fuit, & non fuit: ſecundùm aliud puta & aliud.

65 Ibid. *& tunc cœpit mœſtus eſſe,&c.* De hoc loco vide in nota 52.

66 Ibid. *in toto decurſu paßionis ſuæ nullum ſignum timoris dedit.*] Rectè: metuit ante certamen & luctam illam grauiſſimam; doluit in certamine, dicens, *Deus mi Deus mi, vt quid dereliquiſti me?* timor eſt futuri mali, dolor præſentis. Chriſtus timore ſeu metu exhauſto, dolores exhauſit inferni ſeu mortis: vtrumque verum.

67 Ibid. *multa præclarè dicit.*] Et hîc vtrumque verum diuerſo reſpectu, vt antè ſæpe diximus.

68 Art.34. *vt ſacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat.*] Falſum in reſponſione duplex. Nam primùm elencho fallit, dicens, *reliquit deitas humanitatem,* &c. non enim naturam humanam reliquit deitas Filij (ſuſtentauit enim hæc illam gratiâ [illegible]ionis, alioquin per ſe in certamine tam graui ſuccu[illegible]turam) ſed Pater Filium; & perſona Filij perſonam Patris appellauit, prout οἰκονομικῶς Mediatorem agebat in carne quam aſſumpſerat, non naturaliter aut abſolutè à Patre deſerta, ſed diſpenſatiuè in illo fideiuſſionis & mediationis opere: ideoque exclamauit, *Deus mi,* &c. Secundò non ſoluitur axioma ex particulari effectu ad cauſam: Quem Deus dereliquit, ei fuit iratus: Pater dereliquit Filium: iratus igitur. Demonſtratur à contrario: Quem Deus amat, ei adeſſe dicitur: Pater autem adfuit Filio, Hinc enim ſequitur, Deum Patrem

trem dereliquisse & adstitisse in hoc tempore Filio secundùm aliud & aliud: dereliquisse οἰκονομικῶς vt interuentorem & factum peccatum pro nobis, amauisse tamen vt Filium vnigenitum naturaliter. Odium, ira, dispensationis fuit temporariæ ex causa voluntaria; amor, naturæ æternus est.

69 Art.35. *si non pertulit Christus dolores inferni, quomodo potuit ab illis solui?*] Nimirum propassione impetus pertulit & soluit, vt ex Origene & Hieronymo sæpe ostendimus.

70 Art.36. *doloribus mortis*, τοῦ θανάτου,] Verumtamen non in omnibus Græcis exemplaribus: qua de re agetur secundo responso.

71 Ibid. *mors enim quasi dolorē patiebatur, cùm Christum detineret, quem tenere non poterat.*] Chrysostomi & Oecumenij verba interpres minimè est assequutus, quod Bellarminus non animaduertit. Neuter id sibi voluit, mortem à doloribus liberatā esse, quæ potiùs exstincta est resurrectione Christi, quemadmodum dicitur Esai. 25. & 1. Cor. 15. Sed hoc illi dixerunt, mortem obiectis suis & inferorum vinculis doloribusque laborauisse vt detineret Christum: Deum verò soluisse dolores ipsius, & perruptis doloribus vinculisque ipsius, quibus impossibile fuit detineri Christum, fecisse vt Christum reluctans viuum quasi pareret, quem in vtero cōstrictum exstingui cupiebat. Hæc mens Chrysostomi, quam Oecumenius repetiuit pauculis additis; sed Theophylactus expressit, & copiosiùs est interpretatus. Dicit enim, & Sifanus interpres vertit non malè in hunc modum: *Solutis cruciatibus mortis. Ostendit etiam mortē, quū illum detineret, quasi parturijsse & acerbos dolores sustinuisse. Parturam enim, seu dolorem mortis parturientis vetus testamentum periculum & cala-*

mitatem

mitatem appellat. Qui parturit, non detinet id quod detinetur, neque agit; sed patitur & eijcere festinat. Rectè autem solutionem dolorum parturientis mortis, resurrectionem appellauit, vt dicat, Rupit, & erupit ex grauido & tumido atque parturiente ventre mortis, tamquã ex vtero quodam parturiente. Intelligendum puta nimirum ex vinculis mortis, & Orci recessibus ac penetralibus Seruatore Christo emergente ac prodeunte, tamquam ex partu peregrino resurrectionis. Idcircò nimirum etiam vocatus est primogenitus ex mortuis. falsa itaque interpretatio.

72 Art.37. *nimis longè petitum est.*] Negatur: nam mors dicitur communiter de vtraque morte: & ita accipi oportere antè docuimus nota 15. & sequentibus; prout in sententia à Deo lata accipitur Genes.2.

73 Ibid. *etiam martyres haberent Deum infestum, & paterentur dolores gehennæ.*] Inconsequens ex dispari: nam Christus vnus mortuus est pro omnibus peccatoribus, 2. Cor.4. & 5. vt tolleret peccata totius mundi, 1. Ioan. 2. ipse factus peccatum & exsecratio, Galat.3. martyres non item.

74 Ibid. *ira Dei causa remota & generalis ipsius mortis:*] Nempe in communi, pro ratione carnis peccati: at in morte Christi secus. hic enim singulari œconomia seu dispensatione gratiæ agnus est Dei, à Deo traditus mundo, qui tollens peccata eius perferret correctionem pacis nostræ: sic malum commune nostrum, in quo censetur etiam ira Dei & maledictio aduersus peccatum nostrum, quasi proprium sibi fecit, ᾠκείωσε, intercessione particulari sua, Act.2.25.& 4.28. Itaque in alijs quidem vniuersè mortem effecit peccatum, Rom.5. & ira Dei in peccatorem, interdum verò in particulari misericordia eius (vt loquuntur) secundùm quid: in Christo verò causa mortis fuit communiter

niter Dei misericordia erga nos; in particulari verò, proxima causa fuit ira Dei aduersus peccata nostra, quæ Christus morte elueret: fecit enim vt qui peccatum nescit, pro nobis peccatum esset, 2. Cor. 5. vt proximè dicebamus.

75 Art. 38. *ad Euodium, & alij similiter legunt.*] Parum refert ad argumenti huius veritatem, vtrùm *mortis*, an *inferni* legeris. Deinde si hæc lectio vera est, eneruatur solutio præcedens. Verumtamen (vt calculum meum Bellarmino addam) facilè assentior *inferni* legendum esse, auctoritate & ratione adductus. Auctoritas est Veteris interpretis, & Græcorum exemplarium quorumdam, vt Robertus Stephanus refert, Irenæi, Epiphanij ἐν λόγῳ ἀγκυρωτῷ, Augustini, aliorumque. Ratio autem, cur *solutis doloribus inferni* legendum putem, hæc est; quòd longè euidentiùs respondet sequentibus & argumentationi toti, siue ad locum Dauidis versu 25. siue ad accommodationem quam facit Petrus versu 29. respexeris. sed suum cuique iudicium: neminem in verba mea iurare velim.

76 Ibid. *solui possunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.*] Nempe vt exposuimus nota 52. Etsi hæc de Patre, ac non de Filio prædicauit Petrus; vt posteà dicit versu 32. *hunc Iesum suscitauit Deus*, &c. quod Augustinus & alij non satis animaduertentes, actionem Patris attribuerunt Filio, contra quàm argumentabatur Petrus. Nam Pater cum summo iudice, Filius cum reo spondendi comparatur: quem reum satisfacientem deditione sui ad mortem iudex è vinculis eximit, non autem ipse se, vt satis esse demonstret factum iustitiæ suæ. Hoc Patris iudicantis opus, cui se in vniuerso redemptionis opere ita submisit Christus voluntaria dispensatione gratiæ, vt

nihil absolutè diuina potentia hic faceret; sed humanam suam, in qua mysterium salutis perfici oportebat, sustentaret. Dicit ergo Petrus, *Quem* Iesum *Deus* Pater videlicet, vt Iudex, *soluens dolores inferni,* aut etiam mortis, *suscitauit, eo quòd fieri non poterat* iustitia Dei acquiescente & satis habente persona Christi, dignitate, meritoque ipsius, *vt ipse* Christus reus spondendi pro nobis passus in carne, *ab eo retineretur*, nimirum inferno seu morte, quæ inhiabat ipsi, & fuisset abiorptura, nisi impleuisset omnem iustitiam. Hæc autem Petrus sequentibus demonstrat euidentissimè, Christi verbis dicens, *quoniam non derelinques animam meam apud inferos:* deinde exponens atque accommodans, *Propheta igitur quum esset, præscius loquutus est de resurrectione Christi, non derelictam esse apud inferos animam eius, neque carnem eius sensisse corruptionem. Hunc Iesum suscitauit Deus*, &c. Quamobrem hæ interpretationes, bona Augustini piorumque venia, pietatem quidem illius sapiunt, quam semper sum admiratus; sed aliquantum à veritate absunt, nec loco Petri conueniunt, aut huic argumento.

77 Ibid. *quod Caluinus probare intendit*] Falsum: neutra cum Caluini sententia pugnat. Nam Caluinus non dicit fuisse detentum ab istis doloribus Christum, aut detineri ab eis potuisse (quod Apostoli disertè negant) sed fuisse tentatum atque colluctatum cum istis doloribus: Augustinus verò duas adfert interpretationes non pugnanteis inter se, diuersas tamen: quarum prior de Christo in se, posterior de membris agit Christi; illa propria, hæc anagogica, vt antè diximus. Atque hæc quidem anagogica non magis cum sententia Caluini pugnat, quàm cum altera illa Augustini: diuersa, non contraria est, vt nota 60. ostendimus.

mus. Illa verò prior interpretatio fortè imprudentibus pugnare ſpecie aliqua videbitur; ſed nihil tamen contrarium habet. Nam ſi *ſoluti ſunt dolores illi ne teneant, non quia tenuerint*, vt nobis cum Auguſtino perplacet, ergo adalligati fuerant & impoſiti perſonæ Chriſti, ſed tamen poſtmodùm ſoluti ne tenerent: quòd ſi non fuerunt adalligati, ergo nec ſoluti. At fuerunt ſoluti, auctore Petro: priùs ergo fuerint adalligati neceſſe eſt. Simile eſto Simſonis in libro Iudicum: nam Chriſtus nobis verus Simſon. Fuit Simſon ligatus vinculis Peliſtæorum; ſed ſoluta ſunt ne tenerent eum, dùm conſtitit Nazaræatus ipſius: ſic Chriſto dolores iniecti ſunt, adalligata dolorum vincula; ſed fuerunt ſoluta, eo quòd fieri non poterat vt teneretur eis. fieri quidem id potuit vt ligaretur ſententiâ lata & diſpenſatione voluntaria; ſed fieri non potuit vt ligatus teneretur, quin eum ſuſcitaret Deus, & ipſe reſurgeret ex mortuis virtute ſua.

78 Art.39. *per paternam exauditionem liberatus eſt.*] Hæc durioris ſunt gloſſematis à Bellarmino adtexti; non ipſis Caluini verbis, vt oportuit, adducuntur. quis hac lege non vincat?

79 Art.40. *εὐλάβειαν accipi pro metu pœnæ.*] Pro metu ſimpliciter Caluinus dicit accipi, quemadmodum Heſychius & Varinus exponunt; & εὐλαβῆ interpretatur δειλὸν καὶ δείλαιον, id eſt, timidum & meticuloſum auctor Etymologici. Nihil eſt autem, cur inſidioſè addatur nomen pœnæ, cùm nomen mortis paulo antè præceſſerit in eodem verſu, quod ἀπὸ κοινοῦ commodè poteſt repeti. Sic enim ad verbum Apoſtolus, *Qui in diebus carnis ſuæ, preceſque & ſupplicationes apud eum qui poterat ſeruare ipſum ex morte quum obtuliſſet, atque exauditus eſſet ex eo metu*, &c.

80 Art.41. *metum mortis æternæ coniunctum cum summa trepidatione &c.*] Primùm inuidiosum est nimis, quòd ἐμφατικωτέρας voces disputator adhibet, atrocioresque, quas nec Caluinus nec Beza vnquam occupauerunt, vt latenter criminando obruat. Secundò quæ illi de particulari loci vnius & alterius interpretatione adferunt bene, hic malè ad omneis locos rapit vbi vox eadem legitur. Nam εὐλαβὴς & εὐλάβεια voces sunt homonymæ, doctissimorum Græcorum omnium vsu, consensione, & testimonio. Non est autem Bellarminus nescius, τῶν ὁμωνύμων determinationem fieri ex natura sententiæ & adiunctorum commoditate oportere. Non ergo quid sit ex vocis proprietate solùm, quídve ex particulari vsu; sed quid sit ex natura loci, videndum est: quod Caluinus & Beza in illo Apostoli loco faciendum censuerunt.

81 Art.42. *ob elationem cordis.*] Negatur adfirmatio, negantur exempla, negatur denique conuenire huic interpretationi cum verbis Apostoli. Nam primùm (vt de voce εὐλαβείας nihil ampliùs dicamus, quia proximè diximus) propria interpretatio, si per naturam loci cum ratione potest obtineri, figuratæ anteponenda est: secundò vox ἀπὸ, Varino teste, hac significatione nunquam vsurpatur, nisi ad significandum internam causam motus aut actionis quæ significatur regente verbo, vt in illo Homeri Iliados μ. Εἰ δ' ἐτεὸν δὴ τοῦτον ἀπὸ σπουδῆς ἀγορεύεις, Ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί. quemadmodum & Latini vtuntur vocibus, ab, præ, ex: vt præ gaudio vel ex gaudio abit, à tristitia dormiunt, à superbia putauit. Pugnat ergo Bellarmini interpretatio cum proprietate linguæ, nequid de argumenti veritate dicam. Sic Matth. 13.44. ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει, ex vel *præ lætitia abit*. Luc. 24.41. *non cre-*

non credentibus ipsis præ lætitia. Act. 12. 14. *præ lætitia non aperuit ianuam.* Luc. 22. 45. dormientes à tristitia. 2. Mac. 5. 21. de Antiocho, οἰόμενος ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας τὴν μὲν γῆν πλωτὴν, καὶ τὸ πέλαγος πορευτὸν θέσθαι διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας, *existimans præ superbia, se cùm terram nauigabilem, tum mare ipsum peruium pedibus effecturum propter elationem cordis.* quæ verba si acciperentur vt Bellarmino placuit, ineptissima foret ταυτολογία. Voluit autem his verbis priore membro causam existimationis illius reddere, posteriore verò causam operis quod præfidenter instituebat Antiochus; nempe licet nulla alia subesset causa, tamen vel propter elationem cordis modum communem naturæ euersurum.

82 Art. 43. *Græcas phrases intelligerent.*] Chrysostomi verba ambigua sunt: sed ambiguitatem tollit Oecumenius, idque longè meliùs Theophylacto. οὐ τοσοῦτον, φησὶ, χάριτι τοῦ πατρὸς, ὅσον ἀπὸ τῆς οἰκείας εὐλαβείας ἠκούσθη. τοσαύτη γὰρ ἦν αὐτοῦ, φησὶν, ἡ εὐλάβεια, ὅτι καὶ ᾐδέσθη αὐτὸν ὁ πατήρ. *non tam, inquit gratia Patris, quàm ex propria reuerentia exauditus est: tanta enim, ait, eius fuit reuerentia, quòd & reueritus sit eum Pater.* q. d. præ reuerentia eum exaudiuit Pater. Sed diffidens hu[ic] Chrysostomi interpretationi ibidem Oecumenius, a[l]teram adfert Photij argutiorem, tamquam si ἀπὸ adhibitum fuisset διακριτικῶς. *Duæ*, inquit, *fuerunt postulationes: vna, deprecationis mortis; altera, assensus: quod magnæ reuera fuit reuerentiæ, quum diceret, verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis. Exauditus igitur est Christus,* οὐκ ἀπὸ τῆς παραιτήσεως, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, *non respectu deprecationis, sed respectu illius reuerentiæ: hoc est, illa petitio eius est effectum sortita, non quæ secundùm deprecationem, sed quæ secundùm*

reuerentiam hanc facta est. Nihil horum Bellarminus bellè est assenquutus. At Theodoretus harum interpretationum infirmitatem videns, quà proprietate sermonis, quà sensu; omnino vt Caluinus & Beza interpretatus est, quum ait, *Si beatus Paulus mortem non metuebat, sed cupiebat dissolui & esse cum Christo, & ijs qui res Hierosolymis ipsi obuenturas prædixerunt, & retinere tentarunt, dixit, quid fletis, & affligitis cor meum? ego enim non solùm ligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini nostri Iesu Christi: quomodo Deus Sermo, seculorum opifex, qui nec conuerti nec mutari potest, & est ab omni affectione liber, mortem timuit?* Paulo pòst verò subijcit respondens, *vt hæc pateretur humanitas, concessit diuinitas,* &c. Omnino malè Græcorum illorum verba Bellarminus est interpretatus. Erasmi interpretatione sequente non magis quàm alij obstringimur.

83 Art.46. *non esse omnino negatos Christi dolores.*] Et quanto pudentiùs, obsecro, Hilarius à Bellarmino dicitur vix dolores corporis in Christo agnouisse? quos certè quisquis non agnoscit, veritatem Christi & Euangelij diuini negat, & redemptionem Ecclesiæ. Hoc verò non fecit Hilarius, vel ijs ipsis locis contestantibus qui à Caluino adducuntur. Qui secus putant, ij non admodum Hilarij aspreta videntur frequentauisse.

84 Art.47. *cùm nescio cuius errorem confutat.*] Fallacia est ex elenchi ignoratione frequens. Alia est ratio Christi vt Dei, alia vt hominis, alia vt Mediatoris θεανθρώπου. Vt Deus, expers est metus, & planè ἀπαθὴς: vt homo, metuit naturaliter: vt Mediator, metuit œconomicè, vel dispensatiuè. Hilarius agit de Christo, vt Deus est. Tum duplex est naturalis metus: vnus, purus & im-

& imperturbatus, à natura per se; alter, perturbatus & contaminatus, à corrupta: vt ex Damasceno & Athanasio suprà ostendimus nota 35. Priorem de Christo adfirmamus, & ipse Bellarminus ex parte saltè agnouit in argumento 3. posteriorem negat Hilarius euidentissimè, & nos cum illo. Vt illud taceam, quòd inferorum nomen hic ab Hilario propriè de loco sumitur, illic autem æquiuocè.

85 Art. 48. *ne ad eum ampliùs vlli descenderent, qui in eum crederent, eumq́; diligerent.*] Hanc interpretationem ad mentem Hilarij negamus facere, & in locis illis æquiuocè inferos confirmamus enunciari, vel his duobus argumentis: primùm, quòd inferos Hilarius inter Christi perpessiones refert in locis illis omnibus; Pontificijs verò locus est vnde gloriam suam Christus incepit explicare, vt passim omnes referunt, & Bellarminus affirmat infrà cap. 11. & 12. secundò, quòd eos Hilarius prædicat esse vitam nostram: quæ propositio, vtcunque distorqueatur, de localibus inferis falsa est. Nam infernus iste non fuit Patrum vita, qui ante aduentum Christi fuerant defuncti; quanto minùs eorum qui vixerunt inde à resurrectione Christi?

CAP. IX.

1 Art. 1. *nihil esse aliud, Christum descendisse ad inferos, quàm sepultum esse.*] Aliter de dogmate ipso fidei Beza sentit, loquitur, & scribit. Infernum quidem alicubi pro sepulchro accipit, quemadmodum & Caluinus; sed in Symbolo Apostolorum & loquutione quæ hîc agitur, minimè. Quapropter & sequentia de Caluino, falsa.

2 Art. 2. *fabulam esse, quòd sint loca subterranea, & quòd ad ea Christus descenderit.*] Falsum crimen: vt sup. cap. 8. nota 2. & 3.

3 Art. 3. *vbi de ascensione disputat.*] Hæc non ita fuerunt ab illis dicta. Sed de hoc argumento paulo pòst cap. 11. visuri sumus.

Cap. X.

1 Art. 1. *nomen inferni Latinum, non dubium quin sit distinctum à nomine sepulcri,*] Atqui etiam sepulchrum respectu nostri inferum est, inferius nobis.

2 Ibid. *cùm significet aliquid inferius nobis,*] Nempe si inferos ab infra deduxeris. Sed quid si, mi homo, ab inferendo placeat deducere? nam mortui efferuntur domo, & humo inferuntur: & inde inferium vinum Trebatio apud Arnobium lib. 7. & Festo; & aqua arferia, eidem; & coniugata alia eiusmodi. Viderint Grammatici. Verumtamen & terra ipsa est inferior nobis: quid ergo commune etymon ad singularem loci determinationem facit?

3 Ibid. *intelliguntur loca profunda subterranea.*] [illegible]sum, antecedens: nam & vniuersa terra subest viuentibus nobis & cœlo fruentibus, ac non centrum terræ solùm: nec consequens ergo necessarium, quod hic asserit. Nos verò de centro terræ minimè argutamur. Omnino locum aliquem esse agnoscimus pro suo modo (est autem metaphysicus animarum locus, etiam quo tempore cælum hoc & terra perierint, in altero illo seculo duraturus) à cœlo beatorum quàm remotissimum & à Deo alienissimum. Hæc scire nobis est satis: de cætero nihil temere volumus adfirmare: præsertim

præſertim cùm dicat Dominus, *cœlum & terra præteribunt*, &c. Matth. 5. & Propheta, *ipſi peribunt, & omnes vt veſtimentum veteraſcent, ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur*, Pſalm. 102. 27. Hebr. 1. 11. & Petrus, *qui nunc ſunt cœli & terra, eodem ſermone reconditi, aſſeruantur igni in diem damnationis & exitij impiorum hominum:* deinde, *cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraque & quæ in ea ſunt opera exurentur:* item, *cœli conflagrantes ſoluentur, & elementa æſtuantia liqueſcent*, 2. Petr. 3. 7. & 10. & 12.

4 Art. 2. *apud poëtas pro loco damnatorum.*] Imò vtrumque hunc vſum agnoſcit Beza ex Scripturis ſacris: de poëtis verò nullum verbum. Quorſum itaque ſequentia, ſi de re conuenit?

5 Ibid. *ſepulcrum dicitur* τάφος, *non* ᾅδης,] Non ſequitur, ſi ſepulchrum vocatur τάφος, non ergo vocari ᾅδην. quaſi verò duo ſynonyma exſtare non poſſint, aut huius æquè ac illius exempla adferri. Sed de eis videbitur in vocis Hebrææ diſquiſitione poſteà.

6 Ibid. *in ſepulcris cũ corporibus.*] Hunc locum eodem modo exponit Beza. viderit ergo Bellarminus, quem his verbis petat. De nomine Græco ᾅδου plura in caput 14. infrà dicturi ſumus.

7 Art. 3. *vbi erat diues, gehennam.*] Negatu & in caput 14. pòſt confutabitur.

8 Ibid. *non reddi rationem in ſepulcro.*] Scilicet ab iſtis auctoribus petenda vera de inferno theologia.

9 Ibid. *multos citauerit pro ſignificatione inferni.*] Commenta. Nam primùm ſequutus Varinum Stephanus ᾅδην oſtendit aut locũ, aut perſonam eſſe: locũ autem dici; tum vniuersè quamlibet ſedem nobis tenebricoſam & inuiſibilem, ex etymo vocis;

tum nominatim & singulariter infernum, vel inferos: postremò verò συνεκδοχικῶς partes & species locorum illorum singillatim nomine communi ᾅδου designari. In hoc genere si Bellarminus sepulchrum contineri non videt, quæ tenebræ? Quum autem exemplum nullum ad eam significationem probandam inueniri à Stephano potuisse negat, iniquè facit. Nam non putauit hominem quemquam fore, qui hoc significatum ᾅδου negaturus esset: quis enim exemplum petat, si passerem aut columbam nomine auis dixero, aut vestibulum nomine domus? deinde verò loquitur Stephanus in expendenda hac significatione de vnico poëtæ Philippi loco in Anthologia: hoc autem quid ad causam? nisi fortè nunc demum Bellarminus doceat nos modum ex vno particulari vniuersè concludendi.

10 Art. 4. *contendit Beza vbique accipi pro sepulcro:*] Nusquam hoc contendit Beza, vt nota 2. diximus.

11 Ibid. *vel rarò, vel nunquam pro sepulcro.*] Dicendum potiùs, ordinariè accipitur pro statu & loco mortuorum, modò secundùm animam (siue subterraneus ille, siue alius sit) modò secundùm corpus, qui locus sepulchrum est. Etenim (vt de etymo dicamus paucis) quemadmodum Latinis desiderari dicuntur qui deficiunt aut moriuntur; ita Hebræis appellatur nomine שְׁאוֹל quilibet eorum locus qui desiderantur, à verbo quod postulare vel desiderare significat: ac proinde non incommodè sepulchri induit significationem. Priorem itaque significationem quam Bellarminus adfert, accipimus & nos: de posteriore videamus. Dauid Ioabum & Semein ablegari in sepulchrũ iubet, 1. Reg. 2. de inferis quis accipiat? quæ res nec virum bonum decet, nec politicæ & iudiciariæ magi-

stratuum

ſtratuum cognitionis eſt. Iob occultari in ſepulchro petit cap.14.14.id autem non eſt,in inferno (hoc enim furentis fuiſſet, ac non ὑγιαβοῦς poſtulatum) ſed in latibulo ſepulchri, vel ſepulchralis foueæ. Idem in eo ſedem ſuam prædicit fore, Iob 17. de inferis vt interpretemur, abſit. Dicitur in ſepulchro non laudari Deus, Pſal.6. Eſai.38. Quid? quòd hoc ipſum exponit Salomon, Prouerb.1.12. *abſorbebimus eos*, aiunt impij, *vt ſepulchrum viuos, & integros vt deſcendentes in foueam*. præterea nullam ſapientiam eſſe in ſepulchro narrat Eccleſ.9. Vt finem faciam, Dauid Pſalm.141. ait, *diſperguntur oſſa noſtra in ſepulchrum*, ſiue os ſepulchri: & Propheta Ionas cap.2. ſe vociferatum fuiſſe dicit *è ventre ſepulchri*, id eſt, ſepulchrali, quum in ventre ceti eſſet. hæc verò vtrùm inferni eſſe, an ſepulchri ſapiens dixerit? Et hoc igitur, & illud ſignificatum pro ratione locorum (vt ſcitè monet Beza Act.2.) in Scripturis agnoſcimus: ex altera verò ſignificatione alteram tolli (vt ἀλογίςως Bellarminus facit) negamus poſſe.

12 Ibid. *& proinde caruiſſe ſepulcro.*] Inconſequens à figurata loquutione ad propriam. Nam & venter ferarum figuratè ſepulchrum eſt, Ionæ 2. Qu[o]modo autem, amabo te, Iacob in eo loco fuerit v[bi] neque laudatur Deus, neque eſt ſapientia? quas re[...] præcedente nota de ſepulchro dici oſtendimus ex Pſalm.6. & Eccleſ.9.

13 Art.5. *& eo loco verbum eſt* שְׁאוֹל.] Sed non ſequitur neceſſariò ex particulari; ergo ſic vbique, aut in hac cauſa accipi oportere.

14 Ibid. *ſepulcrum autē non abeſt à terræ ſuperficie duobus palmis.*] At non dicit Dauid de inferno, vt damnatorum loco; ſed de quouis cauo remotiſſimo

tissimo & abstrusissimo à Sole & conspectu omnium, figuratè.

15. Ibid. *supra terram exstant marmorea sepulcra.*] Hæc non sepulchra; sed τύμβοι ἢ κενοτάφια, monumenta sunt sepulchralia: figuratè igitur.

16 Ibid. *vt notum est:*] vt quidem exponitur vulgo: sed tota illa expositio aliena est, & allegorica.

17 Ibid. *& quia ibidem dicitur rex ille cariturus sepulcro.*] Hoc verò non simpliciter, sed κατά τι intelligendum est, puta de sepulchro regifico & elaborato Mausoleo. Itaque nihil hinc sequitur.

18 Art. 6. *nusquam* τάφος.] Meritò sanè, quia & commune est etymon, communis significatio, vt antè diximus. Hinc verò sequitur, cùm Hebræa vox de sepulchro enuncietur, Græcam quoque ᾅδης eodem significato esse: ac proinde quot exempla in Testamento vetere exstant illius Hebrææ vocis pro sepulchro positæ, totidem exstare Græcæ. Quis bonus plura desideret?

19 Ibid. *Hieronymus vbique vertit infernum, nusquam sepulcrum.*] O rem miram! sepulchrum quoque infernum, siue infernus locus est. Quidni? [illegible]um certè in aëre non oscillatur. ergóne falsi Poëtæ Græci, qui χθόνιον τάφον, aut Latini, qui ima sepulchra dixerunt? Virgilius in Pharmaceutria. Profectò si quicquid inferius est nobis, infernum dicitur, & sepulchrum necessariò infernum est: nisi fortè Romæ τὰ ἄνω κάτω, superi sint inferi. Etsi hæc generalior interpretatio posteriore seculo multis ineptijs erroribusque aperuit viam.

20 Ibid. *Chaldæus vertit* גיהנום *gehennam.*] Rectè id quidem: nam vallis Hinnomi (quæ corruptè

ex Syro

ex Syro & Hebræo gehenna dicitur) commune Hierosolymitanorum sepulchrum fuit, vt Romæ Puticuli extra portam Exquilinam.

21 Ibid. *locum animarum subterraneum.*] id est, personarum siue hominum, ex Hebræorũ vsu συνεκδοχικῶς. nam illis corpus etiam mortuum anima dicitur, vt Leuit. 19.27. & 21.1. æquiuocatione fallit.

22 Art. 7. *interdum accipi pro sepulcro, sed vt plurimùm pro statu damnatorum.*] Vtraque igitur significatio probatur, vt antè. quid hîc porrò de re confessa laboretur?

23 Art. 9. *vel in sepulcra conuertat, vt nobis resistat.*] Rectè olim & eleganter Attilius dixit, satius est otiosum esse quàm nihil agere. Conuenit nomen Hebræum & Græcum vtroque modo accipi: hoc dat Caluinus, hoc Beza. Quid ergo? siquis positis duabus eiusdem vocis significationibus, vnam earum in loco singulari statuat, alteram improbet, an idcirco ex particulari tollit significationem alteram vniuersè? bona verba. Mitto, quòd alia falsò impingit disputator Bezæ quæ ab ipso nec dicta, nec cogitata sunt; alia odiosis verbis inuidiosè refert, quod non fecit Beza; alia occupat in committenda & opponenda vtraque significatione, tamquam si inter se pugnarent pla-alia denique adducit ad significationem, quæ inter nos confessa est, comprobandam. De libris illis Bezæ nihil dicam: sunt ad manus omnium; nec verò placet extra quæstionem vagari. Nihil suum confutat Beza, quum aut duas significationes agnoscit vnius eiusdemque vocis, aut earum vnam huic loco, alteram illi attribuit singulariter. Id cuiuis literatori licet; Bezæ non liceat? Seruari velim diuinam illam veritatis & charitatis legem; cuius tu, Bellarmine, hoc loco oblitus es.

24 Art. 10.

24 Art. 10. *sit profundissima vorago subterranea?*] Quousque tandem hîc actum agetur, & res confessa probabitur? Inferos esse præter sepulchra agnoscimus, vt dictum est nota 3. vtrùm verò subterranei, an subuentanei, ignoramus, nec inuestigamus anxiè; quia illud non est de essentia ipsorum, vt sub terra sint. Etenim quales, quo loco futuri essent in consummatione seculi, vbi cœlum & terra perierint; quod prædixit Deus? De abysso autem quod argutatur, metuo vt frustrà sit: videtur enim hæc loquutio optimè exponi Marc. 5. 10. ἵνα μὴ αὐτοὺς ἀποστείλῃ ἔξω τῆς χώρας, *ne ipsos mittat extra hanc regionem*, puta inferiorem hanc terræ in qua versamur. Nam quicquid suprà aut infrà est inane, aut inani simile, abyssus dicitur ex Hebræorum vsu. Sed hæc παρέργως.

25 Art. 11. *vox καταχθονίων nihil aliud significat quàm subterraneorum.*] Etsi nihil attinet probare quod vltrò agnoscimus, tamen non vsqueadeò probat disputator, vt sibi videtur, horum locorum accumulatione. Nam vt taceam primum locum negatiuum esse; cùmque negationes per se nihil ponant, ex pluribus huiusmodi negationibus non sequi necessariè contrariam adfirmationem: duplex in his conclusionibus eruendis vitium accidit: vnum, quòd ex sermone æquiuoco simpliciter concluditur; alterum, quòd ex figurato propriè. Æquiuocè dicuntur τὰ ὑποκάτω, siue τῆς γῆς καταχθόνια, subterranea, in Scripturis sacris; propriè, aut figuratè ac populariter. Est enim sententia philosophorum ex natura & rei veritate, aquam terra superiorem esse: vulgi verò sententia popularis κενόδοξος hæc est, terram superiorem esse, vel aquas subesse terræ, quia è litore seu ripa in aquam descenditur. In hunc enim modum Scriptura dicit aquas

quæ

quæ sub terra sunt, Exod 20.4. Deut. 4.18.&.5.8.& alibi: Item Deum fundauisse terram super aquas & super maria, Psalm 24.2, &c. sic autem solenne est hanc vniuersitatem in treis partes diuidi, cœlum, terram, & maria. Figuratè verò dicuntur creaturæ omnes laudare Deum, & genuflectere coram Christo, etsi nec omnibus vox est qua laudent, nec genua quæ flectant; sed omnes suo modo laudent & honore afficiant Christum, ex quo in gloriam illam euectus est, & illæ ad sensum gloriæ ipsius admirabilis excitatæ virtute Dei. Ex his pius lector facilè potest animaduertere, quàm sit necessaria probatio rei quam credimus, & necessaria ex homonymis vocibus & figuratis loquutionibus consequentia.

26 Ibid. *spiritus sunt qui dicuntur subterranei, eo quòd in locis subterraneis degant.*] Hæc disiunctiua non est ἄμεσος. aut corpora sunt, aut spiritus, aut omnes creaturæ: atque hoc postremum verum. Nam & ipse infernus, ac non spiritus solùm qui in eo sunt, dat gloriam Deo. sic Andreas Cæsariensis, Arethas, & alij iam olim exposuerunt in Apocalypsin. de loco ad Philippenses iudicium idem.

27 Art. 12. *infernum sub terra esse definiunt.*] Inferos esse credimus: subterraneos esse contentiosè non repugnamus: sed vbi futuri sunt tandem, quum terra esse desierit? quòd ergo subterranei sunt, id non est de essentia vel definitione ipsorũ, vt nota 3. dictum. De his autem omnibus Patrum orthodoxorum locis, infrà cap. 14. dicturi sumus.

28 Art. 13. *à cælo verò nihil abest longiùs, quàm terræ centrum.*] Propositionem accipio, beatos à damnatis quàm longissimè abesse. Sed equidem haud scio an disputator fallatur, qui istud *longissimè* corpo-

rali

rali modo intelligit ſecundùm diſtantiam materialis & elementaris loci, non ſecundùm diſtantiam virtutis. Non eſt autem neſcius aliter præſentiam & abſentiam, propinquitatem & longinquitatem rerum ſpiritalium futurique ſeculi ſtatui, quàm corporalium & huius ſeculi. Hæc qui non diſtinguit, Phyſica confundit cum Metaphyſicis, malus Theologus, peior philoſophus. Quapropter non dicit Chriſtus, ſeparabit longiſſimè; ſed ita potiùs: *ſeparabit eos alios ab aliis, vt paſtor ſeparat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram*, Matth. 25. ex quo fit vt hi videre dicantur illorum ſtatum, Sap. 5. diues Abrahamum videre & cum eo loqui, quamuis magno hiatu diſcludente, Lucæ 16. Aſſumptio ſimiliter infirma eſt, quæ ex præſente naturæ & huius vniuerſitatis conſtitutione colligit ſeculi futuri & inferorum in eo modum, ſupernaturalia denique imaginatur ſecundùm naturæ modum olim perituræ potentia Dei, vt nota 3. expoſitum. Negamus itaque non inferorum veritatem (nam inferos eſſe ex Scripturis credimus) ſed carnaleis iſtas conditiones illorum, quæ imperitè ex rerum præſentium modo eis adfinguntur: & negat Auguſtinus libro 12. de Geneſi ad [illegible].cap. 32.

CAP. XI.

1 Art. 1. *deberet ſufficere ad refutationem.*] Negatur propoſitio, & probatio illius. Negauit Chriſtus, latroni dicens Luc. 23. 43. *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* negat Sapiens Eccleſ. 12. & aliter priſca Eccleſia ſenſit docta exemplis Enoci & Eliæ, quem veteres cœlo receptum ex Scripturis crediderunt, 1. Mac. 2. vt alia taceamus.

2 Ibid.

2 Ibid. *ad inferos descendisse Scriptura significat.*] Fallit æquiuocatione; quam ne ipse quidem Bellarminus infitiatur planè suprà cap. 10. vide in ca. 10. nota 12. Quod autem hîc adfirmatur, id vnico argumento satis erit infirmari. Vbi nullum est opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, nec laudatio; ibi nec operarius est, nec ratiocinarius, nec sapientia scientiáve præditus, nec laudator: piorum autem animæ sunt operariæ, ratiocinariæ, sapientia & scientia præditæ, laudatricesque, Apoc. 6. ergo piorum animæ non sunt vbi nullum est opus, nec ratio, &c. ita autem est infernus, ex Pontificiorum ipsorum interpretatione Eccl. 9. Psal. 6. Esai. 38. vt antè cap. 10. nota 6.

3 Ibid. *in eadem voragine fuisse, licet multum inter se distantes.*] Negatur definitio chasmatis, & consequentia. Chasma, inquit, hiatus est, à cuius extremo vno ad alterum nihil solidi intercedit. Quid? hiantis hominis lingua nónne inter duo extrema oris labra interuenit? hiatus cœli conuexus interiectam habet terram; hiatus terræ, aquam & aquatilia. Sed esto id hiatus sanè, quod dicit Bellarminus: insto ex Augustino epist. 99. ad Euodium. Inter quos magnus hiatus siue Vorago est, ij non sunt in eadem voragine: inter pios & impios magnus hiatus est: non ergo versantur in eadem voragine. Sic disputator falsus est.

4 Art. 2. *si non esset verum.*] Nos negamus id, verum fuisse Samuelem: è terra autem, imò ex inferis prodijsse dæmonem istum affirmamus. Sed de his agetur controu. 6. lib. 2. cap. 8. Mirum autem non animaduerti, quòd populari planè metonymia imago aut spectrum Samuelis vocatur Samuel δοξαστικῶς, vt ex eo ipso loco certis & indubitatis argumentis demonstrari

potest. Consulatur liber quæstionum qui dicitur Athanasij, quæstione 11. & 13. Vanæ itaque sunt auctoritates, quę huc adferuntur, & argumenta inconsequentia.

5 Art. 3. *sed dæmon aliquis in forma eius apparens futura prædixisset.*] Humani scripti humanum iudiciũ accipimus humaniter, non subscribimus.

6 Ibid. *Samuelem apparuisse, antequàm euocaretur.*] Hoc putum est commentum falsò adsutum historiæ. Nam Pythonissæ duplex fuit opus magicum, euocatio dæmonis, vt adesset; & inuocatio præsentis, vt responsum daret. Historia docet.

7 Art. 4. *paulo pòst agemus.*] Petri locum agnoscimus; versionem vt alienam improbamus, vnde consequentiæ eruuntur falsæ. Sed de hoc loco dicemus infrà cap. 13.

8 Art. 5. *aut in cælo vlli sunt vincti.*] Duo negamus, id sibi Zachariam voluisse, aut Hieronymum. Zacharias enim alloquitur Ecclesiam, non autem Christum, & repetens Dei verbis recens beneficium, ostendit longè amplius ab Ecclesia exspectari in aduentu Regis oportere. Hieronymus verò etsi de Christo accipit; tamen nomen lacus de inferis interpretatur latissima illa significatione, quam cap. 10. nota 9. tradidimus: ac propterea eos qui resurrexerunt Hierosolymis sanctos Matth. 27. (è monumentis autem surrexerunt) complexus in sua interpretatione, quasi mundatos sanguine fœderis; ad diuitem illum purpuratum transit, Luc. 16. Iniquè autem ex voce ὁμωνύμως communiterque dicta, conclusio fit propriè atque particulariter. Mitto, quòd Hieronymus raptim fudit illum commentarium, vt ipse scribit Exuperio: *hunc librum*, inquit, *tanta celeritate dictamus, vt penè non sit emendandi spatium.* Itaque festinationem Hieronymi

ronymi dolemus; homonymias verò & lapſus excuſamus & interpretamur humaniter. Rupertus errorem iam olim receptum ſequutus eſt; cui συμπάσχειν licet, συναπάγεσθαι non licet.

9 Art. 6. *ad ipſum Chriſtum, & tu in ſanguine teſtamenti.*] Non ad Chriſtum, ſed ad Eccleſiam habetur ſermo, vt oſtenditur vocum Hebræarum genere: nam omnes fœmininæ ſunt, nec aliter niſi corrupto textu exponi poſſunt.

10 Ibid. *quomodo ergo iſta cohærerent, ſi de captiuitate Babylonica ageretur?*] Cohærentiam nota 8. oſtendimus. Nam Eccleſiam ſuam conſolatur Deus futuro aduentu Regis Chriſti, & beneficiorum eius.

11 Ibid. *liberati ſunt Iudæi de Babylone?*] Coniunguntur diuidenda, vt proſodia Hebræa docet, naturaque vocum. Non enim dicitur Chriſto, liberaſti in ſanguine federis; ſed dicitur à Deo Eccleſiæ lotæ *in ſanguine fœderis, dimiſi vinctos*, &c. Sed tamen etſi non ita diſtinctum eſſet, quis neſcit omnium Dei erga Eccleſiam beneficiorum fundamentum eſſe gratuitum Dei fœdus in ſanguine Chriſti? nam in eo omnes promiſſiones Dei ſunt etiam & amen, 2. Cor. 1. eò duxit tota Legis pædagogia, Galat. 3. & 4. omneſque figurales vmbræ & ceremoniæ inde à primo Adami lapſu.

12 Art. 7. *omnes Patres ſemper docuerunt, quorum verba in ſequenti cap. referemus.*] Et hunc conſenſum negamus vniuerſum eſſe ſanctorum Patrum. ſed de his poſteà cap. 14. videbimus.

CAP. XII.

1 Art. 1. *Christum verè descendisse ad inferos.*] Negamus descendisse eo sensu quo Bellarminus accipit.

2 Ibid. *tractari de liberatione ex Ægypto.*] Primùm hæc neque necessariò, neque probabiliter dici de Christo & singulari facto ipsius adfirmamus: secundò etiam si posset probabiliter, id tamen opus negamus animæ humanæ tribuendum. Hoc enim persona fecisse per diuinam potentiam diceretur, non per humanitatem suam. Patres autem etsi easdem voces figuratè de Christo enunciauerunt, non sequitur hanc fuisse ipsorum mentem, vt locus de particulari figuratè dictus, intelligeretur propriè de hoc singulari facto Christi, & interpretationem istam habeat necessariò: hoc nulla ratione Logica probari potest. Semper enim fuit libera verborum eiusmodi ad alia accommodatio; sed non continuò est necessaria hæc aut illa interpretatio. Alios suadendi locos Bellarminus oportet adferat, si fidem sibi haberi volet.

3 Art. 2. *apud Catholicos suam habet auctoritatem.*] Quam auctoritatem, obsecro, si nec authenticus est liber, nec comparet locus in textu Græco? Nempe à Concilio nupero Tridentino, sessione 4. sed hoc est τὸ ἐξ ἀρχῆς αἰτεῖν.

4 Art. 3. *sed locus aliquis sub terram.*] Hoc verbis illudere est, non ad rem respondere. Caluinus figuratè loquutus est: fugiamus τὸ σοφιστεύειν.

5 Art. 4. *nam cor est in profundißimo loco animalis:*] Negatur: nam primùm similitudo est secundùm quid, non secundùm totum: quod autem huc

adfertur

adfertur repugnantiæ argumentum, non est de substantia similitudinis, aut ratione illius. Præterea, vt demus simile in hac re quoque respondere, falsum est cor piscis in loco profundissimo ipsius esse: quam rem si Iesuita nesciuit, Cartusiani docere potuerunt, & docet Aristoteles lib. 2. de hist. animal. cap. 17. quem locum certo consilio propterea adnotaui, quod in vulgo non satis videtur intelligi. Sed hæc μάγειροι viderint.

6 Ibid. *erat enim monumentum excisum in lapide supra terram exstans.*] Falsum: fuit enim cauatum intra rupem, vt verba sonant Euangelistarum: ideoque prægrandis aduolutus est lapis in os illius, Matth. 27. & fœminæ devolui petunt, Marc. 16. discipulorumque alter visurus sese incuruauit, Ioan. 20. non igitur exstabat. Sed quorsum argutias, Bellarmine? Cor terræ & rei cuiusque siue mediũ dicitur Hebraicè, quicquid duobus extremis illius circumcluditur. Aut hoc scit Bellarminus, aut nescit Hebraicè. Figura dictionis (vt loquuntur) fallit.

7 Ibid. *at in sepulcro fuit corpus mortuum.*] Vox ista *viuus* neque in textu est, neque ad veritatem similitudinis pertinet. Et certè non corpus viuens fuit in sepulchro, sed corpus vitæ. Quare irrita conclusio.

8 Ibid. *triduo commorata est.*] Plus est in conclusione quàm in præmissis: conclusio irrita.

9 Ibid. *ita infernus in medio terræ esse perhibetur.*] æquiuocè, vt nota 6.

10 Ibid. *Ambrosius in cap. 4 ad Eph.*] De his cap. 14. videbitur.

11 Art. 6. *bonum esse mutare aliquid de lege, vt Deus publicè sanctificetur.*] Hoc non Bezæ axioma, sed Pontificum est, qui mentiri bona inten-

tione esse peccatum negant. Et quid vetat bonum interpretem sufficere vocem euidentiorem illius loco quam putat æquiuocam? Hieronymus certè non imponit istam necessitatem pijs & doctis interpretibus in suo illo libello de optimo genere interpretandi: præsertim verò si publicus abusus inde nasci aut confirmari videbitur, hoc & licet fieri & expedit. De re iam non dico, sed de interpretationis modo.

12 Ibid. *& ᾅδης infernum propriè designat.*] Concedimus, siquidem propriè dicitur: sed hîc vox ᾅδης dicitur figuratè, vt cap. 10. nota 9. dictum. Beza etiam nomen ψυχῆς figuratè sumpsit. Ἅδης propriè locus est ἀΐδης, carens luce, vt vertunt Grammatici; vel potiùs qui videri non potest; itaque nomen generale est, sed κατ᾽ ἐξοχὴν de inferis, id est, mortuorum loco & statu prædicatur.

13 Art. 8. *probatum esset, hoc loco ita exponendum esse.*] Verum id quidem: sed in vocibus æquiuocis Beza videndum censuit, non quid ego aut tu, sed quid locus postulet. Etsi de hac interpretatione in loco Act. 2. nolo contendere.

14 Ibid. *non potest hoc loco anima accipi pro carne.*] At Beza negat distingui subiectum, vbi vnum orationis membrum est exgeticum alterius, siue vnica voce subiectum idem proponatur, siue duabus synonymis. Nos in hoc loco damus.

15 Ibid. *corpus Christi non fuit in inferno, ergo anima ibi fuit.*] Propositionem confutauimus suprà cap. 10. nota 9. vbi lenior profectò Bellarminus fuit in Hebræi nominis explicatione: dicit enim, *vel rarò, vel nunquam pro sepulchro* accipi.

16 Ibid. *Bedam 2. cap. Act. & alij.*] Sed infernum

fernum figuratè plerique dixerunt, vt pòst demonstrabimus cap. 14.

17 Art. 9. *licet anima poßit accipi pro vita, quia dat vitam corpori.*] Sic interpretatur Augustinus libro Loquutionum 1. Rubenis verba Gen. 37. *non feriamus eum in anima*; itemque illa Dei, *animam eius ne tangas*, Iob. 2.

18. Ibid. *tamen nusquam accipi pro cadauere, cùm in cadauere sit priuatio vitæ.*] At Augustinus contrà epist. 157. ad Optatum euidentissimè scribit, *Sicut appellamus Ecclesiam basilicam, qua continetur populus qui verè appellatur Ecclesia; vt nomine Ecclesiæ, id est, populi qui continetur, significemus locum qui continet: ita quòd animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic enim meliùs accipitur illud etiam, quòd lex inquinari dicit eum qui intrauerit super animam mortuam, hoc est, super defuncti cadauer; vt nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur quod animam continebat, quia & absente populo, id est, Ecclesia locus tamen ille nihilominus ecclesia nuncupatur.* Metonymia est Grammaticis nota, & idoneis auctoribus frequentata.

19 Ibid. *nec possumus dicere vitam esse in sepulcro,*] Hanc loquutionem nusquam adfirmat Beza.

20 Art. 10. *vsus autem admittit synecdochen, qua ponimus partem pro toto, & contrà; sed non admittit partem pro parte.*] Propositio est imperfecta: Grammatica enim non solùm ex ratiocinatione, id est, ἐξ ἀναλογίας, verumetiam ex vsu, id est, ἐκ διαλέκτου ἢ συνηθείας loquitur, & alijs prætereà modis. Ex imperfecta autem enumeratione nihil sequitur.

Non est analogia, sed vsus, qui facit vt continens pro contento sumatur, vel contrà, & pars pro parte: quemadmodum Augustinus ad Optatum docet ijs verbis quæ nota 18. expressimus.

21 Ibid. *& homo pro oculo?*] Dissimile: nam inter parteis principaleis sua est analogia; inter principalem vnam & alteram minùs principalem nulla est ferme. Deinde habetur in hac loquutione ratio continentis & contenti, vt Augustinus docuit.

22 Art. 11 *significaret aliquid indifferens ad viuum & non viuum.*] Negamus generalem significationem istam: & ipsis etiam Iudæis, si bene obseruaui, inaudita est. Quin & ratio sequens à veritate abest longissimè, nec vllo Scripturæ apice probari potest. Nam *anima viuens* Hebræis periphrasis est animalis, vt cuius anima viuat in corpore. Vox autem *viuens* additur διακριτικῶς, quia & simplices quoque spiritus corporis expertes vocantur animæ: sed horum anima viuit in se, illorum in corpore. Animam verò citra figuram dici de re etiam non viua, Bellarmineum est παράδοξον.

23 Ibid. *animæ sexus fœminei ex præda Madian fuisse 32000.*] Hæc synecdoche est, non autem metonymia.

24 Art. 12. *sed pro ipsa carne propriè accipitur.*] Propriè autem? nos contrà propriè negamus accipi, Augustino teste nota 18. nec aliter Hebræi omnes.

25 Ibid. *Actor. 2. ponitur ψυχὴ, quæ animam solam significat.*] Atqui hæc vox Græca illi Hebrææ adæquata est: ac propterea Lxx. Genes. 37. Leuit. 21. Num. 19. posuerunt ψυχὴν. Ergo aut malè verterint illi, aut eodem modo acceperint quo Hebræi:

proinde aut huius ampliandus, aut illius vocis restringendus vsus. Falsa itaque sequentia.

26 Art.13. *qui pro anima cadauer intelligi voluit.*] Assumptionem Beza negaturus est: nam quæ dicuntur ἐξηγητικῶς, nõ dicuntur ἀντιθέτως. Beza autem accepit ἐξηγητικῶς. Verumtamen esto sanè, membra dicantur opposita: prius membrum sit de anima, posterius de corpore Christi à Propheta dictum: non abnuo: nihil tamen disputator vincet. Primùm quia hoc sensu infernus figuratè dicetur pro doloribus illis inferni seu mortis, quos Petrus appellauit antè Act.2. deinde quia, vt accipiatur propriè, non dicit Petrus ἐν ᾅδῃ, sed potiùs dicit, οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου q.d. deseres quidem animam meam eousque vt inferni dolores ac tentamenta experiatur, & cum eis colluctetur; sed tamen non dedes eam vt in infernum victa detrudatur: committes, non amittes, *neque* (vt ait Augustinus) *animam meam inferis possidendam dabis.* Hæc nimirum metalepsis est Hebraica, *non deseres in infernum,* pro eo quod est, non dedes; non deseres trudendam in infernum: cuius metalepseos in Scripturis exempla sunt frequentissima.

27 Art.14. *Christus post mortẽ fuit in abysso.*] Ex figurato antecedente & dicto secundùm quid, hic elicitur consequens propria significatione, & dictum simpliciter. Abyssus hîc figuratè appellatur mare, vt interpretatur ipse Moses Deut.30. contrà affirmanti Bellarmino nec iurato crediderim: adeò & communis hic est Scripturæ vsus, & certa Mosis auctoritas. Secundùm quid autem persæpe dicuntur loquutiones istæ, *ascendere in cœlum, descendere in abyssum:* nempe secundùm noëmaticum illum Scripturæ vsum (vt Fabius vocat) quo ex antecedente intelligitur consequens.

 Ascen-

Ascendere itaque in cœlum est res cœlestes proinde tenere ac si ascendisses & cognouisses coràm, easque certò renunciare cognitas, vt Christus loquutus est Ioan.3. similiterque descendere in abyssum oportet accipi. Hæc interpretatio scopo sententiaque Mosis & Pauli confirmatur, & adiunctis membris. Sensus autem est, qui cœlestia vlteriùs scrutari cupit quæ ad fidem, iustitiam, salutemque electorum pertinent, is non secus facit quàm si Christum iuberet iterum è cœlo descendere; &c. Reliqua (ne actum agamus) pius lector videat sacrorum Parallel. lib. 2. parall. 16.

28 Ibid. *non potest autem nomine abyssi intelligi status damnatorum:*] Non id quidem potest intelligi; sed locus viuentibus inaccessus potest intelligi abyssi nomine: qui locus mortuorum est.

29 Ibid. *abyssus profundissimam voraginem significat, qualis non est sepulchrum.*] Neque hoc potest intelligi, vt ex optimo auctore Mose modò ostendimus in nota 27.

30 Art. 15. *id est, in profundissimis terræ partibus.*] Negatur vtrumque antecedens. Nam primùm neuter respicit, nec Moses nec Apostolus, vtrùm [...]s sit ex facto possibilis, an impossibilis; sed vtrùm li[...]eat post aduentum illum Christi hæc dicere & tentare, nécne: ac propterea dicitur, *ne dicas in corde tuo,* &c. Secundò non opponitur cœlum abysso, vt summum infimo; nam Moses opponit cœlum mari: sed humani motus habetur ratio secundùm locum, quamuis nō extimum: quasi dicat, non esse cur altitudinem ipsam cœli, aut extimas terras longè lateque transnauigato Oceano petamus; hæc nihil ad rem pertinere, nec iuuare posse. Consequentia itaque negamus.

31 Art. 16.

31 Art.16. *descendit in hanc imam terram.*] Non exstat hic apud Bezam locus; sed eadem est Bezæ ac Marlorati interpretatio, eaque germana istius loci, quæ & natura loci & exemplo confirmatur. Nam vt ascendere & descendere, sic etiam ὕψος altum, & τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς ima opponuntur, hoc argumento: Qui ascendit supra omneis cœlos, nunquam ascendisset nisi descendisset priùs: Christus autem ascendit: descenderat igitur; qui alioquin vt Deus æternus æternùm est in cœlis. Quò autem ascendit? non solùm in cœlum, sed etiam supra omneis cœlos: ac proinde cœli sunt infra ipsum, terra vtrisque inferior. Sic ergo non partium terræ inter se; sed partium mundi, id est, cœli & terræ fit comparatio: tamquam si dixeris, in partes inferiores mundi, quæ partes sunt terræ. Exemplum persimile huius ὑπαλλαγῆς est Esai.44.23. apud Iobum plurima. Itaque fallacia est ex elenchi ignoratione, qua Bellarminus abutitur.

32 Art.17. *exponunt de inferno, infra quem nihil est.*] Non auctoritate hominum pugnatur (nam alij aliter interpretantur) sed rei & sententiæ veritate quam modò expressimus. Nos veritate freti negamus istam interpretationem germanam esse; imò & Chrysostomi negamus esse: nam ille interpretat[ur] mortem, de qua diximus suprà cap.8.& cum eo Theodoretus & Photius. Hæc verba Chrysostomi: *Ist[a] quum audis, non est quòd transitum cogites; quod enim in epistola ad Philippenses adstruit, illud & hîc agit. Quemadmodum illic de animi modestia & humilitate admonens, Christum inducit; ita & hoc loco, ex eo quòd in partes inferiores terræ descendit. Nisi enim hoc esset, inanis esset sermo ille quem illic dicit, nempe quòd obediens factus sit vsque ad mortem: ex ascensione verò descen-*

sum

ſum illius ſuboſtendit. Inferiores terræ partes mortem dicit, idque ex hominum ſuppoſito & opinione,&c. Quinetiam Nicolaus de lyra infirmitatem illius interpretationis videns, ſubiunxit alteram diſiunctiuè, id eſt, noſtram, dicens: *vel aliter, Niſi quia & deſcendit primùm in ſua incarnatione, in inferiores partes terræ, id eſt, in partes huius terræ, quæ ſunt inferiores reſpectu aliarum partium mundi.*

33 Ibid. *ſed vnam partem, eamque aliis inferiorem.*] At loquutio hæc Apoſtoli figurata eſt, vt modò oſtendimus: non enim terra terræ opponitur, id eſt, vna pars terræ alteri; ſed terra ὕψει, id eſt, alto ſiue excelſo: ac propterea dicit, εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, in has partes inferiores terræ, id eſt, infimam hanc ſedem noſtram. Non valet autem Bellarmini conſequentia à figurato ad proprium loquendi genus, mutato nimirum prædicationis genere.

34 Ibid. *nec etiam ſepulcrũ Chriſti, quod etiam ſupra terram fuit.*] Negatur, vt ſuprà nota 5 & 6.

35 Ibid. *vt præſens viſitaret omneis partes regni ſui.*] Negatur iſta interpretatio & accommodatio loci: vt expoſuimus ſuprà libri 3. cap. 16. nota 5.

36 Ibid. *non poſſunt in nomine Ieſu genua flectere, hoc eſt, honorem illi præſtare.*] Aliter ſe habere genuinam huius loci interpretationem ſuprà docuimus ſatis cap. 10. nota 18. negantur conſequentia, de corporali deſcenſu dicta.

CAP. XIII.

1 Art. 1. *ſecundum Deum in ſpiritu.*] Hos locos negamus eò pertinere.

2 Art.3. *hanc expositionem primam breuiter refellamus.*] Augustini modestia Bellarminus indignè abutitur. Nam proponit quidem ille sententiam suam: sed quia errori iam in commune recepto aduersabatur, hoc Augustinus fecit προβληματικῶς. Laudanda modestia illius, & lenitas admirabilis, quæ traducit audaciam istius.

3 Ibid. *ad inferos, vbi spiritus defunctorum degere existimabant.*] Sanctorum quidem illorum Patrum alij de Sermone seu Filio Dei secundùm naturam diuinam; alij secundùm animam humanam, quà propriè, quà figuratè acceperunt; alij denique de carne. Sed propriè tamen accipi non posse, nobis tacentibus potentissimè demonstrat Augustinus illa insigni epistola 99. ad Euodium, quam Bellarminus propterea tentat conuellere. Nos autem istud dogma, quia nec veritas dixit, nec ad fidem vniuersalis Ecclesiæ principiaque fidei pertinet (nam particulare est hoc, non autem commune, vt principia sunt) reijcimus.

4 Art.4. *euangelizare salutem quæ est ab eo, vt saluaret eos.*] Quid iste locus ad rem? nam est allegoricus. Sic argumentatur noster mutato prædicationis genere. Videntur autem hæc (siquidem Esaiæ sunt) ex cap.26. deducta esse. Verumtamen Ieremiæ esse magis putem, vt scribitur apud Iustinum martyrem in dialogo, & apud Irenæum lib.4. cap.39. nam locus Irenæi lib.3. cap.23. corruptus est. Eumdem adducit libro 5. cap. vltimo; sed dissimulato Prophetæ nomine.

5 Art.5. *Dominus ad prædicandum spiritibus profectus est.*] Negatur assumptio. nam primùm falsum istud est, spiritu in Scripturis animam significari,

cari, vbi carni opponitur: nec vllo ex loco putem probari poſſe. Deinde vbi de Chriſto hæ voces enunciantur, ſolemne eſt, carne humanitatem, ſpiritu diuinitatem eius ſignificari, vt Rom.1.& 1.Tim.3.& ita exponit Paulus 2.Cor.13.

6 Art.7. *ſed manſit viua, & operans, ac triumphans de inferno.*] Ex particulari non ſequitur: vox eſt in locis illis æquiuoca, & hîc igitur æquiuoca. Nam 1.ex ſubiecti natura eſt petenda prædicati determinatio: hoc autem prædicatum non poteſt ſubiecto competere in hac ſignificatione, nedum in ea quam præcedente nota tradidimus: nam ea demum viuificari dicuntur, id eſt, viua conſeruari quæ mori poſſunt; anima autem non potuit occidi, etiam Bellarmino teſte. 2. oppoſitorum rationem parem oportet eſſe: eſt autem diuerſa ratio nominis *mortificatus*, non enim ſignificat in morte conſeruatum. Falſa igitur eſt tota hæc ſolutio, & illius conſequentia.

7 Art.8. *ſi de diuinitate, non poteſt accipi niſi impropriè.*] Si impropriè dicit pro eo quod eſt figuratè, agnoſcemus: nam in hac re quid eſt, obſecro, vitij? ſi pro eo quod eſt vitiosè, contra proprietatem ſermonis, negatur. At multo magis figurata eſt Bellarmini interpretatio; qui quod de perſona dicitur, de parte vnica naturæ humanæ exponit, ſubtiliore ſynecdoche quàm Chriſtianæ fidei expediat. Nos de naturis diſtinctè dicimus: quod quanto faciamus iuſtius, ipſa teſtatur veritas 2.Cor.13.4.& pij facilè animaduerſuri ſunt.

8 Ibid. *at in hoc ſecundo loco accipitur propriè, ergo & in primo.*] Non ſequitur, vt nota 6. docuimus. Nam locus quidem vterque de Chriſto

enun-

enunciatur: sed prior secundùm naturam diuinam eius, secundùm humanam posterior. Prædicata autem pro ratione subiectorum accipi oportere, non est ignotum.

9 Art.9. *quando habemus sensum proprium & facilem, non licet fingere tropos.*] Negatur & interpretatio phraseos, & consequutio. Non enim dicit Petrus, ἅτινα ἦν ἐν φυλακῇ, sed potiùs τοῖς ἐν φυλακῇ. quæ loquutio pro natura locorum variat tempora, & significat erant, aut sunt, aut erunt. Quapropter ex adiunctis sumenda est τῶν ἀμφιλόγων interpretatio. Roganti autem, qui status spirituum illorum præteritus, respondet Petrus, *qui olim fuerunt immorigeri:* qui status præsens, spiritus *qui sunt in carcere:* quemadmodùm & Clemens Alexandrinus exponit Stromat 6. Harum autem vocum hæc germana est interpretatio, esse illos in carcere propter anteactam ἀπείθειαν ipsorum pœnis æternis reseruatos. Consequentia verò negatur absurdorum quæ Bellarminus conficit, dictionem Petri hoc sensu impropriam & obscuram fore. Cur enim dicatur impropriâ? an quia *profectum venisse* dicit? at improprium esse negauimus in nota 7. an fortè quia dicuntur *spiritus* pro hominibus? at primùm illi homines immorigeri tum nihil erant nisi spiritus in carcere, corpora iam olim exuta computruerant: hæc anticipatio est vsitatissima. Secundò autem, si hæc non placet interpretatio, etiam homines illi qui non aliam nouerunt vitam nisi hanc miseram, ζῶντες οὐκ ἀνθρώπων βίον, ἀλλὰ πνεύματος ἀνθρώπου (?), quod aiunt, spiritus olim dicti sunt. Etenim Phœnix Colophonius apud Athenæum lib.12. epitaphium Niniæ nati Nino & Semiramide positum Babylone describit his verbis,

Ἐγὼ Νῖνος πάλαι ποτ' ἐγενόμην πνεῦμα, Νῦν δ' οὐκέτ' οὐδὲν,

οὐδὲν, ἀλλά γε πεποίημαι, &c. Cur dicatur obſcura? an propter ambiguitatem phraſeos? at hæc phraſis eſt in ore omnium; & Petrus ambiguitatem, ſiqua videtur ineſſe, adiunctis ſoluit, vt Græci omnes faciunt. Igitur meritò negamus conſequentiam totam.

10 Ibid. *ideò enim & mortuis prædicatum eſt Euangelium.*] Non de iiſdem ſolùm dicit, ſed de omnibus ad quos peruenerat vox Euangelij, dum in vita eſſent.

11 Ibid. *Igitur veris mortuis Chriſtus prædicauit, id eſt, ad veros inferos deſcendit.*] Non ſequitur ex ambiguo: imò verò ſequitur contrarium planè, ſiquis diligentiùs attenderit, ex horum locorum comparatione in hunc modum: vt viuos & mortuos Chriſtus iudicaturus eſt, ita prædicauit Euangelium ſuum: Viuos autem & mortuos [qui nunc quidem ſunt viui & mortui] Chriſtus iudicabit viuenteis [facta reſurrectione] tempore iudicij ſui: eodem igitur modo viuis & mortuis dicitur prædicaſſe, & ita oportet intelligi, nempe dum viuerent. Elencho Bellarminus, non ignoratione diſputat.

12 Art.10. *ideò Deus olim prædicauit hominibus per Noë?*] Euidentiſſima eſt cohærentia. Hortatus eſt Petrus, vt afflictiones perferamus, in eis ſanctificemus Deum, fidem profiteamur, colamuſque bonam conſcientiam, vt pudefiant qui inceſſunt noſtram bonam in Chriſto conuerſationem. Hanc hortationem confirmat Petrus à virtute Chriſti, tum in perſona ipſius, tum in Eccleſiæ membris conſtanter demonſtrata. In perſona ipſius: *nam & Chriſtus*, inquit, *vt nos ad Deum adduceret, ſemel pro peccatis paſſus eſt, iuſtus pro iniuſtis, mortificatus quidem carne, viuifi-*

viuificatus autem ſpiritu. In Eccleſia verò, tum priſca, tum noua; quoniam communis vtrique eſt bona illa in Chriſto conuerſatio. Priſca autem, *in quo* nimirum ſpiritu *profectus prædicauit etiam ſpiritibus qui ſunt in carcere, immorigeris olim, quum ſemel exſpectaret Dei lenitas diebus Noë, quum exſtrueretur arca, in qua paucæ, id eſt, octo animæ ſeruatæ ſunt in aqua:* Hac verò noua & Chriſtiana Eccleſia, *quo etiam nos antitypum baptiſma nunc ſeruat*, &c. *Quo* autem, puta eodem ſpiritu, quo & Chriſtus viuificatus eſt, & priſca Eccleſia inſtituta. Hîc ad breue Bellarminus certè oportet viderit, qui obſcuritatis hæc damnet, tanta diuinitus oblata luce.

13 Ibid. *& prædicauit ſpiritibus in carcere concluſis.*] Sed hoc ipſum, Bellarmine, quid ad inſtitutum Apoſtoli argumentum? τοῦ πατρὸς οὐκ ἐστὶ τὸ παιδίον, quod aiunt.

14 Art. 12. *vel etiam aliorũ hominum.*] Falſum: nam hoc exemplum eſt omnium quæ ex teſtamento vetere adferri poſſunt ampliſſimum, & in vtramque partem luculentiſſimum.

15 Art. 13. *ne deberet eos punire in gehenna in æternum.*] Atqui rurſum quid hoc ad cauſam & ſermonem inſtitutum Petri? ſcilicet Petrus Apoſtolus non Chriſtianam patientiam, fidem, & ſanctimoniam hîc docere voluerit, ſed τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας ἐπιζητοῦσι gemina vanitate ſatisfacere.

16 Ibid. *id eſt, animæ eorum ſaluæ ſint apud Deum.*] Vide ſuprà nota 10. & 11. Nos autem è diuerſo ſic argumentamur: Media finem antecedunt tempore in ijs rebus quæ fiunt cum tempore: medium autem eſt prædicatio; finis, iudicatio in carne, & vita

in ſpiritu: anteceſſit igitur prædicatio hunc vtrumque finem. Vtrumque autem finem ſuis præſtat in hac vita Deus, ſemperque præſtitit: ergo & prædicatio apud viuos anteceſſerit in hac eadem vita neceſſe eſt.

17 Art.14. *quæ ſententia eſt omnium Patrum, & totius Eccleſiæ.*] Negantur iſta. Primùm enim quî ſcit Bellarminus hos libros poſteà fuiſſe ſcriptos? probatio profectò nulla. Deinde verò cur hic adfirmat ea quæ modeſtiſſimus ille Auguſtinus receptæ opinioni cedens, quam tamen improbabat, dubitanter pronunciauit? nam Pſalm.85. expreſsè vtitur voce *fortaſſis:* & lib.20. de ciuit. Dei dicit, *Si enim non abſurdè credi videtur*, &c. Hæc certè non ſunt adfirmantis, vt Bellarminus ſentit; ſed potiùs hominis communi errori modeſtè refragantis verba.

18 Ibid. *ſe iam inde liberandas & tempore ſuo etiam corpora recepturas.*] Probet, qui credi volet.

19 Art.16. *vt dubiam, & quæ teneatur donec melior non inuenitur:*] Nempe vt modeſtè communem illum & peruulgatum errorem conuelleret: non enim de ſenſu loci dubitabat; ſed de euentu, vtrùm error ille à ſe conuelli poſſet: vt ſuprà nota 2.

20 Ibid. *qui in carcere ſunt.*] Quaſi verò Græcæ loquutioni vis vlla fiat: vide nota 9.

21. Ibid. *eos tunc in carcere fuiſſe.*] Negamus: nam Auguſtinus ad Euodium epiſt.99. plerumque reddit, *concluſis in carcere*, ad præſens tempus reſpiciens: plerique Helleniſmum ſeruauerunt: Clemens Alexandrinus lib.6. Stromat. & Oecumenius præſente vtuntur, τοῖς ἐν ᾅδῃ κατεχομένοις. *iis qui in inferno detinentur.* Eorum verò qui præterito expoſuerunt, multi aliam planè interpretationem adferunt, & temporibus

Noë

Noë (vt fieri par eſt) accommodant. *Qui in carcere erant*, ait gloſſa interlinearis, *tenebrarum & infidelitatis; vel in carcere, id eſt, in carnalibus deſiderijs viuentes.* Non ſecus gloſſa ordinaria; & Lyranus, *his qui in carcere erant*, inquit, *ligati conſuetudine peccandi ſecundùm illud Prouerb. 5. iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringetur: quod erat tempore Noë, ſecundùm quod dicitur Gen. 6. omnis caro corruperat viam ſuam.* Falſum igitur & conſequens.

22 Ibid. *iam refutata eſt.*] Nos verò præſumptam confutationem diluimus.

23 Art. 17. *hoc loco ſpiritũ ſignificare animam.*] Confutatum ſuprà nota 5.

24 Ibid. *poſteà conuerſos ad Deum & piè mortuos.*] Hoc verò ad rem quæ agitur docuimus nihil pertinere: tum verò probari negamus poſſe.

25 Ibid. *prædicationem Chriſti nihil fuiſſe aliud, quàm nuncium liberationis.*] At prædicationem iſtius modi fuiſſe negamus, vt nota 3. Humanum eſt commentum, hic & reſponſione proximè ſequente.

26 Art. 20. *Vel ergo Beza non eſt vir bonus, vel Caluinus non perſuaſit omnibus bonis.*] Maleuolæ interpretationes, argumentatio falſa, & indigna conuicia hic adhibentur ad fundamentum falſum: nam vbi locorum Caluinus his verbis vſus eſt? Deinde autem dixerit ſanè: at ſtudium certè in rem bonam & pios conatus laudari oportuit, licet rem non planè tetigerit. Sed hoc loco Bellarminum fungi ſuis partibus oportuit. Humanam interpretationem humana ſcripta deſiderant. Diuerſum quidem ſentire in ijs rebus licet quæ non pugnant cum principijs, vt in ſingularium locorum interpretatione plurimùm. at diuerſum ſen-

tientibus illudere & conuiciari non licet. Calcibus proterant muli: homines & Christianos decet humanitas.

27 Art.21. *de loco ad locum.*] Confutata sunt hæc antè nota 5.& 7.

28 Art.22. *exemplum in bonis auctoribus pro hac specula sua.*] Vtrumque iungit Caluinus: hic ergo σοφίζει.

29 Art.23. *posse dici carcerem ridiculum est.*] In vmbra, id est, in vmbrosa & quasi opaca statione. Hoc Bellarminus dissimulat, vt sententiæ Caluini offundat tenebras, eamque exagitet. Quamquam hanc Caluini sententiam ego quidem præstare non constitui: humanis oculis Caluinus etiam vidit; omnia scire, ait Iustinianus, diuinitatis est.

30 Ibid. *omnes essemus in carcere:*] Dissimile exemplum, & (quod amplius est) ex falsa verborum Caluini disiunctione profectum; absurdum ergo inconsequens.

31 Ibid. *in cælo esse tenebras & carcerem?*] Hæc omnia non pugnant cum sententia Caluini, quia comparatè intellexit: viderunt enim animæ piorum mysterium Christi, & vident secundùm plus & minus. Ipsi Angeli plus vident, ex quo Christus mysterium redemptionis consummauit in corpore suo, quàm antè viderint.

32 Art.24. *non speculam, sed carcerem significare.*] Cauillatio mera. Nam ille vtrumque opus attribuit diuinæ potentiæ Christi: quæ non vno solùm in loco, sed in omnibus simul & diuersissimè operatur, res etiam contrarias in diuersis & contrarijs subiectis efficiens diuerso respectu, & modo.

33 Art.25.

33 Art. 25. *Christum in carcere inferni sanctis Patribus prædicasse, &c.*] Contrà verò illæ ipsæ Patrum sententiæ quas adhuc attulit, & sequente cap. Bellarminus adfert, aliò videntur pleræque inclinare, vt proximè dicturi sumus.

Cap. XIV.

1 Art. 1. *ex Patrum traditione breuiter confirmabimus.*] Ex Scripturis minimè probari sententiam illam docuimus: ex monumentis Patrum non probari affirmamus; tum quia probationes ab auctoritate eorum sine Scripturis non sunt sufficientes; tum quia multa eorum testimonia adducuntur malè. Quapropter de eis monita quatuor præmittemus, antequàm ad singularia testimonia excutienda veniamus. Primum est, nomen inferni siue inferorum Latinis καταχρηστικῶς, Græcis item φυσικῶς nomen illud receptum ᾅδου, & Hebræis שְׁאוֹל ex etymo (prout antè exposuimus cap. 10. nota 9. & 11.) accipi pro quolibet animarum loco ipsis constituto, dum à nobis absunt in resurrectionis venturæ exspectatione: nempe quia & essentia illarum est per se ἀϊδὴς, & status ἀϊδὴς, & locus ἀϊδὴς vel inconspicuus; nihil autem quod non sit huius seculi & in hoc seculo, nobis esse conspicuum potest vel aspectabile. Et ita omnium commodissimè Irenæus interpretatus est libro 5. aduersus hæreses, cap. vltimo, dicens: *animæ abibunt in inuisibilem locum definitum à Deo, εἰς ἀϊδῆ τόπον.* Is autem est ᾅδης, ex communi auctorum idoneorum omnium, & classicorum Grammaticorum testimonio. Vnum insignem adferam Diphili locum (vt Christianos multos pudefaciat, & reuocet ab infidelitate licentiaque ipsorum) ex Clemente Alexandrino Stromat. 5. dicentis,

Οἴει σὺ τοὺς θανόντας, ὦ Νικήρατε
Τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ
Πεφευγέναι τὸ θεῖον, ὡς λεληθότας;
Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν·
Μίαν δικαίων, ἑτέραν δ' ἀσεβῶν εἶναι
Ὅρον. καὶ εἰ, τοὺς δυο καλύψει ἡ γῆ,
Φήσῃ, τῷ παντὶ χρόνῳ ἅρπαζ' ἀπελθὼν,
Κλέπτ', ἀποστέρει, κύκα· μηδὲν πλανηθῇς·
Ἔστι κἀν ᾅδου κρίσις, ἥνπερ ποιήσει
Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης, οὗ τοὔνομα
Φοβερώτερόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ·
Ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς βίον μῆκος δίδωσιν.
Εἴ τις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφ' ἡμέραν
Κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ, καὶ δοκῶν ἁλίσκεται,
Ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ Δίκη.
Ὁρᾶθ' ὅσοι δοκεῖτε οὐκ εἶναι θεόν.
Ἔστιν γὰρ, ἔστιν· εἰ δέ τις πράττει κακῶς,
Κακὸς πεφυκὼς, τὸν χρόνον κερδαινέτω·
Χρόνῳ γὰρ οὗτος ὕστερον δώσει δίκην.

Hic apertè Comicus ille duobus locis ostendit, quid sibi nomine ᾅδου Græci auctores voluerint: non dico de fabulis ipsorum, ne quis cauilletur, sed de genuina vocis illius significatione. Neque verò Ethnici solùm, sed & orthodoxi Patres in eumdem modum nomine ᾅδου vsi sunt frequentissimè, freti auctoritate Lucæ 16. ἐν τῷ ᾅδῃ sinum Abrahæ, in quo Lazarus, & diuitem purpuratum, & intermedium chasma illud magnum statuentis. Sic Chrisostomus homilia de diuite, *Audiuimus quid vtrique in terra passi sint, videamus quid vtrique eorum apud inferos patiantur:* & Tertullianus de idololatria, cap. 13. *Sic & Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ*

Abrahæ refrigerium consequutus, contrà diues in tormento ignis constitutus, & similia multa. Hanc verò latissimam nominis significationem non videntes alij, ad infernum, vbi diabolorum & impiorum omnium statiua sunt, retulerunt solùm æquiuocè; aut limbum inferis conterminum (nam ex eo limbus) imaginati sunt, pro eo quòd Christus hiatum magnum dixerat intercedere. Secundum est, priscos illos Patres plerosque descensum Christi (vt antè diximus) ad inferos, hìc de cruciatibus animæ, illic de personæ secundùm potentiam diuinam operatione, aut de vtroque simul, paucos de aliqua secundùm locum immigratione accepisse; eosque luctam illam cum cruciatibus & victoriam Christi allegoricè triumphalibus verbis exornasse, vt Ecclesiæ animos permouerent. Tertium est, iniquè fecisse eos & adhuc facere, qui ex figuratis enunciationibus efficiunt proprias, easque pro articulis fidei haberi volunt in propria significatione. Postremum est, in hanc sententiam recentiores multos ex Patribus deuenisse, tam ignoratione homonymiæ abductos, quam in testamento vetere esse antè ostendimus, tum communi opinione in Ecclesiam recepta sine fundamento Scripturæ. Qua de re Augustinum præstat audiamus dicentem epist. 99. ad Euodium: *Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quòd eum ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est, hæc illum qui primus factus est, patrem orbis terrarum*, &c. Deinde, *addunt quidam hoc beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum, Abel, Seth, Noë, & domui eius, Abraham, Isaac, & Iacob, alijsque Patriarchis & Prophetis, vt quum Dominus in*

infernum venisset, illius doloribus soluerentur. Sed quonam modo intelligatur Abraham, in cuius sinum pius etiam pauper ille susceptus est, in illius fuisse doloribus, ego quidem non video: explicant fortasse qui possunt. Et post versus aliquot, *Quid is ergo præstiterit qui dolores soluit inferni in quibus illi non fuerunt, nondum intelligo: præsertim quia ne ipsos quidem inferos vspiam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quòd si nusquam in diuinis auctoritatibus legitur; non vtique sinus ille Abrahæ, id est, secretæ cuiusdam quietis habitatio aliqua pars inferorum esse credenda est,* &c. Inferorum autem dicit Augustinus secundùm receptam in vulgo significationem, pro loco speciatim dæmonibus atque impijs præparato, siue purus consideretur, siue prætextatus limbo.

2 Ibid. *quia explicaretur notum per ignotum.*] Datur hoc totum, & idem Caluinus tradidit lib. 2. Instit. sed non sequitur ab insufficiente enumeratione: descensus ad inferos non est hoc, ergo est illud. Nam quatuor præcesserunt huius descensus explicationes inde à cap. 7. quarum hîc reticentur duæ: quænam igitur consequentia? Prætereà descendere ad inferos non solùm propriè, vt disputator adfirmat, sed & figuratè dicitur, & ipsi inferi dicuntur figuratè Psalm. 18. 6. & 29. 4. & 49. 16. & 88. 4. & alibi passim. vide suprà cap. 8. De sequentibus autem omnibus testimonijs ita statuimus; singula ex veritate, quæcunque possumus commodè, interpretari oportere: quæ verò se habent secus, ea humaniter à nobis ex charitatis lege tolerari, aut ex veritate (si qua fortè contra fidem veniunt) improbari, cùm nulla de his canonicarum scripturarum expressa proferatur auctoritas, vt Augustinus loquitur.

3 Art. 2. *ascendit pariter in vtroque.*] Hæc duo testimo-

testimonia, si accipiuntur significatione propria, negamus; quia sententia ista ex opinione hominum recepta est sine auctoritate scripturæ: sin auté figurata, concedimus atque affirmamus: nam Christus voluntariè demisit seipsum ad sufferendum atque eluctandum dolores inferni, quibus constricti homines tenebantur, nisi gratia & vis illius subuenisset: hoc autem fecit in anima, quæ tristitia primum fuit oppugnata, deinde verò doloribus mortis & inferni, quum inclamans Patrem diceret, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?*

4 Art. 3. *Sanctorum Patrum multitudo cum Christo ascendit.*] Viderint qui de sepulchro intelligunt: nos figuratè accipimus. Nam Christus descendit in arenam cum cruciatibus inferni secundùm animam, & illud torcular calcauit solus: at ijs cruciatibus superatis potentia sua, cõmunicauit cum sanctis omnibus triumphum suum, quorũ etiam nonnullos suscitauit qui in vrbe sancta visi. Quamquam malè his referuntur mutilata Thaddæi verba: spondet enim post alia multa se prædicaturũ ὅσα τ' ὑπὸ ἰουδαίων ἔπαθεν, ϗ πῶς ἐσταυρώθη, ϗ κατέβη εἰς τὸν ᾅδην, ϗ διέσχισε φραγμὸν τὸν ἐξ αἰῶνος μὴ σχισθέντα, ϗ ἀνέστη, ϗ συνήγειρε νεκροὺς τοὺς ἀπ' αἰώνων κεκοιμημένους, ϗ πῶς κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ πολλοῦ ὄχλου πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ, &c. id est, *& quæ Iudæis est perpessus, & quomodo crucifixus est, & descendit ad inferos*, id est luctaturus & expugnaturus obijt dolores inferni, *& disrupit maceriam vel sepem quæ à seculo non fuerat rupta*, nimirum ab vllo homine aut re creata vlla, cuius non est eluctari per se & debellare inferorum portas, *& resurrexit, & simul excitauit mortuos qui à seculis dormiebant, & quomodo descendit solus*, nempe à Patre, exsequuturus voluntatem eius,

ascendit verò cum magna turba ad Patrem suum, nempe quam captiuam abducebat triumphans de ea, vt exponitur Ephes.4.

5 Art.4. *regressus autem cum multitudine.*] Quasi verò etiam diaboli non viderint eum; qui triumphati, traducti, & exspoliati ab eo dicuntur Colos.2.& qui in tartarum potentia eius detrusi sunt, 2.Pet.2.4. Secundus locus cum proximè præcedente idem est.

6 Ibid. *descendisse ad inferos, vt liberaret mortuos suos.*] De hoc loco diximus cap.13.nota 4. est autem figurata loquutio, vt antè. Et certè Christus anima sua descendit atque abiecit se ad grauissima illa tentamenta dolorum inferni, vt suos electos liberaret; qui æternùm erant mortui, absque illo fuisset vindice & Seruatore nostro.

7 Art.5. *vsque in diem tertiam in inferioribus terræ.*] nimirum *in carne*, vt proximè sequitur apud Irenæum eodem loco, hîc verò dissimulatur fortiter.

8. Ibid. *vbi animæ mortuorum erant, &c.*] Abierit autem virtute diuina sua, quemadmodum ex hypothesi ostenditur, & sequentibus Irenæi verbis. Nam dicebant hæretici, in quos Irenæus inuehit, animam statim à morte cœlum & Demiurgum ipsum supergredi, interire corpus. At Irenæus respondet separari quidem animam à corpore; sed tamen hominem adhuc secundùm corpus in terræ inferioribus degere, secundùm animam verò dicit sequentibus, *Manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in locum inuisibilem definitum eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem;*

τὴν

τὴν ἀνάστασιν ὑπομενέους, &c. Sic etiam pleraque sequentia.

9 Ibid. *certè corpus in sepulcro non prædicauit.*] Figuratè. nam τοὺς ἐν ᾅδου appellat Clemens, non qui in loco sunt inferorum, sed qui vitam hîc infernalem degunt, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus. Demonstrat hanc interpretationem totus contextus, in quo exponendo multi de Clemente pessimè sunt meriti. Sed quia locus est longior, à verbis eius adducendis supersedebimus. Cogit me tamen & rei veritas & huius loci iusta explicatio, vt de multis Clementis sermonibus paucula adferam antecedentia, quæ horum verborum sensum efficiant planum. Sic enim ille ad verbũ. τοῖς μὲν γὰρ κατὰ νόμον δικαίοις ἔλειπεν ἡ πίστις· διὸ καὶ τούτους ἰώμενος ὁ κύριος ἔλεγεν, ἡ πίστις σου σέσωκέν σε. τοῖς δὲ κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις οὐχ ἡ πίστις μόνον ἡ εἰς τὸν κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποστῆναι τῆς εἰδωλολατρείας ἔδει. αὐτίκα ἀποκαλυφθείσης τῆς ἀληθείας, καὶ αὐτοὶ ἐπὶ τοῖς προπεπραγμένοις μεταμέλονται. διόπερ ὁ κύριος εὐηγγελίσατο καὶ τοῖς ἐν ᾅδου. φησὶ γοῦν ἡ γραφὴ· λέγει ὁ ᾅδης τῇ ἀπωλείᾳ, εἶδος μὲν αὐτοῦ οὐκ εἴδομεν. φωνὴν δὲ αὐτοῦ ἠκούσαμεν· οὐχ ὁ τόπος δήπου φωνὴν λαβὼν εἶπεν τὰ προειρημένα, ἀλλ' οἱ ἐν ᾅδου καταταγότες, καὶ εἰς ἀπώλειαν ἑαυτοὺς ἐκδεδωκότες, καθάπερ ἔκ τινος νεὼς εἰς θάλασσαν ἑκόντες ἀπορρίψαντες· αὐτοὶ τοίνυν εἰσὶν οἱ ἐπακούσαντες τῆς θείας δυνάμεώς τε καὶ φωνῆς. ἐπεὶ τίς ἂν εὖ φρονῶν ἐν μιᾷ καταδίκῃ καὶ τὰς τῶν δικαίων καὶ τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ὑπολάβοι εἶναι ψυχὰς, ἀδικίαν τῆς προνοίας καταχέων; & quæ sequuntur. id est (vt verbum verbo reddamus quàm proximè fieri poterit) *ac ijs quidem qui secundùm legem fuerunt iusti defuit fides: ideoque sanans eos Dominus dicebat, fides tua te saluum fecit; ijs verò qui secundùm philosophiam fuerunt iusti, non fide solùm quæ est in Dominum, sed & abscessu ab idololatria opus erat. simul ac reuela-*

reuelata erat veritas, hos quoque de rebus antè commissis pœnitebat. Quapropter & Dominus eis euangelizatus est qui in inferno erant (id est, in Scripturis dicitur euangelizatus esse.) *Itaque ait Scriptura, Infernus perditioni dicit, speciem quidem eius non vidimus, sed vocem eius audiuimus* (puta euangelizantis Domini) *Non ille quidem locus assumens vocem protulit ea quæ antè dicta sunt, sed qui in inferno erant constituti*, puta instituto vitæ, *& ad perditionem sese tradiderant, tanquam si ex quadam naui in mare seipsos proiecissent vltro: illi sunt igitur qui potentiam illam diuinam & vocem audiuerunt. Alioquin enim quis verè sapiens in eadem condemnatione versari animas iustorum & peccatorum putet, prouidentiam illam perfundens iniustitia?* Sic sequentia omnia, quæ longum foret persequi. Certè si de mortuis dixisset Clemens, nec discessus meminisset ab idololatria, nec prouidentiam Dei aspergi iniustitiæ crimine affirmasset. De mortuis ergo in peccato dixit, non de mortuis in inferno sitis.

10 Art.6. *contra Celsum, & lib.5.in epist. ad Rom.*] Rectè quidem ista Origenes: sed Deus bone, quàm malè acceptus à multis olim! *Vnigenitus* quidem *Filius Dei pro salute mundi vsque ad inferna descendit*, figurato illo sensu quem antè sæpius tradidimus: sed victor triumphans *inde protoplastum reuocauit*, id est, Adamum illum priorem cum posteris à meritis pœnis inferni suo illo descensu liberauit: & hoc figuratè. Non agi autem de Adamo solùm in persona sua, sed de homine communiter, demonstrat sequens ætiologia: *Quòd enim dixit ad latronem, hodie mecum eris in paradiso*, & quæ sequuntur. Nam sensus hic est; sicut quando sententia Dei lata & pronunciata est, non Adamum percussit solum, sed etiam posteros ipsius; ita

quando latroni ſententia Chriſti & gratiæ eſt pronunciata; non latronem ſolum, ſed totum credentium corpus attigit. Hunc Origenis ſermonem de Adamo plerique non intelligentes, fabulas multas in priſcam Eccleſiam inuexerunt. Libro autem 2. contra Celſum, ridiculam obiectionem Celſi repercutit Origenes contraria affirmatione; ſed quam nec probat vlla auctoritate Scriptutæ in eo loco, nec alibi vſquam adfirmat, nec ipſe Bellarminus attudiſſet, ſi id reputauiſſet quod poſteà dicit cap. vltimo, non eam fuiſſe cauſam cur Chriſtus in infernum deſcenderit. Sic enim Origenes, *Poſt hæc ſic nobis loquitur: Certè non dicetis eum, cùm non poſſet hæc viuentibus perſuadere, profectum ad inferos, vt perſuaderet illic agentibus. Imò vel ipſo inuito aimus illum & in corpore tam multis perſuaſiſſe, vt ea de cauſa inſidijs petitus ſit, & exutam corpore animam cum alijs animabus ſimiliter exutis habuiſſe colloquia, vt conuerteret etiam ex illis quotquot eſſent dociles, aut propter certas rationes ipſi notas magis ad hoc idoneæ.* Quis hæc Origenem miretur ſcribere de animabus poſt mortem reuocandis, qui etiam dæmonibus ſpem vitæ æternæ fecerit? Præceps præcipiti quæſtioni reſpondit, & magis dedit operam vt par pari referret aduerſario, quàm vt veritatem rei promeret ex Scripturarum fonte. Negatur ergo loci illius auctorita[s]: quidni autem, cùm ipſe Bellarminus neget cap. vl[ti]mo? Ad Rom. locus non deſcenſum animæ, ſed pe[r]ſonæ; non ſecundùm locum, ſed ſecundùm virtu[t]em reſpicit figurato illo prædicationis modo quem antè docuimus. Ex his ergo locis nihil ſequitur neceſſariò.

11 Art. 7. *vt eorum quoque qui anteà mortui erant, animas reuocaret.*] Eadem planè ſententia

Euſebij

Eusebij quæ & Origenis in primo loco, de quo proximè dicebamus. Ostendit nempe vim passionis Christi non ad eos solùm pertinere qui tum vixerunt, aut deinceps fuerunt victuri, sed etiam ad eos qui iam olim vixerant permeare. Demonstrant verba Eusebij proximè sequentia, ὅτι δὴ τῆς ἐξ αἰῶνος ἁπάντων αὐτῷ τῆς σωτηρίας ἔμελλεν, &c.

12 Ibid. *vide etiam catechesim* 14.] Vt nota 3. & sequentibus.

13 Art.8. *descendisse ad inferos, vt animas liberaret.*] Athanasius inferos, ᾅδην, id est, locum inuisibilem dicit latissima significatione, vt nota 1. descensum verò ad inferos animarumque reuocationem virtute factam intelligit personæ Christi, vt sæpe diximus.

14 Art.9. *animam redimat, ne illic maneat.*] Prius secundùm infirmitatem carnis, posterius secundùm virtutem Spiritus vel diuinitatis Christi enunciatur de potentia personæ, non de præsentia animæ humanæ in inferis. Sic etiam Gregorius vterque, Nyssenus, & Nazianzenus.

15 Art.12. *vt animam Adami & aliorum Patrum liberaret.*] de descensu secundùm virtutem, verissimum: vt nota 1. & 2. & 3. &c. sic etiam sequens Chrysostomi locus.

16 Art.13. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 36.] Hæc ergo de persona, idque figuratè; non de anima humana solùm & propriè intelligenda sunt, cùm Cyrillus vnionem & virtutem coniungat vtroque loco, *animam,* inquit, *habens sibi vnitam.* quid euidentius?

17 Art.14. *non assumpsisse animam.*] Theodoreto assentimur: sed quid hoc ad descensum?

18 Ibid.

18 Ibid. *& umbra mortis sedebant, lux refulgeret.*] nimirum virtute potentiaque personæ, vt passim.

19 Art. 15. *habes & regionem inferorum subterraneam credere.*] Alijs caput est 55. vbi sunt continentes hi duo loci, quos in duo capita Bellarminus distrahit. & hæc de virtute personæ Tertullianus dicebat, non de animæ humanæ præsentia, figuratè. sic etiam duo sequentes loci.

20 Art. 17. *descendisse ad inferos corpus, quod in sepulchro iacuit, dicetur?*] Inferos dicit æquiuocè pro loco inuisibili animarum, vt nota 1. diximus.

21 Art. 18. *descensione Christi ad infernum veniam meruissent.*] Descensus virtutis hic agitur, non animæ humanæ Christi: quo modo & Prudentius, Ambrosius, Hieronymus, Rufinus acceperunt.

22 Art. 24. *& in Psalm.* 85.] Infernum & inferos Augustinus dicit latissima significatione, vt quidam putant. Sed verius est dici de congressu illo salutari, quo Christus exsuperauit tentamenta & dolores mortis, vt antè dictum; figurata omnia: Nam propriè accipi non posse idem auctor docet epist. 99. cuius verba sub finem notæ 1. ponebamus.

23 Art. 26. *anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro.*] Hæc de inferno latissima illa significatione vera sunt, quam nota 1. tradidimus: de loco infernali qui vulgo dicitur, negamus accipi, aut verè prædicari posse ex Leonis, Fulgentij, Vigilijque verbis. Vnus mihi ad confirmationem satis Augustinus lib. contra Felicianum Arianum cap. 15. post multa eleganter dicens, *Si igitur mortuo corpore ad paradisum anima mox vocatur, quemquàmne adhuc tam*

impium

impium credimus, qui dicere audeat quoniam anima saluatoris nostri triduo illo corporeæ mortis apud inferos custodiæ mancipetur? Et quis, inquis, est alius qui instante passione Christi ingemuit dicens, tristis est anima mea vsque ad mortem? Tristis vsque ad mortem, propter affectum susceptæ carnis; non post mortem, quum beatitudinem spondet societas deitatis. Non initium mœroris mors ista, sed finis est. & quæ sequuntur.

24 Art.27. *esse timet, &c,*] De virtutis descensu hæc figuratè dicuntur atque poëticè.

25 Art.28. *vinculis teneretur.*] Descensum virtutis in persona agnoscimus figuratè dictum; descensum verò localem animæ negamus, vt sæpe dictum est. Hunc quicunque Patres dixerunt, non probant auctoritate Scripturæ: illum omnes secundùm Deum confitemur.

26 Art.29. *stultissimi sumus, si non paucis recentioribus hæreticis prætulerimus.*] At nos furiosi sumus, nisi omnibus & illis & nobis prætulerimus Dei veritatem; quæ descensum quidem virtutis docet, localem non docet.

CAP. XV.

1 Art.2. *per dolores inferni à Christo toleratos.*] Falsum: nam Caluinus & descensum Christi in dolores inferni asserit, & effectum eius: descensum, vt singulare factum ipsius vltro inferos debellantis; effectum verò, vt commune seculorum omnium in omneis homines ab orbis conditu beneficium.

2 Ibid. *& præcipuè limbum Patrum:*] De realibus inferis, criminatio falsa: at limbum Caluinus non

non nouit, nec limbolarium; vt diximus suprà cap.8. nota 2. & 3.& alibi.

3 Ibid. *à Christo beatificatus.*] Et hoc falsò Caluino adscribitur, vt nota 1.dictum.

4 Art.4. *per se, non per effectum mansisse in sepulcro.*] Inconsequens à substantia rei ad modum ipsius. Nam vtrumque verum est, & Christi animam descendisse ad inferos, & carnem mansisse in sepulchro: at non ex eo sequitur, si corpus in sepulchrum, ergo & animam in infernum localiter descendisse. Deinde verò Patrum varia fuit sententia: nam alij de inferis dixerunt latissima illa significatione, alij de lucta illa salutari citra rationem loci συνεκδοχικῶς, alij denique de loco singulari siue damnatorum, qui vulgo infernus, siue seruandorum Patrum, qui vulgo limbus, communi errore per inscientiam inferis adsutus sutela nouitia, vt suprà cap.14.nota 1.docuimus.

5 Art.5. *caussa enim illius effectus etiam caro fuit.*] Et hoc docemus, Christum anima & corpore in inferos descendisse, & sese vltro abiecisse, vt κατ' προπάθειαν experiretur tentamenta, luctareturque cum doloribus inferni, victoriamque ascendens reportaret. Propterea enim tum in horto Dominus *constitutus in angore intentiùs orabat, eratque sudor eius quasi grumi sanguinis descendentes in terrã*, Luc.22.44.tum in cruce clamauit, *Deus meus, Deus meus, quàre deriliquisti me?* persona, inquam, secundùm humanitatem inferos experiens, anima principaliter, corpore secundariò, vtroque causaliter meritus nobis patiendo vltrò. Quapropter ea quæ sequũtur, nihil ad nos, qui συνεκδοχικῶς & animam propriè & per se inferos expertam, & corpus secundum συμπάθειαν siue consensum (vt Medici vocant) partium humanitatis essentialium suo item

modo expertum confitemur; & quidem realiter expertum Christum, ac non effectu solùm. Sed quia proprium subiectum cruciatuum infernalium secundùm naturam ipsorum anima est, sicut & peccati; rectè & propriè dicimus, quamuis non sublato corporis consensu, animam ad inferos descendisse, cùm hæc propria sit animarum affectio, quam corpora διὰ συναφείας καὶ συμπαθείας, non per se sentiunt, tanquam coniuncta animarum instrumenta. Sic anima per se sola in inferno fuit, corpus verò per animam in persona Christi. Vtrumque verum: absurdi nihil.

6 Ibid. *quod est contra scripturam & Patres.*] Inconsequens tribus nominibus. 1. non valet à communi indiuiso, vt loquuntur, siue à toto in communi ad partes ipsius singulas. 2. non valet ab eo quod est causa primò & per se, vt anima est, ad id quod per accidens appellatur causa; vt corpus Christi non est causa per se, sed anima per corpus atque in corpore, ac potiùs diuinitas per humanitatem suam. 3. non valet ex diuerso facto argumentum. Est autem factum diuersum Christi in se inferos expugnantis, & in nobis expugnantis emundantisque peccata nostra. Inferos expugnauit Christus anima semel & immediatè; peccata nostra perpetuò delet Christus sanguine suo mediatè; non quà sanguis per se, vt optimè Cyrillus tradit, sed quà sanguis Christi. Falsa igitur consequentia.

7 Art. 6. *imò aliqui id expressè negant?*] Durandi sententiam nos quidem præstare nolumus: sed tamen non valet consequentia ab effectu mortis ad animam. Valeret quidem si ab effectu mortis omnipræsentiam (vt ita dicamus) personæ argueret: at omnipræsentiam effectus, animæ humanæ ex eo tribui est ἀσυλλόγιστον. Quæ de limbo, de paradiso terrestri narrat, suis

ſuis locis videbuntur: nam hic παρέργως in ſermonem hunc incurrerunt ex hypotheſi Pontificiorum, de qua controu. 6.

8 Art. 7. *in momento peractus eſt.*] Negatur antecedens, & negat Chriſtus Luc. 23. 43. & 46. vt ſuprà cap. 12.

9 Ibid. *Scripturis ipſis, ac Patrum confeſsioni repugnat.*] Redijt quidem anima in corpus (reſurrexit enim.) Sed non redijt ex inferis quos iſti imaginati ſunt. Inferi dicuntur æquiuocè. Si latè dixeris pro quauis inuiſibili animarum ſede, redijt inde Chriſtus: ſi anguſtè pro damnatorum ſede, inde non redijt; non enim fuit in eis: ſi nouè pro limbo quem Patribus aſsignant Pontificij ſecundùm inferos, nec inde redijt; non enim eſt, aut fuit limbus. Et cur, obſecro, piorum Patrum in teſtamento vetere locauerunt animas in limbo, limbum verò potiùs inferis quàm cœlo adtexuerunt? λῆροι.

10 Art. 10. *Chriſtus nuſquam deſcendit, proinde nec ad inferos.*] Non ſequitur tunc nuſquam fuiſſe, quia infernum accipit æquiuocè, pro ſede damnatorum, pro ſede ſeruandorum patrum, aut pro vtroque communiter. Cur autem? quia infernus locus principalis eſt, limbus inferni acceſſio, vt in ora veſtis appellamus limbum. Hoc perpetuum eſt quaſi ex inferis μορμολύκειον. Apage iſtas homonymias.

11 Art. 12. *eſt præſens vni certo loco, & non alteri, niſi mutetur de loco in locum.*] Anima certè præſens eſt ſemper vni certo loco per eſſentiam ſuam, ſed ei loco quem Nyſſenus & Damaſcenus νοητὸν ſeu intellectualem vocant. Differt autem hic locus à corporali loco, quod corporalis locus eſt continens cor-

poris Physicè Physici; intellectualis verò non continet ac circumscribit animam, sed est metaphysicus, & continetur definiturque ab anima (vt ita dicam) metaphysicè.

12 Art.13. *nec operari posse extra suum corpus;*] Nempe dum insunt corpori suo, quamuis secundùm essentiam suam subsistentes in se: nam corporibus suis insunt personaliter.

13 Ibid. *de cura pro mortuis, cap.16.*] Vox ista *supernaturaliter*, dicitur æquiuocè. Sed de hoc argumento, ne actum agi sæpius oporteat, futurus est dicendi locus controu.6.libro 2.cap.8.

14 Ibid. *ac loqui & operari eo modo quo Angeli operantur.*] Posset etiam lapis eadem facere iubente Deo supernaturaliter & extra ordinem: sed nec lapis, nec anima hoc facit hominis, qnia non iubet Deus: ad hoc munus animam hominis à Deo negamus deputari; sed piam recipi vt viuat cum Christo, Philip.1.& à laboribus suis requiescat, Apoc.14. hoc Angelorum opus est ordinarium, Hebr.1. Exemplum Mosis, personæ est, non animæ: cætera spectrorum. de Samuele, iam antè diximus in caput 11. nota 4.

15 Art.14. *& tamen id omnes credimus.*] Huius rei exemplum est Act.20. 10. teste Paulo.

16 Art.16. *temporũ breuissimi, ac planè imperceptibilis.*] Optimè certè Durandus argumentum ducit à iustitia Dei: quæ vel ad momentum eos nec vult, nec potest detinere pro quibus ipsi perfectè satis factum est. Sed hæc omnia dicuntur ex communi illa Pontificiorum suppositione quam negamus, Christum localiter in illos inferos descendisse.

17 Ibid. *& propter alias etiam causas.*] Hanc

causam,

causam, & alias illas probari cupimus; & iamdiu est quum exspectauimus probationes, nec dum audimus quicquam.

18 Art. 18. *infernus propriè locum inferiorem designat.*] Paradisus quidem figuratè dicitur, vt & 2. Cor. 12. 3. sed & infernus dicitur figuratè. Nam propriè quidem & per se inferiora terræ notat, vt cum Tertulliano dicam: sed quum ponitur pro Græca aut Hebræa voce, ponitur συνεκδοχικῶς, quia voces illæ propriè longè plus significant, quàm infernus propriè & angustè dictus. In eo autem inferno propriè & angustè dicto negamus fuisse animam Christi; fuisse ἐν ᾅδου siue בִּשְׁאוֹל id est, in loco animarum inuisibili agnoscimus. Perpetua æquiuocatio.

19 Art. 19. *siue etiam propriè.*] Et confitemur Christum fuisse in inferno dicto συνεκδοχικῶς, id est, in illo inuisibili animarum loco; qui patet latissimè, vt adnotatum est suprà cap. 14. nota 1.

20 Ibid. *vt Christi anima simul esset in duobus locis.*] Paradoxum, de quo videbitur in tomo 2. controuer. 3. lib. 3. cap. 3. & 4. & argumenta eodem pertinentia habentur suprà lib. 3. cap. 10. & sequētibus.

Cap. XVI.

1 Art. 2. *Christi animam ad omnia loca inferni descendisse.*] Nos verò negamus.

2 Ibid. *inspiciam omnes dormientes.*] Probatio nulla, vt diximus suprà cap. 12. nota 3. quòd si etiam vera esset; de persona tamen, non de natura humana, aut anima solùm diceretur.

3 Art. 3. *ad loca inferni, vbi erant dolores &*

tormenta.] Hoc ibi non dixit Augustinus: si dixisset, profectò Bellarminus in recensendis auctoritatibus Patrum non reticuisset cap. 14.

4 Ibid. *ad infernum, vbi solebant peccatorum animæ torqueri.*] Figuratè; nempe de persona intelligit secundum virtutem ipsius, non secundùm animam.

5 Art. 4. *& tormentis ipsius iussu continentur.*] Vera omnia de persona secundùm virtutem ipsius, vt modò diximus.

6 Art. 5. *An Christo fuerit aliqua pœna esse in inferno.*] Hæc quæstio ex graui æquiuocatione laborat, quam suprà cap. 10. nota 9. & 11. & cap. 14. nota 1. ostendimus. Nos autem, si inferni vocem secundùm expositionem Pontificiorum accipiamus, veram esse negamus ipsorum hypothesin, quòd Christus fuerit in inferno. Sequentia itaque plurima nihil ad nos.

7 Art. 7. *sed acceperat sine peccato.*] Hæc quidem fuit sententia Fulgentij & multorum Patrum de inferis non admodum bene philosophantium. Nos descendisse in tormentorum certamen Christum confitemur, quia ad salutem est: in locum inferorum negamus, tum quia Scriptura dolores inferni, non autem infernum, ab eo solutos dicit, tum quia id ad salutem non est, vel testibus Pontificijs. Probo hac ipsa quæstione illorum, (alioquin enim non vsuri essent) *An Christo fuerit aliqua pœna, esse in inferno:* Item solutione Bonauenturæ, *fuisse in loco pœnæ, sed sine pœna:* postremò analogica distinctione, quia vt locus pœnæ sine pœna dari potest, ita & pœna sine loco suo: hæc autem, non ille, salutaris est.

8. Ibid.

8 Ibid. *non qui sequuntur.*] Nos contrà docuimus suprà in caput 8.

9 Art. 8. *ergo pœna erat ibi manere.*] At nos dicimus fuisse beneficium, quòd anima fuerit liberata loci illius doloribus.

10 Art. 11. *nunquam video recessisse.*] Huic nos planè subscribimus.

11 Art. 12. *secundum autem non diu posteà.*] Negamus ista: nam tum quidem exhibuit complemento pro nobis Christus satisfactionem, sacrificium, redemptionem, & meritum suum Deo & Patri in cruce; sed eius deputatio, quamuis futuri beneficij, & fructus inde à principio ad animas sanctorum pertinuit, vt salutem perfectam obtinerent positam in beatitudine & vindicatione ab omni malo, quamuis gradu differentem à futura salute & gloria sanctorum.

12 Art. 13. *illuminabo omnes sperantes in Domino.*] vt suprà nota 2. Non sequitur autem, illuminabit omnes sperantes in Domino, ergo non illuminauit antè. Aliud est illuminare, aliud incipere illuminare: illuminantur enim non solùm qui incipiunt, sed etiam qui aut pergunt illuminari, aut plus illuminantur, aut alio lumine & modo.

13 Ibid. *non solùm latroni, sed etiam omnibus iustis qui in inferno erant dictum fuit.*] Fallacia est ignorationis elenchi, vt vocant: nam quasi communiter accipitur, quod singulariter & propriè latroni dictum ad consolationem ipsius, quum gratiam sibi optaret fieri. Itaque de ipso quidem vera est consequutio hæc, eo die fuit futurus cum Christo, ergo non antè fuit in paradiso cum Christo: sed de credentibus qui inde à seculo fuerant ante illud tempus,

non valet consequutio ex particulari, hic eo die fuit primùm futurus cum Christo, ergo & alij omnes tum futuri primùm in paradiso cum Christo. quis ita argumentatur intelligens? Contrà verò id potius iubet analogia gratiæ & promissionum Dei, vt dicamus; ille credens eo ipso die quo mortuus est fuit in paradiso cum Christo, ergo & alij fuerunt eo die quo fuerunt mortui, etiam qui in testamento vetere vixerunt. At hoc non dixit Christus, inquies. Respondeo, 1. imò verò non dixit neminem antè fuisse in paradiso. 2. imò dixit analogicè, omnem credentem ex quo migrat de hac vita esse in paradiso: alioquin foret inæqualis diuinæ gratiæ dispensatio in substantia, ac non in modo solùm; quod falsissimum est axioma. De loco Origenis diximus in caput 14. nota 10.

14 Ibid. *consensum Scholasticorum in 3. distin. 22.*] Negamus exclusionem illam priscorum Patrum è cœlo, quamuis consentiente Scholasticorum grege.

15 Ibid. *post Christi passionem animas sanctorum statim admitti ad visionem Dei.*] Annuimus: sed non sequitur, ergo alias ante illud tempus non fuisse admissas. hoc nos cum Augustino negamus, vt antè. Marcionem ex parte sapit illud dogma, quo Patrum animæ in inferis dicuntur fuisse, teste Irenæo lib. 1. cap. 29.

16 Ibid. *Patrum suprà citatorum.*] de eis c. 14. dictum.

17 Art. 15. *nondum se intelligere potuisse.*] Solutio per incertum istud *fortasse* certa affirmatione contraria tollitur ex ipsis Augustini verbis. Iniquè Augustini modestiæ illuditur, quum ista de ipso prædicantur. vide cap. 13. nota 17.

18 Ibid.

18 Ibid. *& eductionem ex carcere inferni.*] Falſum: obtulit Deo & Patri Chriſtus paſſione, morte, deſcenſu ad inferos complementum ſatisfactionis, ſacrificij, meriti, & redemptionis pro nobis; at nobis credentibus, ipſis etiam Patribus inde à principio fructum & effectum ſolutionis illius præſtitit: nam & ille ſatiſdedit, & Pater ſathabuit ſatiſdatione illius, vt ſola fiducia ac virtute illius in poſſeſſioné ſalutis mitterentur Patres. Quid? nonne rei ſatiſdatione iuſta liberari ſolent? ſi homines faciunt, cur non faciat miſericors Deus?

19 Ibid. *cùm ſapientia beatificans vbique ſit.*] Nihil horum ſequitur: nam Auguſtinus deſcenſum perſonæ ſecundùm virtutem intelligebat, vt cùm in eadem epiſtola explicat, tum libro contra Felicianum Arianum, cap. 17. & alibi ſæpe.

20 Ibid. *ſi illæ animæ non erant in inferno.*] Si deſcenſum cum Bellarmino accipias, conceditur argumentatio: ſed de vero illo deſcenſu quem tradimus ſi intelligatur, negamus conſequens. Cauerat enim Chriſtus, & fideiuſſerat Deo & Patri: ideoque ipſum, quamuis liberatis iam olim piorum animis, fidem præſtare oportuit: vt nota 18.

21 Art. 16. *aliquæ aliæ liberatæ ſint?*] Quæſtio hæc attingit Origenem, an damnati fuerint ſeruati. Negamus, & rectè Bellarminus negat. Suppoſitionem ſuo loco relinquimus, ne actum agatur.

22 Art. 19. *neque ex illis vllam ſaluatam credibile eſt.*] De hoc Deus viderit. Nam id quidem verum eſt, neminem cum peccato originali ſalutem obtinere: ſed altera hic latet quæſtio, vtrùm morientibus infantibus Deus alleuet adimatque peccatum originale, néc ne. hæc autem quæſtio electionem ſingula-

 gula-

gularem attingit, quæ voluntatis arcanæ, ac non reuelatæ est. ἦδε θεῶ ἐν γούνασι κεῖται.

23 Art. 20. *beatificatas tunc fuisse omnes pias animas.*] De fabula purgatoria videbitur in controuersia 6.

24 Ibid. *à Christo aliquos solutos doloribus inferni,*] In epistola ad Euodium dicit Augustinus eum *soluisse & liberasse quos voluit* (id autem est, electos) ad meritum & satisfactionem respiciens, non ad effectum: hic enim à principio fuit. nec alia in libro de Genesi sententia: ait enim, *vt inde solueret quos esse soluendos secundùm diuinam secretamque iustitiam ignorare non potuit*; id est, solueret merito suo electos suos, quamuis effectu iam olim solutos multos.

25 Ibid. *de animabus quæ adhuc luebant purgatorias pœnas.*] Antecedens falsum: non enim ex verbis Augustini demonstrari potest. Contrà verò, postquam sinum Abrahæ & paradisum distinxit συγχωρητικῶς, dans illud videlicet errori vulgi, mox ibidem subijcit correctionis modo: *si tamen non aliquid vnum est diuersis nominibus appellatum, vbi sunt animæ beatorum.* sic modestè, vt solet, exponit sententiam suam.

26 Ibid. *dicit omnes electos liberatos.*] Idem & nos dicimus; sed liberatos merito, quamuis priùs effectum liberationis ex implendo merito adepti essent: liberatos autem non à purgatorio (quod negamus) sed ab inferis. Nam hypothesis purgatorij nihil ad nos. Sequentia omnia, diuinaculorum deliramenta sunt, Hiberæ neniæ.

De

De Christo Mediatore, LIB. V.

CAP. I.

1 Art. 2. *secundò per operationem.*] Sensus est, in Mediatore duo desiderantur competentia siue analoga, persona & operatio. nam operatio est personæ siue suppositi, nec ab ea diuelli potest.

2 Art. 3. *mirabili fœdere diuinam & humanam naturam.*] Impropria loquutio: non enim personalitas, sed persona coniunxit in se naturas duas. Sed esto sanè: accipiatur bene.

3 Ibid. *personalitatem, quæ connectit naturas duas.*] Neque verò de altera illa mediatione opus esset quærere, cùm sit effectus prioris huius, & personæ ipsius Mediatoris; nisi ingeniorum vanitas homines distorqueret, vt nodum in scirpo quærant.

4 Ibid. *mediatio non est inter naturas dissidentes.*] Imò verò est inter naturas summè dissidentes, nempe Dei iustissimi & hominis iniustissimi. Natura enim, sicut & essentia, aliquid commune est subsistens in suis subiectis singularibus vniuersè. Naturæ verò vtriusque, diuinæ & humanæ, quibus coniunctis subsistit particulariter persona Christi, id proprium est [illegible] persona, quòd nec dissidentes sunt vnquam, nec inte[illegible] eas est mediatio.

5 Ibid. *nec enim vnquam Christi humanita[illegible] fuit contraria diuinitati.*] Elencho fallit. Non enim mediatio per se ad mediantem respicit aut naturas eius (nam is quasi communis terminus, relationis est) sed ad eos inter quos medius interuenit. Propterea Christus

media

media persona est & vtriusque naturæ particeps, vt medius officio & operatione esset. Itaque natura humana, quæ est & Christi, fuit contraria naturæ diuinæ, quæ est & Christi: sed in Christo contraria non fuit. Hoc sibi Bellarminus voluit, sed minùs distinctè enunciauit.

6 Art.4. *quatuor modis potest fieri.*] Ac potiùs quinque, vt nota 9. demonstrabimus.

7 Art.6. *in manu Mediatoris, id est, Mosis.*] Negatur hæc interpretatio de Mose. vide suprà lib.1. cap.5. nota 2. & sacrorum Parallelorum lib.2.

8 Ibid. *qui fuit mediator Testamenti veteris.*] Sed hoc angustius, quàm locus Apostoli aut rei veritas ferat.

9 Art.8. *proprio sanguine Deo reconciliauit.*] Quintus hîc desideratur mediationis modus, nimirum regnum illud mediatoriũ & gubernatio Christi. Nam primus & secundus modus est Prophetiæ Christi; tertius & quartus, Sacerdotij. De quinto, sine quo imperfecta foret mediatio, nihil in mentẽ Bellarmino venit, quum ista scriberet: quamuis & in Scripturis sit frequentissimum, & in eo maximè Pontifex Rom. se efferat. Atque has omneis mediationis partes perfectè obiuit & obit persona Christi, seruatis naturæ vtriusque proprietatibus.

10 Art.10. *Principium tamen, quo illa opera à Mediatore fiebant fuisse naturam humanam, non diuinam.*] Principium hîc dicit proximum terminum, siue principium secundum, vt vocant Scholastici. Nam imprudenter duo cõfundit Bellarminus, & voce principij abutitur æquiuocè. Principium mediationis absolutum est persona Christi secundùm vtramque naturam suam; prout actiones suppositorum dicun-

tur

tur esse. Huius verò principij naturas opposite si placebit distinguere in illo Mediationis opere secundùm actiones singulareis eius, est principium primum & secundum in eadem persona: vnum, primum, siue principians (vt ita dicamus) λόγος, Filius æternus Dei secundùm naturam diuinam ipsius; & secundum alterum vel principiatum (non enim omne principium est primum) videlicet natura humana subsistens in diuina, & ab ea principium habens essentiæ, potentiæ, & operationum omnium. Horum prius formale principium est diuinarum operationum; posterius humanarum; persona denique communium, inconfusè, inseparabiliter, &c. vt Chalcedonensi & Constantinopolitana 2. Synodo fuit definitum. Sunt autem opera Mediatoris alia diuinæ, alia humanæ, alia communis operationis, quà Mediator est; quod omnes orthodoxi Patres inde à principio consensu religioso agnouerunt. Principium igitur operum Mediatoris quà mediator, est persona Christi Dei-hominis absolutè atque communiter: oppositè verò & distinctè principium est hæc aut illa natura pro modo cuiusque operationis ipsius.

11 Ibid. *non secundùm formam Dei.*] Inconsequens ex particulari: has operationes fecit Christus secundùm formam serui, & omneis igitur. Nam & alias secundùm formam Dei fecit simpliciter, alias verò communiter secundùm vtramque. Exempli causa, formâ Dei suscitauit carnem suam; formâ serui resurrexit caro; formâ personæ communiter suscitat nos in sese in nouitatem vitæ, vt cui omnis potestas in cælo terraque est data.

12 Art.11. *alter ad Eutychianismum deflectit.*] Sapiunt autem Nestorianismum, qui principium operum

rum mediationis naturam humanam ſine diuinæ ſomniant.

CAP. II.

1 Art.3. *ſimpliciter non bene ſonant.*] Nobis verò non videtur vlla interpretatione iſtud enunciatum probari poſſe. Nec verò proba videntur ſequentia, quamuis ex Origene tranſſumpta atque Auguſtino.

CAP. III.

1 Art.1. *Chriſtum exercere officium Mediatoris ſecundùm vtramque naturam, diuinam & humanam.*] Errorem bono ſenſu negamus eſſe.

2 Ibid. *Deitatem Filij obediuiſſe Patri.*] Hæc inuidiosè adferuntur extra quæſtionem propoſitam: ſed quia adferuntur, rem paucis explicabimus. Itaque priùs de ſubiecto, pòſt de prædicato videndum eſt. Subiectum ponitur *Deitas Filij*: hæc conſideratur ſecundùm rem, aut ſecundùm rationem, aut ſecundùm enunciationis modum. Secundùm rem, Deitas Filij & Deus Filius idem eſt; quia idem eſt Deitas & Deus propter ſimplicitatem eſſentiæ in ſingulis etiam perſonis obſeruandam. Secundùm rationem, in conceptu intellectus noſtri diſtinguuntur Deitas Filij & Deus Filius; quia hoc eſſentiam & perſonam ἐνύσιον notat, illud quaſi formam eſſentiæ diuinæ ſubſiſtentis in perſona Filij, & naturam perſonæ ipſius in abſtracto; ſed tamen ita vt propter ſimplicitatem illam, de qua diximus, eſſentiæ non rarò connotet id totum quod Deus Filius eſt. Hinc fit vt ſecundùm enunciationis modum (quem res & ratio coniunctim modificant) diſtinguantur enun-

tur enunciata de Deo & Deitate, & quædam de Deo commodè enuncientur quæ vix niſi incommodè & καταχρηστικῶς de Deitate prædicari poſſunt; quia rei conſideratio in loquutionibus eiuſmodi à rationis, quam coniunctam oportet eſſe, conſideratione diuellitur. Deitas ſuſtentat humanitatem in perſona Chriſti, commodè dicitur; Deus ſuſtentat hominem, incommodiùs: etſi hoc frequentarunt Patres. Contrà, Deus redemit Eccleſiam ſanguine ſuo, commodè dictum eſt; Deitas redemit ſanguine ſuo, duriter atque incommodè. Ad prædicatum venio. Obedire Patri vel factum eſſe obedientem Patri, de Deo Filio commodè enunciatur, vt facit Paulus Philip. 2. quid Deitas Filij? certè ſi ad rem ſolùm attenderis, quemadmodum humanitas & homo eo diſtinguuntur, quòd humanitas naturam & formam notat, homo ſuppoſitum ex natura communi & ſingularitate perſonæ conſtans; ita etiam ſecundùm quemdam modum Deus & Deitas. Proinde quod de homine aliquo enunciatur propriè, illud figuratè de humanitate, quæ pars formalis eſt ipſius, enunciatur: & quod de humanitate duriùs pronunciatur, de homine intelligitur (vt Scholaſticè dicam) connotatione perſonæ. In hunc modum, Deus Filius obedit Patri & obediens factus eſt, verum & rectum enunciatum eſt: at Deitas Filij obedit Patri, &c. verum quidem enunciatum eſt, ſed non adeò recta ratione dictum: intelligitur enim Deitatem in perſona quæ Deus eſt, obedientem factam. Præſertim verò in ijs actionibus quæ naturam directè non attingunt, ſed voluntatem, hæ loquutiones ſunt tolerabiles. Deitas obediens facta eſt, tolerabiliùs dicitur, quàm Deitas paſſa, mortua eſt, &c. quia hoc naturæ Deitatis aduerſatur planè; illud non item, cùm obedientia alia à natura, alia à voluntate ſit manente natura integra: quod Augu-

Augustinus, Cyrillus, & alij agnouerunt. Et tamen quid in hac re non dixerunt sancti illi & religiosi Patres? Illis non adeò cornea fibra fuit: benigniùs interpretari sermones humanos didicerant, quod & nos oportet facere. vide in præfationem Romæ habitam nota 8. ad controu. 1.

3 Art. 2. *Christum esse mediatorem secundum vtramque naturam ratione suppositi, non ratione formalis principij:*] Imò verò & ratione huius, sed duplicis principij, vt cap. 1. nota 10. dicebamus: quia *natura vtraque* (vt ait Leo) *agit quod suum est.* natura enim, testibus philosophis, principium est motus & quietis: est autem in Christo natura duplex: ergo & principium duplex. Sanè humanitas formale principium sanctè dici principium diuinarū operationum nullo modo potest, aut Scripturæ ipsius sacræ & Chalcedonensis Synodi fides conuellitur: atque adeò (vt Bellarmini vtamur verbis in fine præcedentis capitis) *non est in Christo vnum tantùm opus iuxta vnam personam operantis, sed sunt duo opera iuxta duas naturas per quas persona vna operatur: opera enim multiplicantur ad multiplicationem principij formalis.*

4 Art. 3. *Deus & homo.*] Non sequitur: improbant hoc dictum Magistri, ergo negant Christum ratione formalis principij Mediatorem esse. Quin potiùs ex contrario sequitur, si Magister docet Christum esse Mediatorem secundum naturam humanam, non secundùm diuinam, ergo Mediatorem quà Mediator, non fecisse diuinas operationes vllas, quandoquidem nunquā natura humana principium formale esse potest diuinarum operationum (has nemo potest nisi Deus formali principio, id est, Deitate sua) aut si diuinas operationes

tationes vt Mediator fecit, facitque (facit autem) ergo & Mediatorem quoque secundùm naturam diuinam esse.

5 Art. 4. *illuminare mentes, remittere peccata, &c.*] Atqui hoc ipsum (ne longiùs abeamus) perspicuè docet locus Leonis serm. 1. de natali Domini, quem Bellarminus præcedente cap. adduxerat, dicentis: *Nisi esset verus Deus, non adferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* adferre remedium, propriũ deitatis est; humanitatis, exemplũ, quòd tum diuinitati est instrumentum singulare, tum nobis exemplum siue exemplaris forma in Mediationis opere.

6 Ibid. *victimam verò esse naturæ hum.*] Melius sic dixisset ac veriùs, *personæ tribuunt etiam secundùm naturam diuinam*, ex verbis Apostoli Hebr. 9. 14. vide in præfationem huius controuersiæ nota 27.

7 Ibid. *est Pontifex & Sacerdos diuina natura, sacrificium verò humanæ.*] Hoc ex Sarnicij ipsius scriptis, aut ex actis publicis probatum oportuit, non ex Stancari obiectione, cuius hominis etiam apud Bellarminum ipsum incerta fides. Sed tamen, vt demus ita dixisse (quod infitiamur) ita certè dici potuerit, quando res fuit cum eo homine qui diuinum suppositum desiderari ad mediationẽ neget; nempe Christum dixerit etiam naturæ diuinæ respectu Mediatorem esse: quo respectu quisquis humanam excludi asserit, σοφιστεύει. non enim dicitur exclusiuè, diuinæ naturæ respectu solùm, vel secundùm naturam diuinam solùm. Tum etiam iniquum est illud planè, si à dicto secundùm quid (vt loquuntur) concludas simpliciter: quod hic disputator simpliciter facit.

8 Ibid. *partim Eutychianismum.*] Negatur: sed de horum criminum fundamentis postea videbitur.

9 Art.5. *de principio formali, non de ipso supposito.*] Negamus sequi plurimis de causis atque grauissimis. Duo sufficient argumenta. Primum commune est, quod nota 4. & 5. attigimus: Nullius diuinæ operationis principiũ formale est natura humana: Christi, quà Mediator, plurimæ sunt diuinæ operationes: in Christo igitur, quà Mediator, alterum quoddam principium formale insit operationum illarum necesse est. Diuinarum autem non potest nisi diuinum esse, vt in fine præcedentis cap. Bellarminus confessus est. Vtramuis propositionem neget, ea certè ex Scripturis, natura, Patribus est probatissima. secundum argumentum ex singulari enumeratione ducitur operationum, quas Mediatori Bellarminus tribuit in cap. 1. Ex primo opere quod arbitri vocat, sic procedit argumentatio. Arbitrium inter Deum & homines supra humanitatem est: hoc autem primum opus mediationis est, vt suprà cap.1. dictum: quoddam igitur opus mediationis supra humanitatem est. Quod autem supra humanitatem est, id est diuinitatis: arbitrium ergo diuinitatis est, non dico solius, sed cum assumpta humanitate, seruatis naturæ vtriusque proprietatibus. Ex secundo quod vocat internuncij, sic habet argumentatio. Nemo primus & summus internuncius rerum esse diuinarum potest, nisi Deus per deitatem suam: Christus autem primus & summus internuncius rerum diuinarum est; Christus ergo Deus per deitatem suam, velut principium formale, est rerum diuinarum internuncius. Demonstratur propositio ab ipso ordine rerum, & natura Dei. Nam quemcunque alium comminiscamur internuncium, tandem ad Deum ipsum veniamus necesse est, eumque rerum suarum agnoscamus interpretem, quod ipse quoque Aristoteles luce naturæ

vidit

vidit Metaphysic. 1. *Deum nemo vidit vnquam: Filius vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, Ioan.* 1. *Nemo ascendit in cœlum, nisi is qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo*, Ioan. 3. id est, nemo primus & summus est internuncius rerum diuinarum, idemque certus & perfectus, nisi qui Deus est, etiam quà Deus est. hæc autem est persona λόγου, Sermo Dei, Christus Iesus, in cœlo terraque pariter diuinus internuncius à Patre apud nos, à nobis apud Patrem. Non potest primus ille actus humanitatis esse, quo & sine humanitate nunciauit nobis antequàm caro factus esset, & humanitati suæ reuelauit ex quo assumpsit eam. De cætero in humanitate, cum humanitate, & per humanitatem suam nunc est internuncius, non omisso principio formali deitatis ad opus internuncij; sed assumpto principio formali humanitatis suæ, factus internuncius secundùm vtramque naturam suam. Ex tertio, quod intercessoris seu aduocati possumus appellare, obscurior foret consequutio: sed tamen nequid desideretur, ita statuamus argumentationem: Ne tota quidem natura, vt natura est, sufficiens exsistit præstando operi vel vnico supra naturam: Iusta autem intercessio pro peccatoribus & sufficiens apud Deum est opus supra naturam: ergo nec tota natura est sufficiens ad hanc intercessionem iustam. Si placet breuius; Natura non potest principium esse supernaturalis operationis: hæc autem est operatio supernaturalis: ergo huius principium non potest esse natura tota: si non tota, ergo nec humana: si non humana, ergo nec humana Christi simpliciter, quandoquidem secundùm eam similis per omnia fratribus factus est, Hebr. 2. Ex quarto, quod opus satisfactionis est, eadem planè ac euidentior procedit argumentatio, quia nullum principium nisi Deitatis ipsius, principium esse illius satis-

factionis poteſt quæ conſtare coram Deo poſſit. Quòd ſi in ſummam contrahi omnia placuerit, Regnare ad ſalutem & ſaluum facere, proprium Deitatis eſt, quod omnes Prophetæ & Apoſtoli clamant: horum ergo principium non poteſt eſſe humanitas: ſi enim eſſet, certè operatio non foret propria Deitatis. Hæc autem omnia ſunt Mediatoris, quà mediator, opera. Itaque aut non eſt Mediator Chriſtus (quod impium dicere) aut æquè ſecundùm naturam diuinam ac humanam Mediator eſt. *Agit enim vtraque forma* (vt ſcribit Leo ad Flauianum) *cum alterius communione quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exſequente quod carnis eſt. Unum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurÿs:* & quæ ſequuntur. Forma autem vtraque Leoni dicitur id quod principium formale duplex Bellarmino & Scholaſticis appellatur. Quòd ſi vtraque forma opus Mediationis agit, ergo Mediator ſecundùm vtramque naturam dicendus eſt.

10 Ibid. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.*] Non ſequitur; Mediator homo; ergo Mediator quà homo, vel ſecundùm naturam humanam ſolùm.

11 Ibid. *ſecundum quam Chriſtus eſt Mediator.*] At non ſolam: non enim ſequitur excluſio naturæ alterius. Tum falſa eſt interpretatio & abludens à ſcopo Apoſtoli. Nam exponit Apoſtolus cauſas, cur pro omnibus orari oporteat: primũ, quia ſic vult Deus: ſecundò, quia Deus vnus eſt omnium & ſemper idem, quia omneis homines coniunxit ſpecie, naturæ lege, & humano ordine ad ſpeciei naturaliſque iuris conſeruationem pertinente: tertiò quia Chriſtus redemptor communis eſt, cui natura, gratia, officio ſumus coniunctiſſimi: nam idem & homo eſt, & dedit ſe-

dit semetipsum redemptionem pro quibusuis, &c. Hæ causæ, cur attributum illud *homo*, Paulus adiecerit.

12 Ibid. *& serm.* 11. *de verbis Apostoli.*] De natura vna sic dicit Augustinus, vt non excludat alteram: de persona enim dicit, quæ persona est Sermo factus caro; ac proinde Mediator, non quà Deus solùm, aut homo solùm, sed quà Deus & homo in vnitate personæ. Hanc Bellarminus substantialem Mediationem cap. 1. appellauit, & ex hac fluunt operationes Mediatoriæ. Non malè itaque Augustinus dicit priore loco: *Non autem per hoc Mediator est quòd æqualis est Patri*, id est, per naturã diuinam solùm: *per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis. Et quomodo erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est? Ideò Apostolus non ait, vnus Mediator Dei & hominum Christus Iesus, sed homo Christus Iesus*, id est, Deus homo in vnitate personæ: hoc enim ostendit ipsa Iesu Christi appellatio. *Per hoc ergo Mediator per quòd homo*, nimirum factus est: *inferior Patre, per quod nobis propinquior*; nimirum quà Deus, voluntaria œconomia; quà homo, natura: *superior nobis, per quod Patri propinquior*; nimirum quà Deus, naturâ; quà homo, œconomiâ. Hæc omnia religiosè credimus atque confitemur. Sic altero item loco, & alijs quàmplurimis. Ne plura, Sermo fuit sine carne, nam æterna est hypostasis: caro nunquam sine Sermone seu verbo, nam est ἐνυπόστατος. Christus quum homo, aut filius hominis, aut caro factus dicitur, persona semper supponitur, Filius æternus Dei, qui ratione officij Mediatorij est factus caro: sed quum Deus aut Sermo dicitur absolutè, non semper caro supponitur, quia non natura habuit, sed voluntate assumpsit eam. Hæc causa est, quum de Christo Mediatore agitur, cur notetur potius carnis &

humanæ naturæ attributo; quia Christus non est factus caro nisi mediationis respectu; è diuerso autem etiam sine mediationis respectu Sermo est, & sine assumpta carne. Quamobrem exclusiua illa, siue negatiua in hoc argumento est inconsequens.

13 Art.6. *secundùm quam Christus à Deo distinguitur.*] Inconsequens ex homonymia. Nam Christus quum Deo comparatur, distinguitur à Deo duobus modis, natura, & œconomia: natura enim secundùm personam distinguitur à Patre; œconomia secundùm officium distinguitur ab essentia Dei, vt Mediator est. Vtrouis modo acceperis (nam vtrumque verum est) inconsequens manet argumentatio. Etenim persona Christi à persona Dei Patris distinguitur secundùm hypostaseos naturam realiter: secundùm officium verò distinguitur à Deo non per naturam, sed per voluntatem œconomia seu dispensatione gratiæ. Itaque eadem persona quæ secundùm naturam Deus est æqualis Patri, secundùm voluntatē & Deo & seipsa minor est, Ioan.14. Philip.2. Hebr.2. & quū dicitur minor Patre secundùm humanitatem, de persona diuina dicitur, quæ in sese inaniuit seipsam voluntariè, & in humanitate assumpta facta est minor naturaliter.

14 Art.7. *Creditis in Deum, id est, in Trinitatem.*] Ridere, falsum. Sed iudicabat Caluinus propositiones istas dici oppositè. Quæ autem propositiones oppositè de Deo prædicantur, in ijs non essentiæ vnitas tollitur; sed personarum ratio, vt par est, obseruatur. Hoc verò cum Arianis facere non magis potest, quàm cum Iudæis facturum illud est, *vnus Deus*, id est, Pater. Nam vtrumque suis locis sanctè intelligitur. Qui itaque sic argumentantur, ex particulari concludunt in hunc modum: Caluinus hos duos locos

de per-

de persona Patris accipit, quod Ariani vbique præcipiunt fieri: ergo Caluinus ἀρειανίζει. An ergo nomen Dei nusquam accipi volunt de sola persona Patris? equidem non puto eos ita desipere, vt odio Arianorum abrepti ausint hoc statuere contra veritatem. Nomen Dei receptum est pro ratione locorum de essentia dici, & de tribus personis, & de singulis seorsim: quidni & de Patre? Caluinus autem de his duobus locis ex circumstantijs naturaque ipsorum iudicauit. Ecquis adeò desipit, vt propter Arianos aut alios ab ea interpretatione discedendum cogitet, quam esse loci particularis genuinam putat? Cum bonis bene agier oportet, quod vulgo dici solet.

15 Ibid. *cupiunt vt vbicunque legitur, vnus Deus, aut simpliciter Deus, intelligatur Pater, non Trinitas.*] Hoc autem Caluinus non facit vbique, vt Ariani volunt, sed vbi rei veritatem & naturam loci id putauit postulare. Quid enim? an quia Ariani solum Patrem pro Deo æterno habent, soli Patri non competit Dei appellatio, quæ personarum communis est? λόγοι.

16 Art. 8. *per vnum Deum, non Patrem, sed Trinitatem intellexerunt.*] Fraudem facit auctoribus. Nam propriam atque primariam loci interpretationem de Patre esse docuerunt propter oppositionem personæ Christi; secundariam verò & consectariam de Trinitate, quia Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus infinitus, indiuisus, æternus Deus, cuius affirmatione alij omnes negantur Dij. Sic enim Chrysostomus: καὶ πάλιν, εἷς γὰρ θεὸς, οὐ πολλοί, καθὼς οὗτοι νομίζουσι. δεικνὺς ὅτι σωθῆναι θέλει πάντας, εἶπεν ὅτι καὶ μεσίτην καὶ υἱὸν πέπομφε, τί οὖν; ὁ υἱὸς οὐ θεός; καὶ σφόδρα. πῶς οὖν φησιν, εἷς; πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν εἰδώλων, οὐ πρὸς τὸν υἱόν· περὶ γὰρ ἀλη-

θείας καὶ πλάνης ἦν αὐτῷ ὁ λόγος. &c. Non dicit illis verbis istius loci, *vnus Deus*, contineri Filium, quem vnus ille Deus mediatorem misit; sed tantùm hoc dicit, non excludi; quia videlicet vox *vnus* non remouet personas sanctæ Trinitatis, sed remouet Deos qui putantur, cùm vnus sit tantùm essentia Deus. Euidentiùs Oecumenius: nam postquam dixit exemplo Chrysostomi, τὸ γὰρ, εἷς θεὸς, οὐ πρὸς ἀντιδιαστολὴν κεῖται τοῦ υἱοῦ ἢ τοῦ πνεύματος, ἄπαγε· ἀλλὰ πρὸς τοὺς οὐκ ὄντας, λεγομένους δὲ θεούς· illico subiicit, ζητεῖται δὲ, διὰ τί τοῦ πνεύματος οὐκ ἐμνήσθη; &c, *quæritur autem, cur Spiritus non meminerit?* quam profectò quæstionem non fuisset adiecturus, si voces illas *vnus Deus* de tribus personis enunciauisset. Itidem Theophylactus. Sed quid Ambrosium non respexit? dicit enim, *Dei & Christi vnam significat esse voluntatem in saluandis hominibus. Unde Deum Patrem, quia ab ipso est omnis auctoritas, vnum esse fatetur, & vnum Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum. Missus enim à Patre factus arbiter,* &c. Verum igitur illud est, Filium vnum esse Deum cum Patre & Spiritu sancto vnitate essentiæ: sed non ideò sequitur, ergo contineri necessariò & intelligi Filium appellatione Dei, vbi distincta fit personarum inter se oppositio.

17 Ibid. *mediatorem inter Trinitatem & homines peccatores.*] Augustinus ibi locum Pauli explicat Rom.8. non autem 1.Tim.2. sed (vt de re dicamus) totam hanc interpretationem, quia de essentia diuina dicitur, simpliciter Caluinus non negat (rem enim agnouit sanctè atque professus est) sed huius loci non esse iudicauit, quia personarum hîc inest oppositio, quam Chrysostomus homil.16. in epistolam ad Hebræos, Ambrosius in hunc locum, & alij probant. Vtrumque ergo est per se verum, quia & persona personæ

ſonæ verè opponitur, & natura τῇ οἰκονομίᾳ, diſpoſitioni ſiue diſpenſationi: ſed vtrùm de hoc loco vtrumque verum ſit, aut vtrum potiùs verum, hæc demum quæſtio agitur.

18. Ibid. *homo nō iniquus, ſed tamen infirmus.*] Senſus horum verborum eſt: Chriſtus, qui Mediator eſt à Patre datus, & ſtitit voluntariè ſeipſum vadem, hic ergo factus eſt homo, &c. Itaque Chriſtus non ſolùm quà homo, ſed etiam quà Deus, mediator eſt inter Deum & homines: nam Mediator Chriſtus factus eſt homo ex Auguſtini verbis, quorum ambiguitate Bellarminus hîc abutitur.

19 Ibid. *2. cap. epiſt. 1. ad Timo.*] Non alia Auguſtini, Bedæ, Anſelmi ſententia, quàm quæ modò à nobis dicta eſt. In eo diſcrimen totum eſt, quòd verba illa, vnus Deus, alij accipiunt eſſentialiter de tribus perſonis, alij perſonaliter de Patre. Qui eſſentialiter, perſonam Chriſti Mediatoris opponunt οἰκονομικῶς· qui perſonaliter, opponunt ſecundùm naturam, cùm perſona vna non ſit altera, ſed realiter inter ſe diſtinguantur. Poſteriorem interpretationem plerique probant, vtrique fide inter ſe conſentiunt. Re conuenit, licet non modo interpretationis.

20 Art. 9. *tota igitur Trinitas à Mediatore hominibus reconcilianda erat.*] Antecedens verum, de quo agetur ampliùs cap. 5. ſed conſequens nulſ... modo eſt neceſſarium, quia diuerſo reſpectu vnus Deu... dicitur, puta eſſentiæ, aut perſonæ. Non autem eſſen... tiæ, quia fit comparatio perſonæ Patris cum perſon... Filij, ſiue oppoſitio: ergo reſpectu perſonæ. Neque verò de reconciliatione Paulus ſermonem habet, quum argumentum iſtud ingreditur; ſed de officio charitatis, quo alij aliorum ſalutem debemus procu-

rare, quia vnus est nobis Deus, & Mediator de Deo Deus. Alioquin si vnus Deus secundùm essentiã naturamque dicitur, Trinitas significatur tota, quæ fuit peccato hominis offensa. At in Filio (vt antè dicebamus nota 13.) duplex spectatur ratio: vna, essentiæ naturæque diuinæ, secundùm quã & ipse offensus est: altera œconomiæ, secundùm quam hæc persona, quamuis offensa, est medians & reconciliatrix inter Deum & homines officio voluntario. Hac enim œconomia Filius inaniuit sese, Phil. 2. Et quid impedit, obsecro, quominus persona vna offensa partes Mediatoris recipiat in se ad reconciliationem omnium?

21 Ibid. *& ipsam rationem reÿcit.*] Rem vt negemus, absit: neque simpliciter hanc interpretationem damnamus: sed vt sit necessarium huic stare interpretationi, & illam Caluini damnare, aliæ sunt admouendæ machinæ.

22 Ibid. *nec propterea sequitur quaternitas.*] Omnino sequeretur quaternitas, data oppositione personæ, ad quam Caluinus & alij respexerunt. Nam si vnus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus (vt certè vnus est) Mediator verò alius est, & tamen Deus; quatuor personæ planè futuræ sunt: quod est falsissimum. At respectu essentiæ citra oppositionem personalem, id minimè sequitur omnium. Nam Deus vnus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnitate essentiæ: & vnus, id est, vna persona est Mediator Dei & hominum, Christus Iesus, Deus-homo naturâ, Mediator œconomia voluntatis suæ.

23. Ibid. *cui debetur satisfactio, & simul ipse est qui satisfacit.*] Falsum: nam Christus Deus & homo quidem est, numeraturque inter personas Trinitatis & inter nos propter naturas duas; in vtraque verò natura

natura Mediator est Dei & hominum propter œconomiam voluntatis suæ. Quamobrem in sequentibus dicendum fuisset, Ipse enim, vt est θεάνθρωπος siue Deus-homo, Mediator est ad seipsum, vt Deus est: quæ res cap. 5. & sequentib. exponetur.

Cap. IIII.

1 Art. 2. *esse Pontificem propter humanitatem,*] Dictum Cyrilli adfirmamus; sed glossema istud attextum negamus. Cyrillus enim quum dicit, *propter humanitatem*, assumptam humanitatem intelligit: id est, propterea quòd Deus Verbum factus est caro, & humanitatem assumpsit, vt coniunctum Mediationis instrumentum in vnitate personæ. Itaque suppositum seu persona Christi, non autem natura tantùm altera, Sacerdos dicenda est, & mediationis consummatrix.

2. Ibid. *sacrificium sibi ipsi obtulisse & Patri.*] Negatur consequentia.

3 Ibid. *offert igitur tantùm vt homo.*] Propositionem maiorem accipimus, si hoc adieceris, vt idem secundùm idem vel eodem respectu: & nobiscum facit. Nam ex ea sic inferimus: Atqui Christus sacrificium accepit vt Deus offensus in natura: obtulit igitur vt medians Deus-homo in œconomia seu voluntaria dispensatione gratiæ. Illa itaque Bellarmini nec vera est simpliciter, nec consequens verum ex elenchi ignoratione concinnatum.

4 Ibid. *inquantum verò mediator est & Pontifex, nostras preces ad Deum adducit.*] Persona videlicet, aut suppositum, vt vocant, verbum caro factum. Probatur: nam nostras omnium simul, qui in terra vbiuis locorum sumus, preces audire, accipere, & offerre

& offerre simul, est naturæ diuinæ opus, siue personæ secundùm naturam diuinam: hoc autem Pontificis atque Sacerdotis officium, quà Pontifex & Sacerdos noster.

5 Art.3. *solùm secundùm formam serui vult Christum esse mediatorem.*] Mutilantur hoc loco verba Chrysostomi: nam ita scribit; *sed est alia quidem res, & alius est Mediator; vt matrimonij est mediator non qui iungitur matrimonio, sed qui opem fert ei qui ducturus est vxorem*, &c. Nam si Christus non est dominus rei simpliciter, profectò nec Deus: est autem Deus: ergo & rei dominus est vt Deus. Est autem natura Deus: ergo & natura Dominus quà Deus. Sed quà idem Mediator factus dispensatione voluntatis, idemque minor seipso factus; hoc sanè respectu dominus est non dominio naturali, quia dominium hoc deposuit quodammodo cedens per œconomiam, sed dominio dispensatiuo seu œconomico & mediatorio; prout appellauimus atque distinximus libri 1. cap.16. nota 10. Negatur ergo conclusio, quia elenchus est sophisticus. Hoc autem sibi voluit Simlerus sequente loco, quum deitatem Christi dominam essentiali dominio in natura, non autem dominam eodem dominio in exinanitionis statu pronunciaret: quod dictum ridet disputator, non diluit.

6 Art.4. *quia formam serui accepit, non amissa tamen forma Dei.*] Argutiæ sunt, & aucupia verborum. Nam exinanitio personæ Filij conuenit secundùm naturam diuinam, quia secundùm naturam hanc assumpsit formam serui; ex quo non raro Patres naturam hanc assumentem, illam assumptam nominarunt: atque hæc persona secundùm naturam hanc diuinam exinaniuit sese (vt loquuntur orthodoxi Patres) ἑνώσει

καὶ φανερώσει, quum & naturam humanam assumpsit adunans sibi, qua de re Augustinus ad Volusianũ multis, & se in carne formaque serui hominibus conspicuũ fecit. Non caro se exinauiuit, sed Verbum seu Sermo; non caro in Verbo, sed Verbum in carne. Quapropter dicebat Apostolus de Christo Iesu: *Qui quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam parem esse cum Deo, sed ipse inaniuit sese, forma serui accepta similis hominibus factus.* Philip. 2.6.

7 Ibid. *sed naturam creatã, vt Ariani volunt.*] Hoc Simlerus non dixit; sed *Deitatem nudam*, id est, citra rationẽ τῆς ἐνανθρωπήσεως, & simpliciter secundùm absolutam rationem ipsius Deitatis, esse dominam diuino atque essentiali dominio scilicet. Huic verò, opponit Deitatem vestitam carne (vt ita dicamus) ratione exinanitionis, id est, Deum carnem seu hominem factum. Atque hic certè, quà homo factus est & exinanitus inter nos, non est dominus dominio illo essentiali æternoque: nam illa Dei forma est, hæc forma serui.

8 Art. 5. *& cum Patre & Spiritu sancto vnus Deus.*] Hoc loco & sequentibus omnibus habetur ratio suppositi, quà θεάνθρωπος est, Deus homo in vnitate personæ. Nam inquantum Christus Deus factus est homo, intantum est Mediator: non inquantum Deus est solùm (nam citra humanitatis rationem non est medius) non inquantum homo solùm (nam humanitas non est ὑπόστασις, sed ἐνυπόστατος in persona Filij Dei, operationes autem sunt suppositorum seu ὑποστάσεων) sed hæc persona humanitate assumpta intermedia facta est non secundùm hanc aut illam naturam, sed secundùm suppositum in vtraque agente quod suum est. Operationes, in quibus est & Media-

tio,

tio, sunt à suppositis, à naturis verò principia suarum operationum. Et rectè Nicolaus de Lyra in Esaiæ 42. *humanitas Christi*, inquit, *est instrumentum diuinitati coniunctum: & ideò non mouetur ad aliquid, nisi secundùm motum diuinitatis.* Quum ergo dicit Augustinus, in hunc modum, *Inquantum homo*, intelligendum est, inquantum Christus est homo factus, ac non homo solùm, *intantum Mediator: inquantum autem Verbum* solùm vel citra humanitatem, *non medius, quia æqualis Deo*, &c. Supponitur nempe persona diuina κατ' ἀναίρεσιν. sine assumpta carne: sed caro siue humanitas non supponitur, nec supponi debet sine Verbo assumente, quia caro nunquam substitit, nec subsistit in se, sed in Verbo solùm. Sic sequentia omnia.

9 Ibid. *sed hominem Christum Iesum.*] Videlicet *non Deum* solùm atque simpliciter sine carne: *sed hominem*, id est, sed Deum-hominem in vnitate personæ.

10 Ibid. *in forma serui, mediator Dei & hominum.*] Christus in forma serui, id est, Deus homo: non enim forma Dei remouetur per adiectionem seruilis formæ assumptæ in vnitatem personæ.

11 Ibid. *mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*] Secundùm hominem Christus Rex & Sacerdos effectus dicitur, id est, persona illa diuina, etiam in humanitate assumpta. Officium ergo & operatio est personæ; principium, naturæ huius & illius.

12 Ibid. *in forma serui sacrificium maluit esse.*] Hoc illud est quod dicimus, Christus in forma Dei accipiens formam serui, Mediator effectus est, & opus Mediatoris facit. Sic etiam sequentia.

13 Ibid.

13 Ibid. *quia sine labe peccati.*] vide suprà cap.3. nota 18.

14 Ibid. *non iniquus, sed tamen infirmus.*] vt suprà cap.3. nota 18.

15 Art.6. *homo est Iesus Christus.*] id est, non inquantum Deus solùm, sed inquantum Deus-homo factus in carne conspicuus, vt nota 8.

16. Ibid. *homo Christus Iesus.*] Hoc affirmat, non negat illud. Mediator est, inquit, non quà est solùm simpliciterque Deus, sed quà Deus factus caro.

17 Ibid. *in humana natura Mediator Dei & hominum factus est.*] Non dicit, in humana natura solùm, neque exclusionem diuinæ statuit; sed supponit vnionem vtriusque naturæ in vnitate personæ ad vnitatem operationis. Hoc nos religiosè profitemur.

Cap. V.

1 Art.1. *distans ab vtraque parte dissidente aliquo modo.*] Non natura, sed modo aliquo diuerso. Meliùs itaque dixeris: *Mediator debet esse medius*, id est, naturâ quidem cum vtraque parte quæ concilianda est, velut terminis quos adunari oporteat, communicans; sed aliquo tamen modo ab vtraque parte dissidente distans. Sic falsa sequentia.

2 Ibid. *imò nec fingi, quo pacto sit Mediator.*] Intellige, *idem* omni modo, ac non natura solùm.

3 Ibid. *non autem vt Deus est.*] Negatur: nam definitio conuenit Christo, vt est θεάνθρωπος, id est, non natura à parte alterutra, sed modo differens. Modus autem est illa οἰκονομία siue dispensatio, qua Emmanuel noster

noster & Sermo factus caro, sibi humanas nostras, & nobis res suas, id est diuinas οἰκειῶν siue approprians (vt loquuntur Patres) in vno corpore nos reconciliat Deo per crucem, Ephes.2.16. Alioquin respectu naturæ, quà Deus, conuenientiam habet cum Deo; quà homo, nobiscum: & contrà, quà Deus, distat à nobis; quà homo, à Deo. Sequentia itaque nihil ad rem.

4 Ibid. *non distat à Deo vllo modo, id est, nec natura, nec iustitia, nec vllo alio modo:*] Falsum: distat alio modo à Deo, quà Deus; nimirum œconomia voluntaria, quòd quum esset in forma Dei, ipse inaniuit sese forma serui assumpta, &c. Philip.2.6. imò distat à sese quodammodo, quà inaniuit se.

5 Ibid. *inter Deum & homines peccatores.*] Negatur consequi ex insufficiente enumeratione, vt modò dictum est. Christus enim consideratur, aut vt Deus solùm, nullo modo à Deo natura distans; aut vt homo solùm, nō distans ab homine; aut vt θεάνθρωπος, natura cum vtrisque communicans, sed modo ab vtrisque differens: quam rem proximè in ratione 2. disputator cogitur agnoscere, dicens *Christum secundùm vtramque naturam simul sumptam distare à cæteris hominibus, & etiam à Deo Patre & Spiritu sancto*, nimirum κατ' οἰκονομίαν, dispensationis illius modo.

6 Ibid. *Mediator est homo, non iniquus, sed infirmus. in Psal. 29.*] id est, qui Mediator est Christus, homo est: supponitur persona, prædicatur humanitas: quemadmodum Augustinus posteà ibidem dicit, *nec illum hominem tibi conferas, quia propter te homo Deus tuus & verbum Filius Dei*, &c. Turpe est, & à religione, adeoque à ratione dissonum, si in his loquutionibus subiectum à prædicato diuiseris.

7 Art.2.

7 Art. 2. *non secundùm vtramque simul;*] Negatur hæc pars assumptionis: nam nisi vtramque haberet simul, & nisi vtraque simul ageret, non foret inter vtrosque Mediator, vt nota 3. & 4. & 5. dictum. Itaque non natura differt à Deo Patre & Spiritu sancto, non persona à se; sed differt œconomia, qua Filius Dei se exinaniuit formam assumens serui, & θεάνθρωπος mediationem perficit.

8 Ibid. *ad cuius placationẽ Mediatore opus sit.*] Nec personâ quidem, nec naturâ distat, sed ratione seu modo, quem dicunt οἰκονομίαν· quia idem & facto nostro offensus est vt Deus, & voluntariè præstat mediationem facto suo œconomico, vt Deus & homo simul in vnitate personæ.

9 Art. 3. *Christum vt Deum, esse Mediatorem sui ipsius.*] Iosias Simlerus dicit, etiam vt Deum: pro eo quod est, non solùm vt homo est, sed vt θεάνθρωπος, Mediator est sui ipsius.

10 Ibid. *Mediator sui ipsius, vt Deus est.*] Negatur: nam Christus vt homo solùm non est persona, sed quiddam naturæ nostræ in ipso ἐνυπόστατον. Operatio autem est personæ: mediatio verò est operatio: est igitur personæ mediatio. Prætereà autem quæ ratio est corporis ad animam in nobis, eadem est humanitatis ad diuinitatem in persona Christi: corpus autem est instrumentum animæ, & nihil agit nisi quà agitur ab anima vt principio suo: ergo humanitas instrumentum diuinitatis est, & nihil agit nisi quà agitur ab agente principali suo. Si nihil, profectò nec

diuinum illud & salutare mediationis opus, opus (vt loquuntur Patres) creatione maius.

11 Ibid. *inuoluit apertissimam contradictionē.*] Mediatorem dicimus sui ipsius esse, etiam vt Deus, hoc est (vt dicamus planiùs) vt est θεάνθρωπος, secundum œconomiam voluntatis, non secundùm rationem naturæ absolutè huius aut illius. Sequentibus itaque aërem verberat: Christus enim à seipso distat, diuersa ratione & modo consideratus. Non est mediator vt Deus solùm, nec Mediator vt homo solùm: sed Mediator est etiam vt Deus (quod Simlerus expressit) etiam vt homo; siue Mediator est vt verus Deus verus homo in vnitate personæ, vt Deus caro factus. Sic non est Mediator eodem modo, prout hîc adfirmatur: cùm vt Deus sit offensus, vt Deus-homo offensam soluat. Quòd autem homo factus est, id non est naturæ, sed œconomiæ seu dispensationis voluntariæ. Tamquam si Regis filius (vt magnis liceat componere parua) & vnà cum Rege offensus, vltrò ad perduelleis transiret dispensatione quadam iustitiæ & misericordiæ, præstiturus eorum culpam, daturus pœnas, & omneis reconciliaturus in seipso, vt exponit Chrysostomus in Hebr. 9.

12 Ibid. *Restat igitur, vt solùm secundùm humanam sit Mediator.*] Ex falsis assumptionibus duæ conclusiones falsæ. Præmissas antè refellimus.

13 Art. 4. *tres personæ essent Mediatores.*] Ambiguè: ex quo aut antecedens falsum, aut consequens. Nam Christus Mediator est secundùm personam propriè, non secundùm naturam: falsum igitur antece-

antecedens. Sinautem Bellarminus naturam accipit pro ſubſiſtentia perſonali, quæ inde à tempore incarnationis ex natura diuina & humana conſtat, loquitur impropriè; & falſum eſt conſequens propoſitionis iſtius. Poſtremò vtut accipiat, negatur propoſitio: cuius vanitatem in ætiologiam ſequentem demonſtrabimus.

14 Ibid. *opera Trinitatis eſſe indiuiſa.*] Iſta omnino nihil ad rem, cùm æquiuocatione diffluant. Mediatio enim non conuenit perſonæ ſecundùm naturam communem Deitatis, id eſt, eſſentiam ſimpliciter; ſed ſecundùm naturam ſingularem, vel formam ſubſiſtentem, quam perſonalitatem vocant. Aliud eſt natura communis, aliud ſingularis & indiuidualiter ſubſiſtens. Quæ autem poſteà de operibus adferuntur, magis ſolutionibus ſuis implicat diſputator quàm explicet. Simlerus enim, vt oſtenderet vnam perſonam agere perſonalitate ſua, tamquam formali principio, adfert exempla duo, internarum & externarum operationum. Atque hoc quidem externarum operationum genus propriè nihil ad cauſam, cùm hîc de opere perſonæ agatur, ac non eſſentiæ: niſi quis fortè ſingulare perſonarum opus eſſe negauerit. Verumtamen (vt rem declaremus paucis) quod hîc de internis operibus à Bellarmino adfertur, probo: de externis nec perſpicuè dictum, nec ſatis. Externæ igitur operationes ſunt eſſentiæ totius, id eſt, trium perſonarum communes, principio, actione, & apoteleſmate, vt vocant. Principium autem eſt duplex: vnum commune harum operationum omnium, quod eſt diuina eſſentia; alterum ſingulare, & ad eas operationes pertinens quæ ad vnam aliquam perſonam ſanctæ Trinita-

tis (vt cum Scholasticis loquar) terminantur, quamuis principio communi conueniant. Hoc personale principium vel determinatum commodè dixeris. Vt enim essentia est vniuscuiusque personæ; sic etiam personæ cuiusque est illa essentialis externa operatio, sed quæ pro ratione proprietatis personalis eius ad hanc aut illam personam terminatur. Sic Magister sentent. lib. 3. dist. 1. *Sicut inseparabilis & indiuisa est vnitas substantiæ trium, vt ait Augustinus in libris de Trinitate, ita & operatio. Non tamen eamdem Trinitatem natam de virgine, crucifixam, & sepultam catholici tractatores docuerunt, sed tantummodò Filium: nec eamdem Trinitatem in specie columbæ descendisse super Iesum, sed tantùm Spiritum sanctum: nec eamdem dixisse de cœlo, tu es Filius meus, sed tantùm Patris vocem fuisse ad Filium factam: quamuis Pater & Filius & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita & inseparabiliter operentur.* Significari ergo & repræsentari (quibus verbis Bellarminus vtitur) nec satis clara sunt, nec satis significātia. Longè ampliùs dicit Henricus de Gorichem suis in Magistrum conclusionibus, agens de incarnatione Filij, quamuis abiecto indignoque simili: *Exemplificat*, inquit, *de tribus puellis vni de ipsis tunicam induentibus: quæ omnes operantur ad induitionem, & tamen vna sola est induta.* Sic de cæteris.

15 Art. 6. *quæ sunt idem Deus cum Christo.*] Antecedens æquiuocum, & falsum consequens. Æquiuocè dicitur illud, *vt Deus est*. nam Christus Deus esse dicitur aut ratione communi essentiæ, aut singulari personæ: nos de ratione singulari dicimus, hîc de communi arguit: tum non dicimus actiones Mediatoris conuenire Christo vt Deus est, sed vt Deushomo,

homo, θεάνθρωπος. Prætereà verò optimo iure negatur conſequens. Nam mediationis partes ſunt duplices (vt Apoſtolus ad Hebræos auctor eſt) τὰ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ τὰ πρὸς ἡμᾶς. Ac ea quidem quæ in nos fiunt, communiter facit Trinitas principio eſſentiali, Mediator verò facit perſonaliter & ſingulariter principio terminali à quo, vt modò dicebamus: vel (ſicui magis placet) ſecundùm eſſentiam agit Trinitas, & perſona ſimul ſecundùm ſe: etſi Mediator *non ſecundùm Deum*, ait Dionyſius ad Caium, *diuina faciens, non humana ſecundùm hominem; ſed ſecundùm Deum hominem factum, noua quadam Dei & hominis operatione.* Quæ verò apud Deum, ea non ſine eſſentia Mediator agit (nam indiuiſa eſt & inſeparabilis Trinitas) ſed eorum tamen operationes ad perſonam ipſam terminantur: ac proinde ſecundùm terminum à quo & terminum ad quem, vt vocant, diſtinctam perſonarum rationem habent, nec Trinitatis communia abſolutè dici poſſunt. Conſulatur Thomas in ſumma p.3.q.19. Sunt ergo Mediatoris actiones, quà Mediator eſt, aliæ ad intra, aliæ ad extra, vt loquuntur vulgo: & earum, quæcunque ſunt, diſtingui oportet modos pro ratione terminorum, integra tamen communicatione operum ſecundùm eſſentiam permanente.

16 Art.7. *ad ſolum Spiritum ſanctum repræſentandum.*] Frigida ſunt iſta, ſignificare, repræſentare: nec declarant rei veritatem. vide notam 14.

17 Ibid. *quæ ſolius perſonam Patris oſtenderet.*] Hæc non ſunt vera ſimpliciter, niſi ſi fortè Bellarminus mentem ſuam meliùs expreſſerit. Nam actio vera atque realis eſt; tum eſſentiæ, quà indiuiſa eſt & fertur

ad res exteras; tum personæ, interdum etiam secundùm vtrumque terminum quem modò dicebamus. Sic idem & opus Trinitatis est, & vnius personæ de Trinitate opus secundùm terminum ostenditur: quod Augustini verbum incommoda æquiuocatione falsus Bellarminus exponit significandi & repræsentandi verbis impropriè. Et falsum igitur consequens.

18 Ibid. *ad hæresin Patripassianorum manifestè pertinent.*] Negamus duplicem hanc consequentiam, & negant ipsi Scholastici. præmissas antè refellimus.

19 Art. 8. *sed solùm secundùm humanitatem;*] Imò secundùm personam siue suppositum in vtraque natura, vt sæpius dictum.

20 Ibid. *facere diuinitatem Filij sacerdotem, est apertissimus Arianismus.*] Negatur: nam aliud est de diuinitate Christi in se agere secundùm naturam ipsius seorsim, aliud in supposito siue persona, ex quo Sermo est caro factus per exinanitionem œconomicam secundùm voluntatem consiliumque gratiosum ipsius. Nec verò procedit rectè à communi indiuiso ista argumentatio, à persona ad naturam.

21 Ibid. *omnis sacerdos est minor eo cuius est sacerdos;*] Rectè: sed minor aut natura, aut consilio œconomico & voluntate libera. Prius affirmabant Ariani, nos autem negamus: posterius cum tota Scriptura asserimus. Etenim etiam minor Angelis est, Hebr. 2. ministerio œconomico & voluntario.

22 Ibid.

22 Ibid. *nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis adscribat.*] Hæc verba nobiscum faciunt planè, quæ disputator eludit æquiuocatione: nam humanam conditionem appellat Ambrosius τὸ σύνθετον (vt Damasceno dicitur) quà humanitas condita atque coniuncta in vnitatem est personæ (commixtam veteres duriùs interdum vocauerunt) cum Verbo, & assumpta à Verbo. Itaque sequentia agunt de supposito: puta non de Verbo solùm vt Deo, aut de carne solùm, sed de Verbo carne facto, vt iam sæpius diximus, & Dionysij verba docuerunt suprà nota 15.

23 Art. 9. *sed illi qui post luciferum natus ex Virgine est.*] id est, iurauit Verbo quod factum est caro: quis negat? sic sequentia omnia.

24 Ibid. *non ergo Christus vt Deus, sacrificauit, nisi ex sententia Arianorum.*] Ariani de Filio Dei absolutè dixerunt istud: nos Filium Dei ministrum & Sacerdotem Patris esse agnoscimus, non quà Deus est natura, sed quà Deus-homo, θεάνθρωπος est œconomia voluntatis suæ, conuenenter Scripturæ sacræ. Bellarminus fallit elenchi ignoratione: Arianismus nihil ad nos.

25 Art. 10. *hæc enim omnia arguunt naturam inferiorem.*] Imò & personam ipsam inferiorem arguunt secundùm naturam quidem, quà homo; secundùm voluntatis verò dispensationem & consilium œconomicum, quà Deus in carne φανερωθείς.

26 Ibid. *non igitur potest Christus, vt Deus, esse mediator, nisi, vt Deus, sit minor Patre & Patri seruiat vt minister.*] Neutrum à nobis dicitur. Nec Christus vt Deus, sed vt Deus-homo, Mediator est; nec minor est Patre & seruit Patri vt Deus, sed vt Deus-homo, Verbum caro factum. Hic ergo aliorsum ruens quid nisi σκιαμαχεῖ, quod aiūt?

27 Art. 11. *damnata in* VI. *Synodo, Act.* 17.] Negatur consequens, & negat Leo in celebri illa ad Flauianum Constantinopolitanum epistola, de qua mox dicturi sumus.

28 Ibid. *quæ fiebant à Deo verbo per carnem vt instrumentum.*] Atqui miracula erant opera Mediatoris, vt Mediator est; & signa doctrinæ salutaris, quam Christus Mediator federis & Propheta noster adferebat.

29 Ibid. *quam habet ex propria sua forma & essentia.*] Vna operatio dicitur æquiuocè. Dicam euidentiùs. Omnis operatio consideratur absolutè, aut comparatè atque oppositè. Nam cùm operari sit hypostaseos vel personæ subsistentis, certè vnam operationem numero tribuimus personæ absolutè. Cùm autem formæ seu naturæ duæ sint in persona Christi, à quibus species constituitur cuiusque operationis; ideò pro diuersitate formarum principiorumque duas operationum species agnoscimus. Sic vna eademque operatio, & vnica est numero, & specie duplex; ὑπερφυσικὴ diuinaque deitatis, humanitatis φυσικὴ siue humana. Nam & diuina natura & humana suam pro-

 priam

priam quamdam habent operationem singulæ: & diuina tamen vtitur operatione humanæ, vt instrumenti coniuncti sui; & humana participat operationem diuinæ, sicut instrumentum operationem principalis agentis sui participat. *Non enim est alia saluatio*, inquit Thomas, *qua saluat humanitas Christi & diuinitas eius: sed agit vtraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est*, vt Leo ad Flauianum scribit. vide suprà cap.3.nota 9.

30 Art.12. *sed tantùm vt applicabatur à Deo ad illud opus.*] Hæc autem opera sunt Mediatoris, vt Mediator est: quod & nota 28. dictum.

31. Ibid. *& hæc est hæresis in eo Concilio damnata.*] Vnam numero appellant Scholastici & agnoscunt: nam etiam sectio à putatore & securi facta, est vna numero. Nec aliter Scriptura loquitur, Ioan.7.21. *Respondit Iesus, & dixit eis, vnum opus feci, & omnes miramini.* Ioan.2.11. *hoc initium signorum fecit Iesus Canæ.* Hęretici autem illi de quibus in Concilio 6. vnam operationem specie & numero, vnumque solùm principium operationum in persona Christi ponebant: nos negamus.

32 Art.13. *sacrificare, quod est officium Mediatoris, proprium est Christi, vt homo est.*] Negatur consequentia, præmissis subrutis. Non sacrificauit Christus vt homo solùm; sed vt Deus-homo, Verbum caro factum, prout nota 15.& sequentibus ostendimus. Nam sacrificia cætera omnia dicta fuerunt æquiuocè ex relatione & significatione ipsorum;

hoc vnum verò sacrificium est vniuocè. Ergo & sacrificare hoc loco dicitur æquiuocè. Sacrificia Gentium falsa, Iudæorum typica, piorum metaphoricè dicta: at vnius Christi verum & propriè dictum sacrificium est θεανδρικὸν (vt Dionysius loquebatur) sine confusione aut diuulsione operationum ad naturas eius pertinentium in vnitate personæ; quia non homo solùm, sed Deus-homo is est qui diuinas operationes in humanitate sua præstat seruatis vtriusque naturæ proprietatibus. Consulatur Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 19.

33 Ibid. *patet, quia conuenit etiam puris hominibus.*] Negatur, nisi æquiuocè dictum sit. falsum igitur consequens. Nam contrà si diuiduntur in hunc modum operationes, etiam naturæ cum Nestorio diuiduntur.

34 Ibid. *damnata, ac fere exstincta.*] Antecedens ambiguum: nec enim Christo id conuenit, vt Deus est solùm; neque vt homo solùm; sed vt θεάνθρωπος est Deus-homo. Sic enim per Spiritum æternum Dominus seipsum obtulit inculpatum Deo Patri, & idem emundat conscientiam nostram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuo, Hebr. 9. 4. id est, non solùm secundùm naturam hanc nostram, sed etiam secundùm diuinam illam perficit, tum quæ apud Deum postulat mediatio, sacrificium puta, satisfactionemque & meritum sacrificij, tum quæ apud nos, puta efficacitatem in nobis ex merito illius. Sic etiam exponit Thomas Aquinas p. 3. q. 1. art. 2. dicens, *Hominis puri satisfactia non potuit sufficiens esse pro peccato: tum quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec*

bonum

bonum alicuius personæ vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompensare: tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis. Tanto enim offensa est grauior, quanto maior est ille in quem delinquitur: vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam; vtpote Dei & hominis exsistens. Nam is profectò Deus est, qui Ecclesiam suam redemit sanguine suo, Act.20. Quamobrem negatur consequentia.

35 Art.14. *sed efficacia & dignitas illius operis est propria deitatis.*] Ipsa verò sacrificandi actio (quod tertium hoc loco omittitur) est personæ vna secundùm vtramque naturam communiter; Dei hominis est. Sequens itaque argumentatio caduca est. Sed quia hæc indistinctiùs adferuntur, rem ampliùs declarabimus. Omnis humana actio rebus quatuor circumscripta est; principio, opera siue actu, opere siue apotelesmate, & efficacia. Principium commune est persona seu homo: qua in persona sunt principia agendi duo inter se distincta; vnum formale, anima; alterum organicum seu instrumentale, corpus. Ab his principijs actus siue actiones procedunt; communiter quidem ab homine; à singularibus verò principijs singulariter, naturales & voluntariæ: tam simplices, quæ actus sunt interni aut externi solùm, quàm compositæ ex actu interno & externo simul. In his autem actus interni principium est anima, externi corpus. Ex his exsurgit compositum opus seu ἀποτέλεσμα, commune quidem totius personæ, sed distinctum in persona secundùm principia singularia & modum ipsius; in qui-

in quibus compoſitis actus internus rationem habet formalis, quia principio formali hæret; externus verò rationem materialis, quia ab inſtrumentali principio eſt & ſecundùm ipſum. Efficacia conſequitur antecedentia; à tota quidem perſona & actione fluens communiter; ſed à formali principio principaliter. Hæc humanarum operationum ratio. Iam verò quæ ratio eſt corporis ad animam in nobis, ea eſt humanitatis ad diuinitatem in perſona Christi, vt ſuprà cap. 4. nota 8. dicebamus. Proinde (vt quatuor illa eodem ordine perſequamur) principiũ commune eſt perſona Christi θεανθρώπου ad omnem actum & operationem: in eadem verò perſona principia agendi duo inter ſe diſtincta; vnum formale, diuinitas; alterum inſtrumentale, humanitas. Ab his principijs actus ſiue actiones procedunt; communiter quidem à perſona Christi; ſingulariter verò à principijs ſingularibus actiones naturales & voluntariæ ſecundùm modum ipſorum: tam ſimplices, quæ actiones ſunt diuinitatis ſolùm aut humanitatis ſolùm (nam, exempli cauſa, diuinitas reuelauit, humanitas à reuelante didicit, &c.) quàm compoſitæ ex actu diuinitatis & humanitatis ſimul: in quibus quod diuinum eſt, forma diuina agit; humana, quod humanum, ſine confuſione, in vnitate perſonæ. Ex his exſurgit ſimiliter opus compoſitum, commune quidem totius perſonæ, ſed diſtinctum in perſona ſecundùm principia illa diſtincta & modum ipſius: in quibus actus diuinus rationem habet formalis, quia principij formalis illius eſt; humanus verò materialis & inſtrumentalis. Efficacia denique à tota quidem perſona & actione fluit communiter; ſed à formali principio, id eſt, diuino principaliter. Non malè itaque Simlerus diſtingui præcepit actio-

actionem diuinitatis & humanitatis in illo ſacrificandi actu. Nam licet vnum ſit opus, quòd perſona Chriſti θεανθρώπου obtulit Deo Patri vltrò ſeipſum ſacrificium, & vtraque natura obtulit, tamen ſubſtantia ſacrificij fuit humanitas ſe ſacrificari paſſa; adeò vt vtrâque natura ſacrificauerit, humanâ fuerit ſacrificium: dignitas verò & efficacia, tum à perſona eſt communiter, tum à diuinitate (quæ principium formale eſt perſonæ) ſingulariter.

36 Art. 15. *non poſſet Deitas appellari Sacerdos & Pontifex, vt tamen Sarnicius appellauit,*] Neque verò hoc quiſquam dicit de diuinitate ſeorſim; ſed de perſona, ſiue de vtraque natura ſimul in vnitate perſonæ. A communi indiuiſo ad diuiſum tranſit contra leges Logicæ. Sarnicij dictum meliùs probari velim: prout diximus de eo in præfationem nota 27. & cap. 3. nota 7. Quòd ſi id Sarnicius dixerit (vt demus ſic eſſe) fallaciam accentus Stancarus commiſerit, pro eo quod legendum fuerat, *eſt Pontifex & Sacerdos diuinâ naturâ, ſacrificium verò humanâ*; & ſecundùm quid hæc ille pronunciauerit.

37 Ibid. *ad dormiendũ, aut ad ambulandum.*] Diuidit res coniunctas: nam Simlerus dignitatem coniunxit efficaciæ; eſt autem dignitas rei in ſe, efficacia reſpicit aliò ad res foris conſequentes. Eſtque efficacia & dignitas à perſona quidem; ſed à diuinitate vniuocè, ab humanitate æquiuocè per vnionis gratiam.

38 Ibid. *cùm omnis operatio ſit communis, quæ per eſſentiam diuinam illis conuenit.*] Non ſequitur ex diſpari: nam huius efficaciæ dignitatiſque fundamentum eſt perſonalis vnio duarum naturarum in Chriſto:

Christo: quo fit vt actio hæc in persona terminetur. vide suprà nota 14. & sequentibus. Deinde hæc efficacia non essentialis à principio communi, sed personalis à termino vel singulari principio dicenda est: est enim personæ Christi, non quà Deus simpliciter, sed quà θεάνθρωπος, vt capitis in corpus.

39 Art. 16. *in natura humana peractum.*] Imò verò Mediatoris θεανθρώπου siue Dei-hominis, agentis vtraque natura, & patientis humana sua in vno & eodem sacrificationis actu. vide quæ ex Thoma adduximus suprà nota 34. & 38.

40 Ibid. *influit in illud opus.*] Dispar exemplum, & dissimile nihil probat: nam reuera in membra corporis influit vis & efficacia capitis, non autem Regis in populareis suos, Ephes. 4. Colos. 2.

41. Ibid. *iamdudum damnatam & explosam incidere.*] Negatur consequens, ex nota 32. & sequentibus.

CAP. VI.

1 Art. 2. *Mori autem & resurgere certè hominis est, non Dei.*] Fallit æquiuocatione. Nam est quidem anima Christi, quà homo est; sed ponere dicitur æquiuocè. Ponere actiuè per se, est Dei: ponere passiuè seu mori per infirmitatem necessitatemque superuenientem naturæ, est hominis. Ponere ergo animam actiuè per se, eamque per se recipere, est Dei-hominis, θεανθρώπου vel Sermonis seu Verbi humanitatem sustentantis in vnitate personæ. Cùm itaque Chri-

Christus, vt Sermo, posuerit animam suam, quando seipsum inculpatam hostiam Deo exhiberet; profectò non male Caluinus à toto loco argumentatus est; hic verò disputator res coniunctas diuidens, & parte abutens loci, σοφίζεται.

2 Art. 3. *sed potestate inhabitantis carnem.*] Mentem suam ibidem Augustinus aperit centies, dicens: *Quis ponit? quam ponit? Christus. Quid est Christus? verbum & homo: non sic homo, vt sola caro; sed quia homo constat ex carne & anima, totus homo in Christo.* Et posteà explicans quæ de carne dixerat, subijcit: *Nemo titubet, quando audit Dominum dixisse, pono animam meam & iterum sumo eam. Ponit eam caro, sed ex potestate verbi: sumit eam caro, sed ex potestate verbi.* Item, *Quando Christus animam posuit? quando Verbum voluit: principatus enim in Verbo erat: ibi potestas erat, quando caro poneret animam, & quando sumeret. Si ergo caro animam posuit, quomodo Christus animam posuit? num enim caro Christus? ita planè, & caro Christus, & anima Christus, & verbum Christus: nec tamen tria hæc tres Christi, sed vnus Christus.* Et sub finem, *Ita quum caro animam posuit, Christus animam posuit: & quum caro vt resurgeret animam sumpsit, Christus animam sumpsit. Nec tamen potestate carnis hoc factum est; sed eius qui & animam & carnem, vbi hæc adimplerentur, assumpsit.* Christus igitur vt θεάνθρωπος fecit.

3 Ibid. *potestatem habeo ponendi animam meam, &c.*] Loquitur Augustinus ex hypothesi Maximini Arianorum Episcopi: qui vt Filium Dei, quà Filius, minorem esse Patre ostenderet, hunc locum adduxerat;

duxerat: Respondet Augustinus, *manifestissimè vt homo loquitur*, non vt Deus, quum animæ ponendæ mentionem facit: hoc enim præceptum accepisse à Patre suo. Non agit ergo Augustinus de tota loci interpretatione, sed de parte vna, idque eo respectu quo ad Maximini verba responderi oportebat. Non sequitur à dicto secundùm quid.

4 Ibid. *hæc dici à Christo secundùm humanitatem.*] Et vbi, quæso, ista? nam in meo exemplari nihil horum. Contrà verò totus illius contextus (vt ita dicamus) clamat τὸ θεανδρικὸν, & confirmat interpretationem nostram. Dicit enim, *Cùm voluissent aliquando eum interimere; indicat, nisi ipse vellet, incassum eos laborare; & à primo secundum confirmat, à morte videlicet resurrectionem: hoc enim admirandum est; siquidem vtrumque nouum fuit, & præter communem consuetudinem. Attendamus ergo diligenter. Potestatem habeo, inquit, ponendi animam meam. Et quis non habet hanc potestatem? quisque enim potest se interimere. Sed non ita intelligitur: quomodo ergo? sic habeo ponendi potestatem, vt nemo me inuito id facere possit: quod non contingit nobis. Nos tantùm interimere nos ipsos possumus: sed si in latronum insidias incideremus, non habemus liberam faciendi quod volumus potestatem; velimus nolimus, nos interficiunt. Christus autem etiam insidiis circumuentus, sui iuris erat, moriendi, nécne. Et quum dixisset, nemo tollit eam à me, addidit, potestatem habeo ponendi eam, hoc est, ego solus habeo hanc potestatem, quæ vobis non est: etenim alij multi vitæ nostræ sunt domini. Quod à principio non dixit, neque enim creditum esset: sed cùm à re ipsa testimonium confirmarit, cùm multis circumuentus insidijs comprehendi non potuerit (sæpius enim ex*

eorum

eorum manibus elapsus est) tunc inquit, nemo tollit eam à me. Quod si verum, & illud sequetur, sponte ad hoc venisse: per quod & aliud confirmatur, quandocunque voluerit, vitam sumere posse. Nam si ita mori humanas vires excedit, non est reliquum dubitandum: quod enim solus esset vitam ponendi dominus, etiam sumendi in sua esse potestate ostendit. Ecce *quomodo à priori secundum confirmat; & à morte indubitatam ostendit resurrectionem.* Hæc Chrysostomus in eum locum, nihil amplius: vbi omnia Christo θεανθρώπῳ tribuit, non huic aut illi naturæ solùm. nam ponit, vt Deus, animam suam, vt hominis: quod Caluinus voluit. Quod dicit Bellarminus *aliquoties repeti*, proferat, si placet, de exemplari suo. hoc tragelaphos pingere est.

5 Art. 4. *Igitur Christus, vt Deus, mediator fuit.*] Intelligendum, etiam vt Deus, ac non vt homo solùm: id autem est, vt Deus-homo.

6 Art. 5. *non omnis qui reconciliat continuò est mediator.*] Huius argumētationis falsa est assumptio. Nam Mediator dicitur duobus modis, propriè & analogicè: quemadmodum & iustitia propriè est eius qui suum alteri tribuit; analogicè verò; eius qui suum sibi. Mediator propriè est, qui partes alias reconciliat alijs; analogicè, qui partes alias sibi. Christus autem perfectus Mediator est perfectè vtroque modo. Quid? nonne Mediatoris analogici officium ex officio charitatis homines inter se Christus præstare iubet? Matth. 5. 23. & 18. 12. & seq. Et conclusio igitur falsa, ex particulari concludens vniuersè.

7 Ibid. *sed per mediatorem, quem ad nos misit.*]

Concedimus hoc totum de Mediatore propriè dicto: ſed non eo tollitur ratio Mediatoris dicti analogicè. Reſpectu Dei Patris, Chriſtus propriè eſt Mediator; reſpectu ſui Mediator eſt analogicè. Vnum altero non euertitur. Nam certè Mediator non ſolùm ab vna partium, ſed etiam de vna allegari poteſt: quod hîc reticet. Quid enim feciſſent alioqui Romani principio ſuę augeſcentis Reip. niſi de ſuis allegaſſent? Deinde verò hinc idem obtinemus. Sequitur enim, ergo Patrem nos reconciliauiſſe ſibi Mediatorem mittendo; & Filium Patri, Mediatoris opus præſtando.

8 Art. 7. *ſed non quà Deus eſt, penetrauit cœlos.*] Falſum, niſi dicatur, quà Deus eſt ſolùm. Nam penetrauit cœlos, quà Deus eſt, virtute ſua in ſua humanitate: ergo vt θεάνθρωπος.

9 Ibid. *ac denique non, quà Deus eſt, Pontifex eſt.*] Certè non quà Deus, ſed quà Deus eſt & homo in vnitate perſonæ. Demonſtrat Apoſtolus Hebr. 5. dicens, *Chriſtus non ipſe ſibi hunc honorem tribuit vt fieret Pontifex, ſed is tribuit qui dixit ei, filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me*, &c. quibus verbis diſertè, idque Patrum omnium orthodoxorum conſenſu, perſona Chriſti ſecundùm vtramque naturam deſignatur.

10 Ibid. *ſed ſolùm ſecundùm formam hominis conuenire.*] Æquiuocatione illuditur: nam etiam virtus, qua primùm anima, deinde verò & corpore cœlos penetraturi ſumus, à Deo eſt: ſed hæc virtus per adſiſtentiam communicata eſt. Chriſti verò, qua Pontifex eſt & Sacerdos noſter, virtus eſſentialis eſt perſo-

personæ, qua per vnionis gratiam diuinitas humanitatem sustentauit, euexitque in vnitate personæ. Et quàm festiuum est, quòd eiusdem loquutionis pars adseueratur, & pars omittitur? Penetrauit in cœlos, in Sanctuarium cœleste. Quis? Christus Pontifex noster. quid fecit? penetrauit in cœlos, in loca ἐπουράνια qua virtute? suáne an aliena? sua, ac non aliena. humanitatísne, an Deitatis suæ? non humanitatis, nam hoc non est huius naturæ, sed superioris opus: igitur diuinitatis suæ virtute penetrauit in cœlos Christus secundùm humanitatem suam. Quid? nonne Pontificem Legalem vi sua in sanctuarium manufactum ingredi oportuit anima & corpore? Ergo & Christum, qui veritas & corpus est legalium vmbrarum, diuinitate & humanitate penetrare cœlos oportuit; diuinitate secundùm virtutem, humanitate secundùm locum. Loco moueri, est corporis: loco mouere κατὰ φορὰν, est animæ: loco mouere se, est corporis animati in hac inferiore natura: at loco mouere se ex hac natura in superiorem illam, supernaturalis est diuinæque virtutis; quam solus Christus in se & per se habet in vnitate personæ. Hac sua virtute Christus, vt Sacerdos, in sanctuarium illud cœleste in suo corpore penetrauit: quam rem vt Sacerdos non potuisset facere, nisi θεάνθρωπος, vt Sacerdos, exstitisset.

11 Art. 8. *Cyrillus in Apologia sua testatur.*] nimirum assumptam in vnitatem personæ. Hoc autem est, Sacerdos noster est, prout verbum est Patris factum caro. vide suprà cap. 4. nota 1.

CAP. VII.

1 Art.2. *vnam operationem propriam vtriusque naturæ.*] Imperitè dictum, *propriam vtriusque naturæ*. Nam si vtriusque naturæ est, non propria, sed communis est naturæ vtriusque, propria verò personæ. Vtut sit, falsum attribuit nobis. Nos enim operationem numero vnam intelligimus, vt antè ex Thoma diximus cap.5. licet non vnam principio formali operante: plura enim principia ad operationem vnam possunt concurrere. Sic interpretationem hanc cum sequente coniungimus, & alteram altera corrigimus. Hoc nihil cum Macario aut Monothelitis commune habet, qui vnicum principium in Christo vnius operationis voluntariæ affirmabant.

2 Art.3. *sed distinctæ, & duæ reuera.*] Duæ quidem actiones à duobus principijs, sed vna operatio.

3 Ibid. *hæc enim omnia humana sunt.*] Negatur hæc assumptio: nam talia sunt opera mediatoris, vt mediator est, partim diuina, partimque humana simul, vt cap.5.nota 28. & sequentib.dictum. Etenim si ambulare super aquas est actionis duplicis vnica operatio (vt est) an non mortem subire & vincere item est? resurgere? in cœlum, in sanctuarium cœleste ingredi? regnare regno mediatorio? venire è cœlo, prout visus est ascendere, ad iudicandum viuos & mortuos? & hæ omnes tamen sunt Mediatoris partes, vt mediator est: in quibus agit diuinitas, agit humanitas actione distincta sua. vnam operationem. Te appello, Bellarmine, qui ambulare super aquas mixtam actionem pronun-

pronuncias: quid tibi videtur differre illud, quòd Christus in nubibus ambulauit ascendens in cœlum, & iterum ambulaturus est secundo aduentu suo? at hæc Mediatoris sunt vt mediator est, Sacerdotis vt Sacerdos nam in cœlum iuit vt Sacerdos in sanctuarium ingressurus, è cœlo veniet vt Sacerdos è sanctuario perlaturus ad nos, in nobis consummaturus salutare opus Sacerdotij, cuius nos consorteis fecit. Falsa igitur conclusio ex assumptione falsa.

4 Art. 4. *secundùm hanc intelligentiam auctoritas Dionysij non est ad rem.*] Diuidit coniuncta: hoc nusquam Damascenus docet. Loquitur enim de energijs siue operationibus Christi prout operantur, non prout in supposito sunt absolutè: quod quum hîc Bellarminus torquet, præuaricatur. Dicit enim Damascenus: *Animaduertendum igitur est, quòd de Domino nostro Iesu Christo quandoque vt de duabus naturis sermonem habemus, quandoque verò vt de vna persona. Et hoc autem & illud in vnam refertur intelligentiam. Nam duæ naturæ illæ vnus est Christus, & vnus Christus duæ naturæ.* hæc de supposito: deinde sequitur, *Idem ergo est dicere, Agit Christus secundùm vtramque ipsius naturam, & agit vtraque in Christo natura cum alterius communione.* Sed ne Bellarminus putet agi istis verbis de ἐνεργείᾳ absolutè, illico subijcit explicationem mentis suæ, dicens: *Communicat igitur natura diuina cum agente carne, eo quòd per beneplacitum diuinæ voluntatis permittebatur pati & agere quæ erant propria, & quòd actio carnis omnino salutaris est: quod non humanæ, sed diuinæ energiæ est. caro autem cum Deitate Verbi agente com-*

municat, eo quòd per corpus tamquam per instrumentum diuinæ perficiuntur energiæ, & eo quòd vnus est diuinitus simul & humanitus operans. Coniungit nempe vtramque actionem simul, absolutam in subiecto siue supposito, & ordinatam in obiecto patiente: quæ disputator præter mentem illius disparat. Id nec Leo, nec Damascenus sensit.

5 Art.6. *necessaria fuit ad mediationem per operationem.*] Negatur distinctionem huius loci esse. Nam primùm de mediatione tota verum est quod hic secundùm quid & ex parte concedit de mediatione substantiali solùm: disputator enim fallit distributione rei non distributè, sed vniuersè dictæ. Secundò non est nescius illius dicti; qualis substantia personæ, talis & operatio; & contrà, qualis operatio, & talis est substantia; nam quicquid est, operatur eo ipso quod est: quicquid est & operatur, id operatur prout est: est autem Mediator θεάνθρωπος, ubstantialiter Deus-homo, substantiali mediatione, vt hic vocat in cap.1. ergo Mediator, vt mediator est, operationes mediatorias verè θεανδρικάς, diuinas atque humanas, operatur. Relata sunt necessaria, μεσιτεία οὐσιώδης καὶ ἐνεργητική. mediatio substantialis est vnica operatiuæ mater, & operatiua seu ἐνεργητικὴ germana est illius substantialis filia. vnam qui tollit, ambas eâdem tollit.

6 Ibid. *non essent opera mediatoris infiniti pretij.*] Ergo vt Deus, diuinas; vt homo, humanas præstat operationes; vt Mediator, vnas atque indiuisas.

7 Ibid. *substantialis duarum naturarum.*] Negamus

gamus consequens, & quicquid ei superstruitur ex antecedente falso.

8 Art.8. *loquitur Augustin. de persona, quæ operi dare debebat dignitatem.*] Repone, *veritatem* pro voce dignitatem, aut adijce: & iusta erit sententia. Alioquin negatur distinctio: nam de persona & operatione coniunctim Augustinus agit, vt verba ipsius clamant; siue de Mediatore, vt mediator est κτιστὸς καὶ ἐνεργητικός.

9 Ibid. *sed mediator per quod homo.*] optimè: id enim est, non simpliciter quà Verbum aut Sermo solùm, sed quà verbum caro factum, vt suprà cap.4. docuimus, & alibi sæpe.

CAP. VIII.

1 Art.1. *Christus ergo, vt Deus, mediator est.*] id est, etiam vt Deus: quemadmodum cap.6. nota 5. dictum.

2 Art.2. *hic modus dandi spiritum, non est Dei formaliter, sed hominis.*] Negatur distinctio. Nam primùm meritum mediationis est: mediatio autem est personæ, vt antè cap.7. ergo & meritum. Quòd si meritum, ergo & res meritoriæ ab eadem mediatione sunt. Secundò, quod est causa causæ, idem est causa causati, vt loquuntur vulgo: at formalis principij operatio est causa meriti: ergo & rei meritoriæ. Offundit ergo tenebras, qui dare formaliter & dare meritoriè disparat. Postremò solus Deus dat res diuinas formaliter: solus ergo dat Spiritum. Mediator

autem dat Spiritum: dat ergo, quà Deus, formaliter; Verbum caro factum, vt mediator est, personaliter. hoc facit persona Christi secundùm formā Dei, quemadmodum alia facit secundùm formam serui assumptam. Sic Augustinus docet libro 1. de Trinit. cap. 11. & sequentibus.

3 Ibid. *dare autem Spiritum sanctum & renouare corda efficienter, & vt auctorem doni, non est Mediatoris,*] Falsum: hoc enim opus Mediatoris est in persona ipsius duobus modis: essentialiter, quà Deus cum Patre & Spiritu sancto operatione communicans: & personaliter, nempe terminum proximum in sese faciens diuinæ operationis per οἰκονομίαν gratiæ, quà Mediator est, Deus ἑαυτὸν κενώσαι, & Verbum caro factum.

4 Ibid. *& Spiritus sancti.*] Intercedit autem apud Deum persona Christi Mediatoris; quà Deus, voluntario officio & dispensatione gratiæ; quà homo, naturæ ordine: vt inde à cap. 3. docuimus.

5 Ibid. *tota Trinitas esset mediator.*] Negatur consequens. Nam à tota quidem Trinitate datur spiritus; sed ad personam Mediatoris hæc actio terminatur κατ᾽ οἰκονομίαν, quà cōmunis est terminus Mediator Dei & hominum Christus Iesus. Audiatur Thomas 3. q. 8. art. 1. *Dare gratiam aut Spiritum sanctum conuenit Christo secundùm quod Deus, auctoritatiuè: sed instrumentaliter conuenit etiam ei secundùm quod homo, inquantum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipsius ex virtute diuinitatis fuerunt nobis salutiferæ; vtpote gratiam in nobis*

bis causantes & per meritum, & per efficientiam quamdam. Augustinus autem negat Christum, secundùm quod homo est, dare Spiritum sanctum per auctoritatem: & quæ sequuntur. vide suprà c.5.nota 14.& 15.

6 Art.3. *qualia instrumenta fuerunt Apostoli & Prophetæ.*] Nos verò ita distinguimus: Docere principaliter est commune opus Dei, Trinitatis; sed hoc docendi officium ex interna œconomia & relatione personis terminatur. Itaque officium docendi à Patre præstitum terminatur ad Filium; officium docendi à Patre & Filio, terminatur ad Spiritum sanctum procedentem à Patre & Filio: homo docet instrumentaliter. Huic doctrinæ Scholastici etiam doctores citra dubitationem vllam subscripturi sunt. Vtrumque verò, vt Mediator, Christus facit in vnitate personæ, Ioan.1.18.& 3.11.& 8.12.& 38.Matth.11.27.

7 Art.6. *Mediatorem autem Angelorum fuisse Christum, aut etiam hominum ante lapsum, falsum est:*] Responsio hæc fallit æquiuocatione duorum nominum, capitis, & mediatoris: Ad quam explicandam, argumentum paulo altiùs certis quasi thesibus repetemus. Prima: Deum essentialiter sumptum conuenit esse omnium caput, Angelorum & hominum: hoc sensu nunquam Mediatorem appellari, nec rectè appellari posse. Secunda; hanc essentiam tribus personis communem esse, Patri, Filio, & Spiritui sancto: verumtamen semper ordine processionis seruato, quem Patres œconomiam & dispositionem dixerunt. Tertia: hunc ordinem dupliciter in diuinis obseruari: vnum, internum esse personarum inter se; alterum, externum ad res creatas. Quarta: vtrumque

ordinem esse ἀνάλογον, & diuinas personas secundùm rationem processionis suæ habere causalitatem (vt loquuntur Scholastici) respectu creationis rerum, & totius ordinationis operationisque in eas. Quinta: ordinem internum esse, quòd etsi tribus personis essentia communis est, tamen Filius accipit naturam diuinam & subsistentiam à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque. Sexta: ordinem ad extra esse, quòd etsi virtus operandi tribus personis communis est, Filius tamen habet eam à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque secundùm essentialia attributa Trinitatis, & singularia cuiusque personæ. Sic creatorem esse tribuitur Patri, vt personæ illi quæ non ab alio virtutem creandi habet: de Filio autem dicitur, *per quem omnia facta sunt*, Hebr.1. inquantum habet eamdem virtutem, sed ab alio, vt sapientia & verbum Patris. Nam præpositio *per* solet denotare causam mediam, & Christum indicat esse principium de principio, & lumen de lumine, vt est in Nicæno symbolo. Septima: itaque respectu Patris, Filium esse medium, ac proinde mediantem apud res creatas in diuinis operationibus, creatione, ordinatione, gubernatione, sustentatione, & fine ipsarum. Octaua: quod si est in rebus naturalibus, multo magis esse in operationibus gratiæ, secundùm quam & Angeli & homines ab æterno electi sunt in Christo, & Christus caput eorum est à Patre datum; eoque Mediator inter Patrem & res creatas, quo mediante electi Angeli stant, & homines instaurantur. Nona: sic horum caput communiter est Deus: particulariter verò caput est Christus; & Pater, caput Christi in hac dispositione seu œconomia; eodemque respectu Christus est Mediator latiore significato. Est enim Mediator, vt caput, omnium

omnium Angelorum & hominum communiter; Mediator, vt Redemptor, hominum particulariter. Atque hæc diuerso respectu de Christo prædicantur: quæ Scholastici etiam nonnulli docuerunt, & Bellarminus fortiter dissimulat. Quòd si de voce contenditur, & Christum Mediatorem dici placet redemptionis solùm nomine, esto sanè: at illo tamen communi respectu non dico naturæ, sed gratiæ salutaris, qua fundamentum electionis est ad Angelos atque homines pertinentis, illo igitur respectu medians dicatur necesse est. Nobis autem verborum causa funem contentionis non placet ducere.

8 Ibid. *alioqui etiam Patrem & sanctum Spiritum faceremus Mediatores.*] Negatur consequens ex homonymia: nam Mediator vno modo & latiore dicitur, vt caput medians vniuersè; altero angustiore, vt redimens. Priore significato id dixit Caluinus: hic verò angustè accipit in hoc loco & sequentibus.

9. Ibid. *at mediatorem Angelorum nusquam facit.*] Atqui si facit eum Scriptura Angelorum hominumque caput, ergo & medium facit, per quem Deus pater in eis operatur, & per quem consistunt omnia, Colos. 1. 17. ratione naturæ & gratiæ. Conclusio ergo vera est de Mediatore ad redemptionem; de mediante vniuersè, falsa: non enim ex particulari sequitur vniuersale.

10 Ibid. *mediatorem Dei & hominum.*] Dicit quidem Mediatorem Dei & hominum esse, quà Deus est homo factus: at non propterea negat aliter mediantem esse etiam Angelis, quà Deus est.

11 Art. 7.

11 Art.7. *qui autem non peccauerunt, mediatore non egeant.*] Hæc de Mediatore redemptionis. Sequentia ergo malè concludunt per æquiuocationem: quam tamen Caluinus tollit locis innumeris. Negamus igitur.

12 Art.8. *quod ſine ſuſpicione Arianiſmi non dicitur.*] Suſpicio falſa: nam aliud eſt perſonalem œconomiam diſtinguere in Trinitate & operibus ipſius, quod Caluinus facit; aliud naturam facere differentem, & inæquales perſonas naturaliter, quod Arius.

13 Ibid. *apud quem intercedit.*] Nempe qui ſecundùm redemptionem Mediator eſt. Sed longè alia ratio eſt eius ſecundùm illam dignitatem capitis, qua Filius medius eſt inter Deum Patrem & creaturas ipſius.

14 Ibid. *igitur vt Deus, minor erat Filius Patre.*] Negatur cõſequentia maioris: nam etiam inter homines qui vel ſuperior, vel æqualis eſt, Mediator eſſe poteſt voluntaria diſpenſatione, & medius interuenire. Et quoties apud Homerum agit interuentorem Iupiter? quoties Pontifex Rom. apud ſuos?

15 Art.9. *ſolus autem Filius eſt primogenitus omnis creaturæ.*] Æquiuocè. Nam ſimpliciter quidem ſolum Deum ſtatuit Caluinus caput; ſolum verò Chriſtum ſecundùm quid; nempe ex illo reſpectu œconomico quem nota 7. expoſuimus. Sequentia ergo omnia per ſe ruunt, cùm hæc diuerſo planè reſpectu dicta ſint.

16 Ibid.

16 Ibid. *proinde nec est vna natura atque essentia Trinitatis.*] Antecedens propositionis maioris dicitur æquiuocè: nam Christus non est caput simpliciter, vt modò dicebamus, sed secundùm quemdam modum. Aliud est opus consilij seu voluntatis œconomicæ, aliud naturæ. Naturâ enim Deus essentialiter, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus est caput omnium vniuersè: voluntatis verò dispositione Christus caput illorum est, & dispensatione gratiæ. Conclusio & inconsequens, & falsa.

17 Art.10. *& quid aliud Ariani volebant?*] Negatur consequens: nam aliud est principium de principio esse; aliud verò, administrum vicariumque esse principij. illud Ecclesia dicit, hoc Arius: quod inuidiosè & falsè Caluino tribuitur.

18 Art.11. *antequàm quicquam faceret à principio.*] Ergo primogenitus est, tum vt primus ante tempora genitus (nam tempus ante creaturam non fuit) tum vt caput auctoritate primas à Patre tenens personaliter, cum Patre essentialiter. Atque hoc sibi Caluinus voluit, quod verissimum est de persona Christi. vide lib.1. cap.18.

19 Art.12. *& auctorem mundi, & legis, & omnium rerum.*] Sed & formaliter accipi nihil vetat, ex nota 7. & Hieronymi verba, quæ hic dissimulat, tam sunt euidentia quàm quæ maximè. *Ritus colendi Deum*, inquit, *& delinquentium pœna sancita est in manu mediatoris Christi Iesu; quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; non solum*

lumi cœlum, terra, mare, & vniuersa quæ cernimus, sed etiam illa quæ per Moysen duro populo quasi iugum legis imposita sunt, & quæ sequuntur plurima, vbi Mediatorem simpliciter, & mediatorem hominem distinguit luculentissimè. In eumdem modum sequens Chrysostomi locus exponi potest, & ratio postulat.

20 Ibid. *nec legem abrogare potest, qui non est auctor.*] Falsum: nam idem & mediator federis esse potest, & auctor legis, puta dispensatione voluntaria. hæc non sunt ἀσύστατα.

21 Ibid. *non fuisse propriè mediatorem, quando nulli erant homines peccatores.*] Æquiuocè: nam de Mediatore redemptionis verum, vt suprà nota 7. & sequentibus dictum est. Alioqui falsum est, si de altero illo communi mediationis genere acceperis, quo Christus Sermo æternus Dei Patris se eum esse rebus creatis inde à principio exposuit.

CAP. IX.

1 Art. 1. *gloriam, & nominis exaltationem.*] Hoc dogma siue probes, siue improbes; non est propterea laboratura Christianorum fides. sed tamen quia tanti Bellarminus facit, experiamur quid ipsius argumenta possint.

2 Art. 2. *summo Dei imperio?*] Hic ordo argumentorum Caluini: 1. quæstionem curiosam esse, & definitionem temerariam. 2. ipsi Christo non fuisse opus vt sibi mereretur quicquam. 3. hoc non exprimi

consilio

consilio Dei Patris in testamento nouo, aut vetere. 4. non fore tantam amoris Christi erga nos confirmationem. 5. non sui rationem habuisse Christum, sed nostri; nec sibi acquisiuisse, sed nobis; denique sui oblitum esse. 6. neque penes humanitatem esse, vt res tantas mereatur.

3 Art. 3. *Christum meruisse sibi illa omnia quæ accepit post passionem suam.*] Hoc Caluinus negat.

4 Ibid. *gloria & honore coronatum.*] De priore loco dicetur sequentibus. Posterior malè adducitur, duabus de causis. Primùm enim fallacia diuisionis committitur: nam illa verba, *propter perpessionem mortis*, non ad sequens membrum, sed ad præcedens pertinent, hoc modo, *Sed Iesum illum, qui paulisper fuit Angelis inferior factus propter perpessionem mortis, videmus gloria & honore coronatum.* Secundò hæc eadem verba, *propter perpessionem mortis*, finem significant ex proprietate linguæ: id est, vt Christus perpeteretur mortem; quod ἐξηγητικῶς docent verba sequentia, *vt pro omnibus mortem gustaret.* hoc enim significat διὰ accusatiuo iunctum.

5 Art. 4. *oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.*] id est, non causam priore loco (nam de posteriore diximus) significari, sed ordinem rerum; vel (si causam placebit fortè appellari) non causam efficientem in totum vel ex parte dici, sed causam (vt vocant) sine qua non; vt iter ordinatum ad metam causa esse dicitur attingendæ metæ. Sed & altera quoque responsio huc adferri potest, siquidem vocem διὸ sic placuerit accipi: nempe inique res

coniun-

coniunctas diuelli in hac interpretatione. Non enim ſimpliciter dicit Apoſtolus propter mortem crucis; ſed propterea quòd Ieſus *Filius Dei, quum eſſet in forma Dei, non ducens rapinam ſe parem eſſe cum Deo, ſeipſum inaniuit forma ſerui aſſumpta,* &c. q. d. propterea quòd Deus ſummè abiecit ſeſe aſſumens humanitatem in vnitatem perſonæ, gratiamque vnionis cum ea communicans, &c. *propterea*, id eſt, propter hanc vnionis gratiam in perſona, &c. eamdem perſonam etiam ſecundùm naturam aſſumptam ſummè fuiſſe exaltatam. Nam non propter opera humanitatis, ſed propter Verbum adunatum perſonaliter humanitas ſubſiſtens in Verbo fuit exaltata. Quid enim fecit humanitas, vt in Verbo ſubſiſteret? aut quid non fecit Verbum ſui ipſius humiliatione, vt gloriam diſpenſatione quaſi depoſitam recipiens, etiam humanitatem exaltaret? Meritum ergo perſonæ, non naturæ (ſi quod eſt) dici oportebit: imò verò non meritum, ſed potiùs conſequens vnionis neceſſarium, integra tamen diſpenſatione & ordine illius ſapientiſſimo.

6 Art. 5. *iſte totus poteſt ſignificare cauſam.*] A poſſe, vt aiunt, non ſequitur: & negatur præterea poſſe, vt modò diximus.

7 Ibid. *vbique ſignificare ſolet.*] Negatur hoc dictum, argumento notæ 4. & 5.

8 Ibid. *mercedem inquit, recepit vera confeßio.*] Negatur: non enim cauſæ eſt hæc particula *&*; ſed analogiæ vel conſequentiæ, vt & in exemplo ſequente, Matth. 16. Vox autem mercedis apud Hieronymum dicitur καταχρηστικῶς, vt alibi paſſim.

9 Art. 6.

9 Art.6. *si illud, propterea, non diceret causam.*] Esto sanè: sed Patres loquuntur, vt Paulus, non de obedientia carnis, sed de obedientia Verbi in carne per dispensationem præstita, de qua in nota 5. quod Verbum quid ampliùs, obsecro, mereatur? Nullus enim mereri dicitur id quod iam habet: omnia autem habuit in se Verbum, & humanitas in Verbo. Sic intelligenda apud Patres sequentia omnia.

10 Art.7. *quantum humilitas mereatur, hic ostenditur, &c.*] id est, assequatur, obtineat, etiam citra rationem eius quod meritum appellatur. Sic frequenter accipit Ambrosius merendi verbum: vt libro de fide resurrectionis: *Denique*, ait, *etiam ipsa post vsum vota fastidio sunt; & quæ mereri optauimus, quum meruerimus, abdicamus.* sic Patres Latini passim.

11 Ibid. *factum est in forma serui.*] id est, factum à Verbo carne facto.

12 Ibid. *Christum meruisse humilitate gloriam, non solùm nobis, sed etiam sibi.*] At eum sibi meruisse Caluinus negat, vt quidem hòc tempore accipitur merendi verbum: nam apud veteres aliud significabat merendi verbum, vt nota 10. etiamque in multis Missalis Rom. orationibus: vt quum dicitur, *Merear Domine portare manipulum fletus*, &c. Item, *Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, & gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: vt tuis mysteriis dignè ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.* Item, *Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogita-*

tiones cordis nostri; vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur. & sexcenta alia.

13. Ibid. *melius est cæteris paribus aliquid habere ex merito, quàm sine merito.*] Negatur: nam Deus ex natura, non ex merito habet. alioqui præstabilior foret creatura merens, quàm Deus ex natura habens. Præterea, si excipere disputator volet se de ijs agere quibus ex merito aliquid potest accedere (etsi hoc non soluit instantiam) tamen respondebitur: at personæ Filij Dei nihil potest accedere; ergo ne ex merito quidem. Humanitati, inquies, accessit, vel personæ secundùm humanitatem: certè, accessit non ex merito ipsius (responderet Caluinus) sed ex vnione verbi, propter ἀξίαν (id enim vertunt plerique meritum abusiuè) id est, dignitatem personæ, non huius naturæ in se simpliciter.

14 Art.8. *scientiam & gloriam animæ habuit Christus ex merito?*] De scientia distinguendum vt fecimus in priorem libri 4. partem.

15 Art.9. *Christum debuisse habere omnia optimo modo.*] Ex hac propositione conficiemus argumentationem hoc modo: diuinus autem modus est optimus: omnia ergo habuit Christus diuino modo. Atqui gratia vnionis modus diuinus est; meritum verò humanitatis in se, humanus: imò verò nullus, quia est meritum personæ, cùm humanitas non nisi instrumentum sit diuinitatis, nec nisi in ea subsistens. Non hoc igitur, sed illo modo Christum adipisci & habere exaltationem oportuit: id autem est, opus fuit vt Christus haberet in sese, vnde nobis, ac non sibi merere-

mereretur. Frustra itaque adhibentur cætera. Sed Ocnus funiculum, si volet, contorqueat.

16 Ibid. *& ex merito illa acquirere, quàm carere dignitate merendi.*] Hæc distinctio nihil ad Christum, cui insunt omnia per se diuino modo, vt antè dictum est.

Cap. X.

1 Art. 1. *in forma serui aliquid ei defuisse ante resurrectionem, quis ambigere potest?*] Defuit quidem humanitati in se; at non defuit in persona, cùm ea fuerit caro Verbi. Omnia ergo habuit verbum, eaque carni admensus est Christus ex vnione, non autem ex merito, seruato dispensationis ordine. Quid enim mereatur caro, instrumentum Verbi coniunctum, nec nisi in Verbo subsistens, præter rationem Verbi? Falsa igitur distinctio.

2 Art. 2. *ac accessorium non cadit sub meritum?*] Imò verò Caluinus diceret, gloria humanitatis sequitur per se ex gloria λόγου. agitur enim de gloria humanæ naturæ Christi, ac non corporis solùm. Quorsum igitur sequentia?

3. Ibid. *& meritorum congruentiam.*] Negatur posterior hæc pars propositionis hypotheticæ, quia falsa.

4 Ibid. *tam gloria animæ, quàm gloria corporis cadit sub meritum.*] Negamus ista de homine in se subsistente, vt tomo 3. demonstrabitur:

quanto magis de humanitate in alio subsistente, & quæ mouetur ab alio principali suo? Nam ita se habet humanitas respectu deitatis Christi, vt cap.4. nota 8. dictum, & alibi.

5 Ibid. *vt alio quodam titulo debeatur.*] Et hoc negatur.

6 Ibid. *debitam fuisse Christo gloriã corporis.*] nempe ex gratia vnionis, quæ diuina est, vt cap.9. nota 12. dictum.

7 Ibid. *deberetur Christo, etiam iure præmij ac mercedis.*] Negatur, si prior modus diuinus est, posse deberi alio modo: nam diuino modo nihil potest accedere. Est autem hic diuinus modus, vt antè. Itaque falsum consequens.

8 Art.4. *quod minimè negamus.*] Atqui hæc pernecessaria est argumentatio. Cur Christus venerit, Scriptura perfectè docet: nam si hoc perfectè non docet, quid est quod perfectè docere possit? docet autem passim venisse propter nos, non docet vsquam venisse propter se: venit igitur Christus propter nos, ac non propter se.

9 Ibid. *quia nos fuimus causa, sine qua non fuisset passus.*] Hoc est ἀσυλλόγιστον, ab auctoritate negatiuè. deinde falsa est propositio, & pugnans cum verbis Christi & Apostolorum ipsius, Ioan.3.14.& seq.& 14.2.& seq. Rom.8.17.& 1.Petr.1.10.& seq.

10 Ibid. *docet libro 3. Instit. cap. 12. §. 4.*] Quid hoc ad rhombum? vt aiunt.

11 Art. 6. *proprio Filio non pepercit, &c.*] His autem addendum: at eadem est charitas Filij; non ergo sibi lucraturus, aut propter se fecit. Deinde etiamsi Christus non minorem charitatem ipse ostenderet, tamen ab hominibus perciperetur minùs, quia sua ipsius causa fecisse videretur. huc autem Caluinus respexit, quum illud absurdum adduceret.

12 Art. 7. *semetipsum exinaniuit, &c.*] Nihil refert: nam persona diuina, si non aliquam in diuinitate, at in humanitate sua amplissimam vtilitatem percepisset.

13 Art. 8. *& pro inimicis mori, vt copiosa esset redemptio.*] Ita loquatur Nestorius. Profectò si hoc à nobis diceretur, Nestoriani à Bellarmino audiremus. Cæterùm negatur potuisse mereri in natura instrumentali, & ἐνυποστάτῳ quod habuit in persona: operationes enim (vt fatentur omnes) suppositorum sunt.

14 Ibid. *vt exponit eo loco S. Augustinus.*] id est, eorum manifestationem in natura, quæ habuit æternùm in persona: in natura autem quam nostra causa assumpserat, vt nostra causa eam attolleret, velut instrumentum & exemplar singulare gratiæ & gloriæ ad nos in ipso peruenturæ. Cur istis meritorum somnijs veritatem maiestatemque beneficij Christi erga nos eleuemus?

15 Art. 10. *atque in eo Dei maiestas resideret.*] Et quid est, obsecro, nominis exaltatio, si hoc non est? hanc enim tum secundùm Deitatem recepit

φανερώσει prout ſe inaniuerat, tum ſecundùm humanitatem μετοχῇ ſiue μεταδόσει in vnione perſonali, quam vocant hypoſtaticam.

16 Art.11. *vt iudex eſſet mundi, facilè Chriſtus mereri potuit.*] Negatur: nam Deus eſt iudex mundi, Geneſ.18. Chriſtus ergo, vt Deus, iudex mundi eſt φύσει, natura; vt homo, ἑνώσει, vnione; vt Mediator θεάνθρωπος Deus-homo, κλήσει, vocatione & voluntaria œconomia. Falſa itaque ſequentia.

17 Ibid. *multo minus fuiſſent ſufficientia ad reconciliationem totius mundi.*] Probatur petitione principij. Nam illud eſt quod quæritur, vtrùm Chriſtus ſit meritus ſibi: nobis enim meritus eſſe Scriptura dicit; ſibi meritum eſſe non dicit. Hic verò argumentatur in hunc modum: meritus eſt nobis, & ſufficiens fuit vt mereretur nobis: ergo ſufficiens fuit vt mereretur ſibi, & reuera eſt ſibi meritus. Negatur conſequens: probari non poteſt. Quòd ſi integrum ſyllogiſmum formare hoc loco placuerit, vanitas argumentationis euidentior futura eſt: Qui meretur alteri & ſufficiens eſt ad merendum alteri, idem meretur ſibi, & ſufficiens eſt vt mereatur ſibi: Chriſtus meritus eſt nobis, & ſufficiens eſt ad merendum nobis: ergo Chriſtus meritus eſt ſibi, ſufficiens eſt vt mereatur ſibi. Propoſitio maior falſa eſt, ſi vniuerſalem feceris; ex particulari nihil ſequitur. Diſtinguendum enim eſt in hunc modum. Qui meretur alteri, is aut eiuſmodi eſt cui nihil poteſt accedere, aut cui poteſt accedere. Si poteſt aliquid accedere ei qui meretur alteri, hic ſibi etiam mereri poteſt: ſi nihil poteſt ei accedere, is vtut mereatur alteri, ſibi tamen mereri non poteſt. Nam

mereri accessionem notat: cui ergo nihil omnino potest accedere, huic ne meriti quidem confingenda est accessio. Deo autem nihil potest accedere ratione vlla: igitur ne ex merito quidem. Probatur definitione meriti, quam tradunt Pontificij. *Meritum*, inquiunt, *propriè dicitur actio, qua fit vt ei qui agit sit iustum aliquid dari.* Christo autem quid dari iustum est, cuius sunt omnia? quid ei dari potest, aut adimi? Sed præstat nos, hac quæstione omissa, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, Rom. 12. 3. Nam ego quidem de vtrauis sententia minimè vellem contendere, modò retineatur vera nostræ salutis ratio in Christo Iesu.

FINIS.





